





i 11807763


BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	B
Estante:	6
Número:	129

R. 92266
29 a 2-11

COMMENTARIA IN DANIELEM PROPHETAM.

A V C T O R E

R. P. CORNELIO CORNELII A LAPIDE
Societ. IESV, Sacrarum Litterarum
in Collegio Romano Professore.



A N T V E R P I A E,
Apud I A C O B U M M E V R S I V M ,
A N N O M . D C . L I V .

Cum Gratia & Privilegio,



EFFIGIES DANIELIS in habitu Babylonico, scilicet saraballis, purpura, et cidari. illo enim eum in Babylone et aula
vsum, patet Daniell. 3. 21. et cap. 2. 29. Curaui eam expingi ex vetusto Codice Bibliothecae Vaticanae, nempe ex Graeco Sanctorum
Menologio manu scripto, et picto auratis imaginibus ad viuum, ante annos 700. Fuit hic Codex Basilij Porphyrogeniti Imper.
qui Constantinopoli nuper allatus ad Cardinal. S. Ceciliae, ab eoz datus S.D.N. Paulo V. Pontif. eius iussu repositus est in
Biblioth. Vaticana, utpote illustre antiquitatis monumentum. Est hec effigies in Codice numero 252. eam praecedit effigies
trium eius sociorum numero 251. Vtraz representat et narrat tam Danielem, quam tres socios tandem capite plexos ab
Attico, re ipsa consummasse martyrium, quod alibi haclenius me legisse non memini. porro Codex ipse notatur numero 777.

C O M M E N T A R I V S
I N
D A N I E L E M
P R O P H E T A M.
P R O O E M I V M.



DANIEL nobilis Propheta, partim vaticinatur de successione quatuor monarchiarum mundi, scilicet Babyloniorum, Persarum, Græcorum & Romanorum: item de Septuaginta hebdomadibus, de Christo, de resurrectione, de excidio urbis & orbis, de Antichristo, de iudicio. Vnde Daniel aptè Hebr. significat *iudicium Dei*; aut, vt S. Hieron. vertit, *iudicauit me Deus*: multiplicia enim Dei iudicia, præsertim circa varios reges & regna, hoc opere describit. Partim historiam sui temporis contextit: scribit enim gesta ab anno 3. Ioakim regis Iuda usque ad 3. annum Cyri: quo etiam tempore floruit Ieremias & Ezechiel. Eodem tempore Romanis imperabat Ancus Martius, & Tarquinius Priscus; Medis Attyages & Cyaxares; Babylonis Nabuchodonosor; Persis Cyrus; Lydis Crœsus; Siculis Phalaris. Eodem tempore floruerunt septem Græcæ sapientes; & nobiles tres poëtae, scilicet Stesichorus, Alcaeus & Sappho poëtria: tunc etiam coepit est colli Dodonæum oraculum. Deinde tunc tria regna, Assyriorum, Iudeorum & Chaldaeorum; tresque eorum metropoles, scilicet Nineve, Ierusalem & Babylon, eueræ sunt. Ita Pererius. Vide dicta præfat. in Ezechiel. quæst. 2. in fine.

QVÆST. **Prima, quis** Primò, quis fuerit Daniel? Respondeo Primò: Daniel ortus est ex tribu Iuda, putà ex stirpe regum Iuda, vt patet cap. 1. 3. Patria illi fuit Bethoron superior, inquit Dorotheus & Epiphan. quæ est in sorte Ephraim iuxta Emmaus, distatque noui milliaribus ab Hierosolyma.

Secundò, Daniel puer captus est cum Ioakim rege anno 3. regni eiusdem, qui fuit annus 1. regni Nabuchodonosoris, atque ab eodem ductus est in Babylonem. Pererius censet cum tunc fuisse decem annorum, Maldon. viginti: idque verius est, & satis colligitur ex c. 1. v. 3. & sequ. Vnde sequitur natum esse Danielem sub annum 15. regni Iosiae regis Iuda, qui fuit annus in mundi 3320. ante Christum annus 630.

Tertiò, Daniel coepit prophetare iuuenis: iuuenis enim iudicium senum peregit, in quo eos conuicit, & Susannam pudicam à morte liberauit, vt patebit c. 13. 45. Quod enim aliqui putant duos Cornel. in Danielem.

A fuisse Danieles, vnum de tribu Leui, qui Susannam liberauit cap. 13. & draconem occidit, Belumque euertit cap. 14. Alium de tribu Iuda, qui reliqua huius libri gesserit & scripscerit, fallum est, vt ostendam c. 14. 30.

Quarto, interpretatus est Daniel somnium regis Nabuchodonosor, tam primum c. 2. quam secundum c. 4. agens 55. Visionem c. 7. habuit anno ætatis 63. Visionem verò c. 8. vidit annum agens 65. Scripturam manus in pariete scribentis annum natus 96. explanauit. Anno 97. qui primus fuit Darij regis Medorum, tempus Messiae aduentus & mortis, illis hebdomadiis cap. 9. comprehensum, diuinitus ei patefactum est. Visiones quæ memorantur in 10. & 11. capitibus, contigerunt anno 3. Cyri, id est anno Danielis 101.

B Quintò, computat Pererius Danielem mortuum esse anno ætatis 138. Natus est enim iuxta ipsum anno Iosiae 25. qui deinde adhuc regnauit sex annis, scilicet usque ad annum 31. post Iosiam regnauit Ioachaz tribus mensibus: post Ioachaz, Ioakim 11. annis; post Ioakim Ioachin tribus mensibus; post Ioachin Sedecias 11. annis; post quem secuta est captiuitas Babylonica 70. annorum usque ad Cyrum: post captiuitatem regnauit Cyrus 30. annis; post Cyrum Cambyses 8. annis; post Cambysem Magi vno anno; post Magos Darius Hystaspis, cuius 1. anno (si credimus Isidoro lib. de Vita & obitu Prophet.) mortuus est Daniel in Babylonie. Iam adde annos hos omnes, inuenies 138. tot ergo vixit Daniel. ita Pererius Verum hæc enormis est ætas hominis, & illo seculo inaudita.

C Vnde alij censem Danielem non excessisse annum centesimum. Ipsi enim putant captiuitatem Babyloniam 70. annorum inchoandam esse non à captiuitate Sedeciae, sed à captiuitate Ioachin, vt ostendi Ierem. 29. 10. & ita hæc demendi sunt anni vndecim regni Sedeciae: illi enim in annis 70. captiuitatis inuoluuntur. Rursum iidem putant, Cyrum post captiuitatem non regnasse 30. sed tantum tribus annis; ita vt euersa Babylone iam factus monacha, tantum 3. annis regnarit. Vnde & Daniel tantum primi & tertii anni Cyri meminit, scilicet ab euersa Babylone: hanc enim sub finem vitæ euertit, vt docent historici. Demendi ergo sunt ex annis Cyri anni 27. quibus durante captiuitate Babylonica regnauit. Iam adde 27. & 11. habebis 38. quos demie ex annis 138. (tot enim Pererius Danieli consignat) remanebunt anni 100.

N n n n 2

Visiones singula quæ statu Daniellæ contigerint.

Pererius putat Danielem vivisse anno 138.

Daniel id est quod ius dixit Dei.

*Daniel coe-
nuus fuit Ie-
remia, A-
styagi, Cyro
& Phala-
ridi.*

*Prima, quis
Daniel?
Fuit ex se-
mine regio.*

*Natus est
anno 15.
Iosiae.*

vitæ Danielis. Adde, sacram Script. post 3. annum Cyri non meminisse Danielis; ex Scriptur. ergo tātum elicere possumus, Danielem vixisse 91. annos; tot enim sunt à 25. Iosie ad 3. Cyri. An, & quantum ulterius vixerit Daniel, non liquet, nisi quod Isidorus eum vixisse dicat ad initium regni Hyrcaspis: quod si verum est, sequitur Danielem ad centesimum annum pertigisse. Hæc iuxta Pererium, qui censet Danielem decennem fuisse, cum ductus fuit in Babylonem: verum verius est eum tum fuisse 20. circiter annorum: unde 10. anni vitæ eius addidi sunt; ita ut natus sit anno Iosiae, non 25. sed 15. Id patebit Daniel. 13.v.45. Quare si Daniel mortuus est anno 3. Cyri, mortuus est anno ætatis centesimo primo: sin anno 1. Darij Hyrcaspis, mortuus est anno ætatis centesimo undecimo. Hinc patet errare Chronicum Alexandrinum, sive Fastos Sicullos, dum mortem Danielis consignant anno 1. Cyri, aiuntque cum 50. annis tantum prophetasse.

QVÆST.
Secunda,
qualis fuit
Daniel?
Primò,
chronolo-
gus,
Secundò,
vir omniū
sapientissi-
muss.

Tertiò fuit
Propheta.

Quartò,
fuit gubernator im-
perij Babyloni.

Quintò,
fuit virgo.

Sextò, fuit
vir sanctissi-
mus.

QVÆRES Secundò, qualis, & quantus fuerit Daniel? Respondeo Primò, fuit chronologus illius æui certissimus & celeberrimus. Secundò, fuit vir omnium hominum illius seculi sapientissimus, & in omni scientia, etiam Chaldaeorum, aliorumque Gentilium, versatissimus: adeò ut, cum tantum 38. esset annorum, Nabuchodonosor & reges omnes eius sapientiam, quasi oraculum, susciperent; ita ut rex Tyri qui se sapientissimum reputabat, Danieli tamen se coparare non auderet. Hoc enim est quod irridens per sarcasnum ei obiicit Ezechiel cap.28. 3. *Ecce sapientior es tu Daniele, omne secretum non est absconditum à te*, vt ibi ostendi. Porro hanc sapientiam meruit Daniel sua abstinentia, ut patet cap.1.17.

Tertiò, fuit Propheta, & somniorum omnium diuinorum (id est à Deo immisorum) interpres.

Quartò, fuit princeps & rector totius imperij & monarchiæ Babyloniciæ, ut patet cap.2.48. Plinius lib.7. c.27. Catonem tribus dotibus præcelluisse asserit, quod fuerit *optimus orator, optimus imperator, optimus senator*: at pluribus præcelluit Daniel.

Quintò, fuit cælebs, & illibatam virginitatem ad mortem usque seruauit, vt omnes consentiunt: imò Damasc.lib.4. de Fide cap.2.5. ait, propter tantam castitatem tam Danielem à Ieconum fecutia, quam tres pueros ab igne Babylonio fuisse inuiolabiles.

Dices, Ezech.14.v.14. & 16. dicitur: *Si fuerint tres viri isti in medio eius (Ierusalem) Noë, Daniel & Iob; ipsi insititia sua liber. abund anima: suas, &c. non filios, nec filias*: ergo Daniel habuit filios; ergo non fuit cælebs. Respondeo Primò, hanc propositionem esse conditionalem: ait enim, Si Daniel, Noë & Iob haberent filios, & pro eis orient, Deus tamen non exaudiret eos, esseque inexorabilis. Respondeo Secundò, non filios & filias, respectuè referendum esse ad Iob & ad Noë, qui habuerunt proles, non ad Danielem, qui nullas habuit; ut sit syllepsis: qualis est apud Matthæum & Marcum, quando aiunt, discipulos effuso vnguento murmurasse, cum Ioannes solum Iudam murmurasse testetur: & apud Matthæum, quando ait, latrones in cruce Christum blasphemasse, cum Lucas unum tantum blasphemasse dicat.

Hinc Sextò, patet sanctitas Danielis, eo quod à Deo apud Ezechielem comparetur cum Noë & Iob, qui fuerunt sanctissimi. Tres ergo in orbe quasi

A soles iustitiae extiterant, Noë, Iob & Daniel. Vbi Nota. Cùm hoc dixit Deus, Daniel vivebat, eratque tantum 34. annorum, vt dixi Ezech.14.

Septimò, Daniel non tantum suæ, sed & alio- Septimò, rum fakutis & perfectionis fuit amantissimus: inde fuit vir mi- enim vocatur vir desideriorum cap.9.23. inde orans rē zelo/uit. pro populo, ei redditum è captiuitate Babylonica tum à Deo, tum à Cyro impetravit. Permansit enim Daniel in principatu & præfectura usque ad Cyrum, qui 1. anno suæ monarchiæ Iudæos è capiuitate dimisit. Inde denique tempus Christi redemptoris, eiusque nativitatis & passionis abbreviari petuit & impetravit cap.9.24.

Octauò, fuit Martyr: ob pietatem enim & in- Octauò, uocationem Dei Hebræorum, missus fuit in lacum fuit Mar- Ieconum, idque bis: esto Dei ope inde euaserit il- 17. leesus. Sic enim & S. Ioannes à Patribus vocatur

B Martyr, eò quod in dolium feruentis olei sit im- missus: esto inde illæsus Dei gratia exierit. Quin & in vetusto illo codice Basili Porphyrogeniti Imp. imaginibus & literis aureis exarato, qui exstat in Bibliothec. Vaticana, Daniel cum tribus pueris sub Attalo capite plexus depingitur, & subiecta scrip- tura historice enarratur. Cuius rei fides sit penes ipsum: nam nullus veterum Patrum vel histori- corum, quod sciam, hoc memorie prodidit.

Denique Daniel vixit & mortuus est in Baby- Mortuus & lone: noluit enim redire in Iudæam cum Esdra & sepultus est in Babylone.

C C Relatus est ab Ecclesia in catalogum Sanctorum, eiusque dies natalis in Martyrol. notatur 21. Iulij. Addit Dorotheus: Edi- dit & aliis regibus Persarum multa portenta, que scripta non sunt: mortuus est in Chaldea, ac in sepulchro regio solus cum honore sepultus.

Narrat Iosephus lib.10. Antiqu. Danielem apud Ecbatana Mediae turrim eximiam ædificasse, ut in ea sepelirentur reges Medorum, Persarum & Par- thorum, cuiusque turris custodiam vni de sacerdotibus Iudæorum credi & committi. Edificauit, in- quid Ioseph. lib.10. sub finem, apud Ecbatana Media turrim, opus pulcherrimum & singulari admiratione dignum, quod in hodiernum usque diem durat, & spectanti- bus recentissime structure videtur, perinde ac si ea ipsa die qua spectatur, esset absolutum: tantam nouitatis speciem, & tam integrum pulchritudinem habet, nihil omnino à longo tempore lesam, præter aliorum ædificiorum consuetudinem. Mos autem durat usque in præsens tempus, ut in ea turri sepeliantur reges Medorum, Persarum & Par- thorum, eiusq; custodia sacerdoti Iudaici generis hodie concreditur. Ante Danielem enim regum Persarum sepultura erat Persepoli, teste Strabone lib.15. & Diodoro Siculo lib.17. Cyrus vero sepultus fuit in Pasargide castello in loculo aureo, ait Arrianus lib.6. cùm hac inscriptione, ait Onesicritus: εν Ιωάδησι καιματι Κυρος βασιλευς Εαστηνων.

QVÆRES Tertiò, quænam sit huius prophetæ Danielis auctoritas, obscuritas & præstantia. Dico Primò. Semper hic liber apud Hebreos & Ca- tholicos habitus est canonicus, demptis quatuor

QVÆST.
Tertia.
qua sit hu-
i libri
auctoritas.

Semper hic
liber fuit
canonicus.

particulis, scilicet oratione Azariæ, hymno trium puerorum, historia Susannæ, item Belis ac draconis: de quibus suo tempore dubitauit Orig. Euseb. Apollin. qui historias has vocant fabulas, eò quod in Hebreo non extitit, teste S. Hieron. in prologo: iam tamen certum est haec omnia esse canonica, vt patet tum ex Conc. Trid. sess. 4. tum ex S. August. Athan. Cypriano, Chrysost. Greg. & passim alius Patribus, qui ea sèpè citant, perinde ac alias canonicas Scripturas; olim etiam eam Hebreo extitisse patet ex versione Septuag. Aquilæ & Teodotionis. Vnde enim ipsi ea in Græcum, nisi ex Hebreo textu, qui tunc exstebat, transstulerint? Perperam ergo Lyran. & Dionys. Carth. dixerunt has historias esse vereas, at non canonicas sacrae Script. sed illis hoc condonandum est, quia fuerunt ante Conc. Trident.

Nota ex S. Hieron. Ecclesia ante S. Hieron. in Bibliis vfa est versione Septuag. excepto Daniele: ibi enim vfa est versione non Septuag. sed Theodotionis hæretici Ebionitæ. Post S. Hieron. verò vfa est Ecclesia eiusdem Hieron. versione ex Hebreo: quæ autem in Hebreo Daniele non reperit Hieron. ea transstulit ex Græco Theodotionis.

Dico Secundò. Dattiel ceteris Prophetis antecellit obscuritate, & præstantia. Obscuritas Primò, patet ex varietate tum chronologæ, tum historiæ tam antiquæ, & in eius cum historicis Gentilibus (qui sèpè ab his diuersa, immò contraria narrant) conciliacione. Vnde S. Hieron. ad intelligentiam Danielis ait necessariam esse omnium historiarum, tam Latinorum, quæ Græcorum & Chaldaeorum cognitionem. Secundò, ex eo quod in Daniele crebra sit hysterologia, & præposterus ordo. Tertiò, quod Deus studio voluerit scripturam Danielis esse obscuram: ait enim c. 12. 4. Tu autem Daniel clade sermones, & signa librum.

Dico Tertio. Præstantia huius libri patet Primò, ex præstantia auctoris, de qua iam dixi. Secundò, ex materia præstantia, quæ Primò, historica est. narrat enim gesta 80. annorum, scilicet ab anno 3. Ioakim usque ad 3. Cyri: gesta, inquam, Chaldaeorum, Medorū & Persarum. Vnde S. Hieron. epist. 103. ad Paulinum, Danielem vocat omnium temporum consicum, & totius mundi polyhistorem. Daniel ergo historiam librorum Regum, quæ definit in captiuitate Babylonica, prosequitur, & continuat per totum tempus captiuitatis usque ad eius solutionem. Secundò, prophetica est: prædictit enim futura in monachiis lingulis, ac præfertim in regibus Syriæ, Seleucis & Antiochis, eorumque euersiones & successiones: item prædictit ortum, necem (cuitus annum solus Daniel definiuit, & 70. hebdomadibus determinauit) & regnum Christi: rursum Hierosolymæ & Iudeorum defolationem: denique resurrectionem universalem omnium. Tertiò, dogmatica est, itemque moralis: pulcherrima enim documenta & exempla virtutum suggestit, ut castitatis in Susanna, fidei & constantiae in tribus pueris, abstinentiae & devotionis in Daniele, humilitatis in Nabuchodonosor transformato in bestiam, temperantiae in Balsafare ob ebrietatem occiso. Denique iudiciorum & prouidentiae Dei clara hic passim eluent testimonia. Hac de causa Hebrei Danielē non inter Prophetas, vti Latini & Græci, sed inter hagiographa referunt.

Nota. Scriptus est hic liber initio, scilicet à c. 2. 4. usque ad finem capituli 7. chaldaicè: recenset enim Cornelius in Danielē.

A Chaldaeorum gesta & dicta. Deinceps scriptus est hebraicè, idque ab ipso Daniele, vt patet c. 8. 1. & c. 9. 2. & c. 10. 2. & Matth. 24. 15. Perperam ergo id negavit non tantum Porphyrius apud S. Hieron. hic, & Anabaptistæ nunc: sed & S. Isidorus, eo argumento, quod Daniel subinde de se loquatur in tercia persona. Verum hoc argumentum fruolum est: nam Hebreis id est familiare, vt patet Isaiae 1. v. 1. Ierem. 1. v. 5. & alibi.

QVÆRES Quartò, quis sit Scopus huius libri, & quænam eius partitio? Respondeo, Scopus est regnum Christi describere, quod c. 7. facere incipit. Quartæ nam & historiæ regum Babylonis, Medorum & Persarum, quæ primis sex capitibus proponuntur, & reliqua quæ c. 7. & 8. & 11. de quatuor regnum vicissitudine dicuntur, eò pertinent, vt omnia alia regna peritura, solium Christi regnum perpetuum fore intelligamus.

Hinc patet libri partitio. Tres enim sunt eius partes: Prima sex primis capitibus continetur, quibus res gestæ Danielis, & trium puerorum eius sociorum, enarrantur. Secunda sex alia capita comprehendit, quibus de regno Christi & Antichristi agitur, de uno regno Dei, & multis regnis mundi, aliis in alia transferendis. Tertia est duobus extremis capitibus, vbi Susannæ & Belis historia traditur, ita Maldon.

Porro alias Danielis de Babylonis & mundi exercitio prophetias recenset Epiphan. in Vita Danielis, & ex eo Dorotheus in Synopsi. Audi Epiphan. Ille Propheta (Daniel) in celsis montibus Babylonis monstrum annuntiavit, dicens: Vbi cernetis montem ex parte Bore, fumo denigratum, pro foribus Babylonis terminus imminebit. Quando verò ipsum flagrantem igne videbitis, aderit totius orbis finis. Sed cum ad Meridiem mons aquas propellat, remeabit populus in patrium solum, & condetur Ierusalem latè, campoq; patentiore, sicut factum est per Iesum pontificem & per Salathiel. Quod si denique mons iste sanguine cruentus manat, stragem portendit ipsius Beliar in toto orbe. Beliar videtur esse Antichristus. Verum horum fides sit penes ipsum.

Allegor. Daniel, vti & ceteri Prophetæ, fuit typus & imago Christi. Nam Primò, Daniel abdu- prius Christus in Babylonem, factusque seruus, ait in pte re- sti. presentauit Christum, qui è cælo in mundum hunc confusione plenum per incarnationem descendit, formam serui accipiens.

Secundò, abstinentis Daniel figurauit Christum abstinenter, pauperum cibo & modo viventem, ac ieiunantem per 40. dies.

Tertiò, Daniel Propheta, somniorum interpres, & mortalium sapientissimus, fuit idea Christi, qui est princeps Prophetarum, & Sapientia Patris, tum increata quæ Deus, tum creata quæ homo, qui arcana quæ hausit in sinu Patris, nobis enarravit, & eructauit abscondita à constitutione mundi.

Quartò, lapis abscissus de monte conterens statuam quadrigiformem, quam vidit Daniel cap. 2. est Christus de virgine natus, & virtute Spiritus sancti quasi abscissus, qui contrivit quatuor regna idolatriarum, suumque regnum celeste gratiæ & gloriæ induxit, & toto orbe propagauit. Rursum Daniel à rege præfectus toti Babyloniae figurat Christum, qui à Patre qua homo præpositus est toti mundo. Vnde ipse dicit Matth. 28. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra; ideoque in femore scriptum habet, Rex regum & Dominus dominantium, Apocal. 19. 16.

Nnnnn 3

Quintò,

Obscuritas
Danielis
vnde?

Liber hic
Primò hi-
storicus est,

Secundò,
propheti-
etas,

Tertiò, do-
gmaticus.

Partim
chaldaicè,
partim be-

Quintō.

Quintō, angelus similis filio hominis, qui tres pueros in fornace Babylonie illæsos seruauit, Daniel. 3. figura fuit Christi, qui nos ab igne gehennæ, & quæ ac concupiscentiæ liberat.

Sextō.

Sextō, Daniel c.4. interpretans somnium arboris succisæ; quod scilicet superbus Nabuchodonosor regno priuandus, & ad bestias relegandus esset, significat Christum, qui superbos humiliat, & humiles exaltat, quique superbos Imperatores Romanos, & reges toto orbe dominantes suæ fidei & cruci ceruices submittere compulit.

Septimō.

Septimō, Daniel c.5. per mane, tekel, phares, intentans impio Balsasari vitæ & regni excidium, allegoricè est Christus impiis intentans mortem, iudicium & infernum.

Octauo.

Octauo, Daniel c.6. quia adorabat Deum, ab æmulis satrapis accusatus, & missus in lacum leonum, significat Christum, qui ob Dei Patris obedientiam & cultum, à Iudeis inuidis & sevientibus instar leonum, ad crucem & mortem adactus, in lacum sepulchri quoad corpus, & in lacum inferni quoad animam descendit. Sed sicuti Daniel è lacu eductus, & vitæ quasi restitutus est: ita & Christus tertio die à morte, sepulchro & inferno gloriosus resurrexit.

Nonō.

Nonō, Daniel c.7. vidit antiquum dierum, id est Deum Patrem, in solio maiestatis sedentem, filio hominis, id est Christo, venienti in nubibus cœli, dare regnum & iudiciū, vt proterat Antichristum cum suis asseclis, vtque omnes populi, tribus & lingue ipsi seruiant: ac potestas eius sit potestas æterna, quæ non auferetur: regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo (Christiano) sanctorum Altissimi: cuius regnum regnum sempiternum est.

Decimō.

Decimō, Daniel c.8. vidit hircum, id est Alexandrum, Antiochum & Antichristum contra arietem, id est contra Darium, & contra Christum Christique fideles, tam Iudeos quam Christianos, mites & mansuetos, cornutantem, eosque ad necem persequentem.

Undecimō.

Undecimō, Daniel c.9. audit annum aduentus Christi, scilicet, quod 70. hebdomades abbreviatae sunt usque ad Christum ducem, vt finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum. Et post hebdomades 62. occidetur Christus: & non erit populus eius, qui eum negaturus est. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in medio hebdomadæ deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem persecuerabit desolatio.

Duodecimō.

Duodecimō, Daniel vir desideriorum, portenit Christum desideratum à cunctis gentibus, prouinde fuit desiderium collum æternorum, quique immenso zelo sitiit & procurauit omnium hominum salutem.

Decimo-

tertiō.

Decimotertiō, angelus vestitus lineis, accinctus auro obrizo, cuius facies quasi fulguris, oculi vt lampas ardens, &c. quem vidit Daniel c.10. representat Christum, vt patet Apocal. 1. 13. vide ea quæ utroque dixi. Rursum Christus est, qui ibidem Michaelem, Gabrielem, aliosque angelos Ecclesiæ suæ preficit, ac fidelium curam & tutelam eis committit.

Decimo-

quartō.

Decimoquartō, bella inter reges Aquilonis &

Austri, quæ vidit Daniel c.11. notant bella infiduum contra fideles, & Antichristi contra Christum: bellant enim fideles, non occidendo, sed moriendo fortiter pro Deo & Christo. Vnde ait v.31. quod ad breue tempus auferetur ab Antichristo iuge sacrificium, & dabitur abominationis desolationem. Et docti in populo doccebunt plurimes: & ruerent in gladio, & in flamma, &c. in captiuitate, & in ruina dierum, vt conflentur, & eligantur, & dealbentur usque ad tempus præfinitum, scilicet usque ad tres annos cum dimidio: quibus exactis Christus Antichristum cum suis asseclis profligabit in Apadno, & nemo auxiliabitur ei.

Decimoquinto. Daniel c.12. vaticinatur, quod Decimo- per Christum omnes de his qui in puluere terræ quinid. dormiunt euigilabunt, alij ad vitam æternam, alij in opprobrium vt videant semper. Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiant multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.

Decimosexto. Daniel c.13. iudicans damnans Decimo- que senes, ac Sussannam à calunnia absoluens, ty- sextid. sum gerit Christi iudicis, qui in die iudicij iustos cælo, iniustos gehennæ adiudicabit.

Decimo septimo. Daniel c.14. destruens Bel, & Decimo- draconem occidens, typus est Christi, qui idola in septimō. toto mundo confregit, & diabolo vires ademit, eumque eneuauit, & quasi occidit.

Tropologicè, Daniel repræsentat continentes, sapientes, præpositos, Religiosos, Prophetas, contemplatiuos: hi enim eius asseclæ sunt, posteri, & quasi filii. Quocirca Danielis, tam in abstinentia, Danielis As- sanctitate, miraculis & spiritu propheticō, quam fœla Daniel Stylita.

C Styli, qui Simeoni Magno Stylitæ quasi suppar successit. Natus est enim iuxta Tigrim in Mesopotamia, non longè à Babylone, in qua vitam egit & prophetauit, traductus eò ex Iudea, Daniel hic noster Propheta: cumque quinquennis needum haberet nomen, vir quidam diuinus dixit, illi à Deo imponendum esse nomen. Iussus ergo ipse ita puer, ex libris qui multi erant super altare, vnum afferre; Dei ductu attulit prophetiam Danielis, indeque pariter Daniel nominatus est: ac deinde instar Elisei, qui pallium Eliæ adeptus, cum eo pariter & duplice Eliæ spiritum hereditauit, dum à Simeone Stylita paulò ante mortem eius cucullum, per Sergium discipulum ad Leonem Imp. missum, sed ab illo non acceptum, accepisset eodem die quo Simeon mortuus est; factus est spiritus eius, & virtutis in miraculorum editione heres: ac columnam conscendit, iugiter in ea quasi in cruce stans, vt fecerat Simeon, idque fecit ex Dei vocatione, quam per somnum (vt Daniel hīc per somnia prophetauit) intellexit. In extasi enim vidit excelsam columnam nubis, & in capite columnæ stantem Simeonem Stylitem, sibiisque dicente: Huc ad me ascende Daniel. Cumque ille tam altè conscendere se posse diffideret, à duobus adolescentibus fulgidis sublatis, eò ascendit: quem Simeon amplexus, & in cælum tollens, clamauit, Esto foris Daniel, te strenuum ac robustum præbe, & sta pulchrè & generose. Hac visione roboratus conscendit columnam anno Christi 460. Ibiisque incendium urbis Constantinop. quod contigit anno Christi 465. prædictis illudque suis precibus restinxit. Porro regibus, & quæ ac Daniel, ob prophetiam & miracula

erat

erat formidabilis: nam Leonem Imperatorem à periculo mortis in equi ruina dum se visitaret, liberavit: serpentem horridum enecauit & disrupit, æquè ac Daniel draconem cap. 14. Zenoni Imp. prædictum fore, vt instat Nabuchodonosoris ex imperio expelleretur, & in exilio aleretur, præque cibi inopia herbis vesceretur, ac postea ab iis qui ipsum oderant reuocaretur, & ad imperium reuerteretur, in eoq[ue] vitæ finem acciperet. Quæ omnia ita ut prædixerat euenerunt. Basiliscum Imp. hereticum ad pedes suos procumbentem, sed fitte, increpauit, vocans eum thouum Diocletianum, eumq[ue] imperio priuandum prædictum. Obiit octogenarius, cùm stetisset in columna viginis nouem annos, anno Domini 489. coram multis, è celo visitantibus cum, Sanctis & angelis. Cyrus præfectus, cuius vxorem & filiam à dæmonie liberaratur, hoc columnæ eius epigramma insculpsit: *Hic stat vir, qui ventos quibus vindique imperitur, non timet: ambrosie autem vtitur alimento, & sitis est ex-*

pers humanae. Altis verò radicibus fundavit adficiun, columnæ dupli. Est enim radix Simeon, Filium predicans matris corruptionis expertis. Simeonis meminit, quia eius imitator, & quasi discipulus & successor fuit Daniel. Vtque ergo orbis fuit miraculum & portentum. Quocirca Danielis Stylitæ sanctitate & miraculis, Lazorum rex ab idolatria ad christianismum est conuersus, vt docet Baron. anno Christi 522. Fuit enim ipse planè instar nostri Danielis thaumaturgus, potensq[ue] tam opere, quam oratione & sermone. Quapropter super loculum eius dum sepeliretur, tres crucis per stellas efformatae, cùm dies esset, & sol luceret clarissimus; insuper & columbae candidissimæ apparuerunt. Rursum, illi quoque impositæ fuerunt reliquiae trium puerorum, qui erant Babylone; cùm sic iussisset Sanctus, ne tam illius reliquias, quam eos qui erant ei impositi adorarent accedentes: fugiebat enim omnem humanam gloriam. Hæc & plura habet eius Vita 11. Decembr.

C A P V T P R I M V M.

SYNOPSIS CAPITIS.



Daniel puer cum tribus sociis in Babylonem abductus, ibi educatur & eruditur ut regi adstet. Secundò, vers. 8. abstinet regio cibo & potu. Inde vers. 15. corporis formam, sapientiam & prophetiam à Deo nanciscitur. Denique vers. 18. regibus adstat usque ad Cyrus.

Vers. 1.



*A*nno tertio regni Ioakim regis Iuda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam;

2. & tradidit Dominus in manu eius Ioakim regem Iuda, & partem vasorum domus Dei: & asportauit ea in terram Sennaar in domum dei sui, & vas a intulit in domum thesauri dei sui.

3. Et erat rex Asphenez præposito eunuchorum ut introduceret de filiis Israel, & de semine regio & tyrannorum,

4. pueros, in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis, ut doceret eos litteras, & linguam Chaldaeorum.

5. Et constituit eis rex annonam per singulos dies de cibis suis, & de vino unde bibebat ipse, ut enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis.

6. Fuerunt ergo inter eos de filiis Iuda, Daniel, Ananias, Misael & Azarias.

7. Et imposuit eis præpositus eunuchorum, nomina: Daniel, Baltassar: Ananias, Sidrach: Misael, Misach: & Azarias, Abdenago.

Vers. 1.



*A*nno TERTIO REGNI IOAKIM] Dices, Jerem. 25. v. 1. & sequentib. dicitur id factum anno 4. Ioakim, ergo non tertio. Respondeo, 1. annum regni Nabuchodonosor inchoatum fuisse anno 3. Ioakim, & fini-

B tum anno 4. Ioakim. Vnde ea quæ gessit Nabuchodonosor anno 1. regni sui, dicuntur gesta esse nunc anno 3. nunc anno 4. Ioakim: coepit enim expeditionem contra Iudeos parare anno 3. eamque perfecit anno 4. Nota. Nabuchodonosor ter cepit & vastauit Ierusalem, scilicet primò hoc anno 3. Ioakim, cùm eum cepit, tuncque pariter captus & abductus est Daniel: sed cùm Ioakim Nabuchodonosori se subderet, eique tributum promitteret, ipse cum regno restituit, acceptis obsidibus, scilicet Daniele, & aliis è semitæ regio. ita Historia Scholast. cap. 39. in libr. 4. Reg. Verum cùm post 8. annos Ioakim tributum abnueret & rebellaret, venit secundò Nabuchodonosor anno 11. regni Ioakim, eumq[ue] dolo cepit, occidit, & extra urbem insepultum aibus & feris deuorandum proiici iussit. Hæc est enim sepultria asini, quam ei comminatus fuerat Jeremias c. 22.

C 19. Tuncque Nabuchodonosor pro Ioakim, regem creauit filium eius Joachin, filium Iechoniam; sed cùm is pariter post tres menses vellet iugum excutere, eum cepit, & abduxit, eiusq[ue] loco substituit patrum eius Sedeciam; qui cùm 11. annos regnasset, rebellauit. Vnde tunc tertio rediit Nabuchodonosor, anno regni sui 18. & urbemcepit, templum succedit, Sedeciam excœauit, omnesq[ue] Iudeos abduxit, & totum Iudeorum regnum exercit.

Aliter respondet R. Saadias, Lyran. Dionysius Carthusian. & Maldonat. scilicet annum hunc 3. computandum esse ab anno 8. Ioakim, eisq[ue] 11. & ultimum annum regni eiusdem: Ioakim enim octo primis annis fuit tributarius Nabuchodonosori, ideoq[ue] non tam rex fuit quam vasallus: anno verò 8. rebellauit, & se absolutum regem constituit: inde ergo annos eius hic numerat Daniel. Fauet quod Ezechiel & Jeremias nusquam

*Annus tertius Ioakim
an sit unde
eiusdem*

captiuitatis alicuius sub Ioakim, sed tantum sub Ioachin siue Iechonia meminerint, indeque suas prophetias numerent & consignent: imd, Ierem. cap. 52. v. 28. primos captiuos ē Iudaea in Babylonem traductos afferit anno 7 Nabuchodonosoris, qui coincidit cum anno 11. & ultimo Ioakim. ergo Nabuchodonosor nulos abduxit anno 1. regni sui, qui fuit 3. vel 4. Ioakim, cū ipse ei esset tributarius. Hæc sententia videtur probabilis: tamen communiter Euseb. & alij veteres primam captiuitatem consignant anno 1. Nabuchodonosoris, qui fuit 3. Ioakim; hoc enim simpliciter verba Danielis h̄c significant; vnde tunc aliqua videtur fuisse captiuitas, sed paucorum, scilicet, quod Daniel & pauci alij tunc fuerint abducti.

*Resp. nega-
tive.*

VERS. 2. IN TERRAM SENNAAR] in Babyloniam. Vide dicta Genel. 11. 2.

VERS. 3. ET AIT REX ASPHENEZ PRÆPOSITO EVNV-
CHORVM] Hinc Iosephus, Orig. homil. 4. super Ezech. Zonaras tom. 1. Annalium, & S. Hieron. lib. 1. contra Iouian. putant Danielē, & tres eius socios fuisse castratos, & factos eunuchos. Hoc enim communatus erat Deus Ezechiae, Isaiae 39. 7. De filiis tuis, inquit, qui exhibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Prisci enim reges Gentiles principum filios adsciebant sibi ministros, eosque intimos; ut quæ suarum vxorum & concubinarum integritati prospicerent, nequid circa eas molirentur, illos castrabant, vti etiamnum faciunt reges Sinarum, Turcarum, & aliorum infidelium. Quocirca illorum præfectus vocabatur præfetus eunuchorum. Eunuchi ergo erant regibus familiares, & principes non tantum gynæci, sed & aulæ, ac Præfides prouinciarum, ducesque exercituum apud Gentiles; quin & apud Constantium, Iustinianum (cuius exercitus dux fuit Narses eunuchus tot victoriis celebris) aliosque nonnullos Christianos Imperatores. Quapropter tunc esse eunuchum non erat proutrum, sed honor & de-
cūs, gradusque ad primas aulæ dignitates. Talis itaque videtur fuisse Daniel & tres eius socij: vnde de eorum vxoribus & filiis nihil vspiam legimus. Atque hæc fuit origo plenæ eorum castitatis, tam corporis quam animi, ab quam in fornace Babylonie ab igne manserunt illæsi, vti dicam cap. 3. Hac etiam de causa Daniel, licet fuerit grandæsus, passim tamen in vetustissimis imaginibus, qualis est illa Vaticani, quam initio libri expressi, pingitur imberbis quasi iuuenis: tales enim sunt euntichi. Hanc picturæ eius causam assignat vestitus Græcus anonymous Auctor libri qui inscribitur, Christianorum liber, expositio Octateuchi, qui extat in Biblioth. Vaticana, citaturque à Photio in Bibliotheca, qui afferit eum scriptum sub Iustino Imper.

*An Daniel
fuerit eu-
nuchus.*

Porro ex hac eunuchorum in aulis frequentia & potentia factum est postmodum, vt quilibet aulici vocarentur eunuchi. Atque ita Lyran. Maldon. & alij putant Danielē h̄c inter eunuchos, id est aulicos, collocari; non autem verè fuisse eunuchum, id est castratum. Idem afferunt S. Epiphian. & Dorotheus in Vita Danielis, qui & addunt eum non fuisse eunuchum, sed talem existimat ob virginalem verecundiam & castimoniam: vnde non mirum cum pingi imberbem quasi eunuchum. Hæc sententia verior videtur, & Daniel Propheta dignior: eunuchi enim apud Iudeos

erant infames, & arcebantur Ecclesia, idque ex decreto Dei Deuter. 23. v. 1. Quocirca Script. nusquam Danielē vocat eunuchum, nec eum gynæceo præfuisse, sed tantum regi educatum fuisse ad hōc vt regi assisteret, assisterat Idipsum quoque magis commendat castitatem Danielis, vtpote quæ non coacta fuerit & violenta, sed voluntaria planè, & ex electione libera.

DE SEMINE REGIO] Hinc patet, Danielē, & tres pueros ex Davide, Salomone, aliisque regibus Iuda esse prognatos. Iosephus afferit Danielē fuisse ex cognatione Sedeciae. Perperam ergo Dionys. Carthus. afferit, Danielē ex paterno genere fuisse tribus Leui, ex materno tribus Iuda: Scriptura enim paternum genus consignare solet, non maternum. Cū ergo h̄c Danielis genus referat ad reges Iuda, sequitur hoc eius genus paternum fuisse.

ET TYRANNORVM] Tyranni h̄c & alibi vo- Tyranni cantur principes: hi enim non à tyrannide, sed à vocabantur fortitudine & potentia olim vocabantur tyranni. principes à Nam, vt ait Trogus Pompeius apud Iustin. initio histor. primitus quæq; ciuitas & gens, rerumpubl. imperium penes reges habebat, quos ad huiusmodi fastigium maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouhebat; qui & tyranni ob fortitudinem dicebantur. vnde Virgil. 7. Æneid. Pār mihi pacis erit dextram tetigisse ty- ranni. Et Horat. lib. 3. ode 17. Latè tyranus, id est latè dominans, latum habens regnum. At postea ty- ranni nomen, crescente malitia, cū superbè reges regnare cōpissent, ad illos tantum translatum est, qui non iure & aequis legibus, sed vi, & quadam animi libidine dominab- bantur, ait Cicero lib. 4. de Finib. Id ita esse patet ex Hebraeo, vel potius Chaldaeo פָּרְתֵּה מִם parthe- mim, quod principes, præfectos, prouinciales significat. R. Ioseph, & ex eo Pagnin. & alij censem eos parthenim à Chaldais vocatos esse בְּרַת perat, id est Euphrate, quasi Perathæos, id est Euphra- tæos, hoc est qui præerant locis & prouinciis Eu- phrati adiacentibus, quomodo nos vocamus Comites Palatinos Rheni. Quocirca Theodotion in sua versione Græca retinuit nomen Hebræum Parthemim, vertens Phorthomim. Audi S. Hieron. Proph̄t̄p̄m, quod Theodotion posuit, Septuag. & Aquila Electos transtulerunt, Symmachus Parthos, pro verbo nomen gentis intelligens: quod nos iuxta editionem Hebreorum que κατά την Βερείδην legitur (sic alibi scribit solitam fuisse appellari ab Hebræis secundam Aquilæ editionem) in Tyrannos vertimus. Halluci- natut Theodor. dum παρθένοι putat esse παρθένες, Did est virgines.

PVEROS, &c. ERUDITOS OMNI SAPIENTIA] VERS. 4. Pueri erudi-
tati qui? Ref. Prim. Pro eruditos hebr. est פְּשָׁלִיל maskilim, quod H. Pintus vertit, erudibiles: erant enim adhuc pueri, ideoque imperiti, sed sapientiae capaces. Sic & Vatabl. Erant, inquit, hi pueri perspicacis & sagacis ingenij. Sic & noster Pineda de Rebus Salomon. lib. 3. cap. 13. Vbi dupliciter hunc locum explicat. Primò, per antepositionem, Et eruditos omni sapientia, &c. vt docerent eos literas, & linguam Chaldaeorum, hoc est, inquit, vt docerent eos literas Chaldaeorum, vt sic euaderent eruditū omni sapientia. Secundò, q. d. Requirebat rex in hisce pueris præviam sagacitatem, & perspicacitatem ingenij; tum etiam facundiæ, & scientiarum rationarium eruditionem, vt sic aptiores essent ad suprema aliarum rerum sublimium & arcanarum studia,

pro-

propria Chaldaeis. Chaldaeis enim ab astrologia, & sapientia olim erant celebres.

Secundò, eruditos, id est facundos & scire loquentes, ac de qualibet materia appositè discurrentes: hæc enim serè est sapientia aulicorum.

Tertiò, & magis genuinè idem Pintus, Maldon. & alij censem, hos pueros in omnibus disciplinis fuisse excultos & eruditos. Hoc enim propriè significat Hebr. *maskilim*, & Græcum *γνωμητας*, & Latinum *eruditos in omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina*. Aliud enim est doctus, aliud docilis: aliud est eruditus, aliud eruditibilis. Nec id mirum: erant enim hi regij iuuenes excellenti ingenio, ac simul studiosissimi. Hinc patet, hosce pueros non fuisse pusiones, vti Danielem vocat Epiphanius & Isidorus, neque Danielem trium, vt vult vir doctus; aut decem, vt vult Peregrinus; sed facile viginti annorum fuisse, vt docet Maldonatus. Vnde Septuag. eos vocant *reavioness*, id est iuuenes. Quis enim vimquam vidit pueros triennes aut decenes, eruditos omni sapientia, scientia & disciplina?

CAVTOS SCIENTIA] Pintus per *sapientiam* intelligit Philosophiam rationalem, id est Grammaticam, Rheticam, Dialecticam: per *scientiam* accipit Physicam, Metaphysicam, Mathematicam: per *disciplinam* accipit Ethicam, Politicam, Oeconomicam. Verùm melius per *sapientiam*, cognitionem rerum sublimium & diuinarum (Sic enim sacra Scriptura, S. August. & passim Doctores acciperè solent nomen *sapientiae*) accipias; per *scientiam*, cognitionem rerum naturalium; per *disciplinam*, prudentiam. Vnde ex Hebreo clare vertunt Septuag. *συνιέντες ἐν τέσσαροφίᾳ, καὶ γνώσασθαις γνῶσιν, καὶ διένοσμόν τις φρόνησιν*, hoc est, intelligentes *sapientiam*, scientes *scientiam*, cognoscentes *prudentiam*. Pro *cautos* enim Hebr. est *γνώστες*, id est *scientes*. Cauti ergo idem est quod solertes & sagaces in scrutandis abditis naturæ secretis & rerum causis, quales sunt Physici & Philosophi. Porro *disciplina* in Prouerbiis, & libris sapientialibus, qui continent Ethicam sacram, passim significat prudentiam rerum agendarum, quæ proprie Hebr. vocatur *τέλεση bina*, quod Noster v. 20. & alibi subinde vertit, *intellexus*. Fuerunt ergo hi pueri, id est adolescentes, Theologi, Philosophi & Politici. Noster Pineda lib. 3. de Rebus Salom. c. 14. *τὸν καυτὸν στοιχεῖον*, pro *cauta* & *captiosa* Dialectica positum putat, de qua Seneca epist. 82. *Verba*, inquit, *mihi captiosa componis, & interrogatiunculas ne-ctis: subula leonem excipis*.

Discant hic nostri aulici à rege Gentili, hisce omnibus disciplinis le expolire. Vera enī nobilitas non in genere, non in famulis, non in torquibus, non in pompa, sed in eruditione & virtute consistit, hæcque sunt monilia & decora nobilium.

Hinc Philippus Macedo pater Alexandri Magni eum Aristotelii erudiendum tradidit, cique in hæc verba scripsit: *Gratias ago diis, non quia natus est mihi filius, sed quia temporibus vite tue natus est. Spero enim fore, vt à te edocetus dignus existat & nobis, & tandem regno.*

Plutarchi discipulus fuit Traianus, indeque tantus Imperator eus sit, vt posteris Impp. in exemplum Augusto sit propositus, quibus illud acclamari solet: Sit Augusto felicior, Traiano melior.

Scipio Panætium Philosophum ita audiebat, vt eum etiam secum ad castra duceret,

A Augustus Cæsar Athenodoro magistro usus est: suosque ex filia nepotes tam litteraris, quam bellicis studiis excoli curauit, filias vero lanificio, certisque mulieribus artibus eruditæ iussit, Idem fecit Carolus Magnus.

Plato dicebat beatum fore orbem, si aut reges sapere, aut sapientes regere didicerint: testis est Aristot. lib. 2. Rhetor. Hinc olim apud Ægyptios nullus rex nisi sacerdos; nullus sacerdos nisi philosophus eligeretur.

Neque vero scientia principum tantum, sed & quorumlibet est decus. Aristot. censuit parentes qui liberos erudiendos curant, longè magis honorabiles esse iis qui solum gignunt: hos enim viuendi, illos etiam, bene beateque viuendi auctores esse.

B Aristippus naufragio in Rhodum electus, & ab incolis ob Geometriam liberaliter habitus, suis renuntiari iussit: Liberis vestris tales opes taliaque viatica parate, quæ ipsos etiam naufragium passos enatando sequantur.

S. August. in Confess. laudat suos parentes, quod se supra vires rei familiaris Carthagine in studiis aluerint: Mater enim mea, inquit, mulier prudissima doctrinas ipsas ad cognoscendam sustinendamque fidem Catholicam magno adiumento fore existimabat.

Crates Thebanus dicebat, Si licet, in altissimam urbis partem ascenderem, ac clamarem: Quorsum ruitis homines, qui totum studium in opibus corrogandis ponitis: filiorum vero vestrum, quibus illas relinquitis, erudiendorum curam non suscipitis?

C Apuleius de Deo Socratis: Si, inquit, laudas aliquem, quia generosus est, parentes eius laudas: si laudas aliquem, quia diues est, hoc fortunæ debetur: si quia validus, ægritudine fatigabitur: si quia velox, in senio id abibit: si quia formosus, expecta modicum, & non erit, sed si laudas, quia bonis moribus & artibus instructus est, tunc ipsum virum laudas: quia hoc bonum nec à patre hereditarium, nec à casu pendulum, nec ætate mutabile, nec cum corpore caducum est.

ET IMPOSVIT EIS PRÆPOSITVS EVNVCHO-
RVM, NOMINA Chaldaica; tum quia Chaldae nolebant eos in terra sua nomina retinere Iudeorum; sed quasi iam effectos Babylonis ciues & aulicos regis, volebant eos Babylonia habere nomina, inquit S. Hieron. tum vt Hebrei pueri cum Chaldaico nomine Chaldaicum animum & mores induerent. Sic & Pharaeo Iosephum vocavit

D Ægyptio nomine *saphanat phane*, id est saluatorem mundi, Genes. 41. 45. Sic & Romani nomen mutant extero quem virbe donabant. Sic Deus Saræ & Abrahæ, atque Christus Cephae nomen mutauit, vocans eum Petrum. Vnde & Cardinales facti Pontifices nomen mutant. Tradit Platina primum Pontificem qui nomen mutauit, fuisse Sergium Secundum, eò quod prius eius nomen indecorum esset, vocareturque *os porci*. Vt riū censet Baronius Pontificem primum qui nomen mutauit, fuisse Sergium IIII, qui prius Petrus dicebatur: idque ad reverentiam primi Pontificis, scilicet S. Petri: vnde post eum nullus Pontifex vocatus est Petrus. Ita Gentiles adulti in baptismo gentilitium nomen deponunt, & Christianum assumunt, putâ *Sancti* alichius, quem inuocant & imitantur.

Pontifex
qui primus
nomen mu-
tanuit, fuit
Sergius IIII.

Qua.

Qua de causa Daniel Stylita nostri Danielis nomen accepit, vti dixi in proemio: & quinque illi Martyres Ægyptij sub Diocletiano, quorum agon & triumphus celebratur in Vita S. Pamphili Martyris, quæ exstat apud Eusebium lib. 8. historiæ cap. 21. Qui à gentilismo conuersi ad christianismum, abdicatis prioribus gentilitiis nominibus, nostrorum Prophetarum nomina assumpsérunt, vocatiq; sunt Isaías, Ieremias, Samuel, Elias, Daniel; ac simul cælestem eorum mentem, vitam & mortem induerunt. Quocirca Cæsareæ capti professique se Christianos, rogati quænam eorum esset patria, respondit primus pro omnibus: *Ierusalem cælestis*. illam intelligens de qua dixit Paulus Gal. 4. *Quæ sūrsum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Et, *Accesisti ad Sion montem & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem.* Instante præside Firmiano: *Quæ & vbinam est illa ciuitas?* respondit: *Ez Christianorum est patria: nulli enim alijs p̄ter ipsos eius sunt participes.* Sita est autem ad Orientem, & ad ipsam lucem & solem. Cumq; præses aliam vocem ab eo extorquere non posset tormentis acerrimis; vt pote quæ Martyr fortiter sustinebat quasi nihil sentiens, inq; quasi carnis expers & incorporeus; cum cum sociis securi percussum, in cælestem illam Ierusalem laureatum ad Danielem, ceterosq; Prophetas transmisit. Horum diem natalem recitat Ecclesia 16. Februarij. Ita, vt alios taceam, nostri Danielis nomen accepit B. Daniel Ordinis S. Francisci, Minister prouinciae Calabriæ, vir miræ sanctitatis, i. mō Martyr: qui cum sex Fratribus sui Ordinis, ad Saracenos Septam profectus Euangelij & martyrij causâ, ab eis comprehensus ad mortem damnatus fratres suos ad martyrium exhortans, aiebat: *Gaudemus omnes in Domino diem festum celebrantes. Ad sunt enim angeli, celi ianua nobis patet, & hoc ipso die pariter accipiemus martyrij coronam in cœsti paradise.* Et ad iudicem conuersus instar nostri Danielis. O inueterato, ait, dierum malorum conuerteare à Mahometo ad Christum. Quocirca cum sociis capite plexus, gloriosum obiit martyriu in anno Domini 1221. die 8. Octobris, quinquennio antequam è vita decederet S. Franciscus, quem cum sociis canonizauit Leo X. anno Christi 1519. ita habet eius Vita.

Daniel dicitur Baltassar: unde? DANIELI BALTASSAR] A filio Nabuchodonosoris Balsasar, Daniel dictus videtur Baltassar, quasi dicas, Baal vel Beli occultus thesaurus, putat Belli sapientia. ita Maldon. Vbi Nota. Daniel non omnino idem nomen habuit quod filius regis: hic enim dictus est Balsasar, vt patet ex Chaldaeo & Latinis Plantin. (quare mirum est Septuag. & Romana Latina eum vocare Baltassar) Daniel vero dictus est Baltassar, vel, vt Chaldaeo, Beltesasar, addita litera tet: de qua re plura c. 4. §. Syriaca versio habet, Biltsciosser, id est idolum Bil, siue Bel.

Ananias, Misael, Abdenago, quid significant? ANANIAE SIDRACH] Hebr. Ananias, idem est quod nubes, vel protectio Domini: Misael, quis postulans, vel quis postulatus, vel abstulit Deus: Azarias, adiutor Deus. Chaldaicè Sidrach, idem est quod mamilla tenera, vel deprædatio delicata, vel missus tuus: Misach, prolongans vel attrahens, vel aquas vallans & lepiens: Abdenago, seruus claritatis, vel seruus anxius. Magis appositè & genuinè Scholia Syriaca, quæ Romæ exstant in Bibliotheca Vaticana & Medicca, hæc nomina ex lingua Syrochaldaica sic explicant: Sidrach, id est missilis: quia huc illuc ad negotia mittebatur. Mi-

A sach, id est mensa terræ, vel agri. Abdenago, id est seruus qui ingreditur & egreditur coram rege, id est cubicularius & intimus regi. Aut, vt alij expllicant, præpositus modo coquendi, vel ciborum præcipuorum regis. Vnde quis colligat, hæc tria officia in aula regis eis data vel destinata, ac inter eos distributa, atque ex eo officio cuique nomen inditum fuisse.

8. Proposuit autem Daniel in corde suo ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius: & rogauit eunuchorum præpositum ne contaminaretur.

9. Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiam in conspectu principis eunuchorum.

B 10. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem: Timeo ego dominum meum regem, qui constituit vobis cibū & potum: qui si viderit vultus vestros macilenteres præ ceteris adolescentibus coquisi vestris, condemnabis caput meum regi.

11. Et dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misælem & Azarium:

12. Tenta nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ad bibendum:

C 13. & contemplare vultus nostros, & vultus puerorum qui vescuntur cibo regio: sicut videris, facies cum seruis tuis.

14. Qui, audito sermone huiusmodi, tentauit eos diebus decem.

PROPOSUIT (cavere) NE POLLVERETVR DE VERS. 8. MENSA REGIS] Tum quia rex Ethnicus carnem porcinam, & alia lege Mosis vetita comedebat, cur Daniel recusat eis cibos regios. Prima. Secunda. quæ Danielem & Iudæos polluissent: tum quia deliciæ regiæ, & copia ciborum & vinorum, ad intemperantiam & gulam ac venetem alliciunt, per eamq; mentem & corpus polluant: tum quia Iudæi religiosiores mensas Gentilium vabant: tum denique, quod sèpè cibi hi regi Belo, Tertia. & aliis eius idolis iam antè erant oblati, aut eorum nomine benedicti: quod Iudæi excrabantur. Blasphemavit ergo hic Caluinus, dum ridet Danielis abstinentiam, eiusq; metum pollutionis, quasi puerilem, illamq; eius superstitioni & zelo indiscreto ascribit.

CONDEMNABITIS CAPVT MEVM REGI] Vc. VERS. 10. stra petitio, abstinentia & macies occasio erit, vt rex meum caput petat, condemnnet & amputet, eò quod contra eius iussum vos abstinere & macroscere permiserim. Vnde Scholiares Græcus τὸ condemned explicat per condemned faciat.

DENTVR NOBIS LEGUMINA AD VESCENDVM, ET AQVA AD BIRENDVM] Duas ob causas legumina, & aquam petunt. Primò, ne Malasar impensis in nouis cibis coemendis faciendas prætendere possit. Secundò, ob religionem ieunij, quo veteres Sancti carne & vino abstinebant, atque leguminibus & oleo vtebantur, vt patet cap. 10. v. 3. Daniel hic suam in Deum fiduciam ostendit: sciebat enim naturaliter fieri non posse,

vt ex leguminibus & aqua æquè ac ex carnibus & vino, pinguescerent.

VERS.14. TENTAVIT] Scholiastes, ἐδοκιμάσει, id est probauit. Sic & v. 12. pro tenta vertit, δοκιμάσσει, id est proba. Tentatio enim hæc fuit probatio, siue experimentum.

15. Post dies autem decem apparuerunt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris, qui vescebantur cibo regio.

16. Porro Malasar tollebat cibaria, & vinū potus eorum dabatq; eis legumina.

17. Pueris autem his dedit Deus scientiam, & disciplinam in omni libro, & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum.

VERS.15. APPARVERVNT VVLTVS EORVM MELIORES ET CORPULENTIORES] Hebraicè 'נְרָב berie, id est pinguiores; Septuag. ιχυπάθησαρξιν, id est, fortis carnibus. Quare, quod Epiphan. in Vita Danielis ait, eum aspectu fuisse aridissimum, ac nativo squalore oblitum, sed gratiae pulchritudine perquam speciosum, hoc de ætate eius grandiori accipi debet, cum ipse ieuniis & laboribus nimis succum corporis exhausit, vt patet Daniel.9. v.3. & cap.10. v.3. Hæc sanitas, pinguedo & decor non tam naturalis, quam supernaturalis fuit: tum quia legumina & aqua saniores quidem facere poterant, sed non pinguiores: tum quia fuit hoc præmium abstinentiæ, cuius, vti & castitatis, merito, diuinitus sapientiam tantum sunt adepti, vt eiusdem merito Judith c.10.4. fermositatem, & Samson fortitudinem est adeptus, Iudic.13.5. Naturaliter tamen hoc quoque iuuit abstinentia. Unde Nota, sanitatem & longævitatem non tam ciborum copia, quam temperantia procurari. Hæc enim fouet & nutrit humidum radicale, æquè ac calorem naturalem, quem intemperantia obruit & suffocat: præsertim, si accedat Primo, moderatum exercitium. Hinc Cyrus numquam prandebat, nisi sudasset, ait Xenophon. Idem faciunt nonnulli Indorum reguli, qui proinde ita vegeti & integri ad multam ætatem perdurant, vt cum sunt 70. annorum, tantum videantur esse 30. Secundò, animi tranquillitas & curarum vacuitas. Tertiò, mentis lætitia & hilaritas. Audi Scholam Salmiranam:

Si tibi defuerint medici, medici tibi fiant

Mens hilaris, requies (sommus) facilis, moderata dieta. Vide Lessum in crudito, æquè ac pio, hac de re libello.

Nota Secundò. Temperantia & abstinentia plurimum prodest. Primo, sanitati: consumit enim noxios humores, spiritusque vitales purificat & excavit. Secundò, castitati & virtuti: subtrahit enim nimium sanguinem, succum & spiritus, qui venerem, iram, aliasque passiones fouent & fuscitant. Tertiò, sapientiæ. De quo plura v.17.

VERS.17. PUERIS AVTEM HIS DEDIT DEVS SCIENTIAM, ET DISCIPLINAM IN OMNI LIBRO] Symmachus vertit, dedit eis Deus artem grammaticam: melius Theodot. dedit eis Deus prudentiam in omni re grammatica, siue in omni literatura, vt scilicet literas & libros (hi enim Hebr. vocantur γέροντες, & Græcè γέρουσαι) non tantum Hebreos, sed &

A Chaldæos, & quosvis alios legere, intelligere & explicare possent.

Nota. Sobrietas naturaliter confert ad scientiam: tum quia sanitatem tuetur, & vitam prolongat: tum quia caput facit serenum, spirituque animales facit liberos ac puros, aptosque ad speculum & meditandum: tum quia anima (qua^s vna est in homine, eademque simul est vegetativa, sensitiva & rationalis) limitata est virtutis & actiuitatis, ideoque quo minus occupatur cibo, cibique concoctione & digestione & egestione, eo magis intendere potest & solet studio & contemplationi, in eamque totam vim suam exercere. Hinc Salomon Ecclesiastæ 2. Cogitavi, inquit, in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum transferrem ad sapientiam, deuitemq; stultitiam: & Isaías cap. 28. Quem decebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum? ablactatos à lacte, aullos ab uberibus.

Ita homines ante diluvium carne & vino abstinentes, herbisque & fructibus vivitantes, fuederunt longævi & sapientes: vixerunt enim ad 900. annos.

Ita Nazaræi & Rechabitæ, à sapientia, æquè ac ab abstinentia, commendantur.

Ita Moses & Elias ieunio 40. dierum sapientiam, & visionem Dei meruerunt.

Ita Judith, Esther, Machabæi sapientiam illam & fortitudinem, qua Holofernem, Aman & Antiochum prostrauerunt, ieunio adepti sunt.

Ita Ioannes Baptista abstinentia quasi angelus euasit.

Ita Paulus primus cremita, Antonius, Hilarius, & tot Anachoretarum ac monachorum examina, vitam, quasi angeli quidam terrestres, in abstinentia, contemplatione & sapientia longævam duxerunt, vixeruntque centum & amplius annos.

Ita Coenobitæ olim, teste S. Hieron. perpetuo ieunabant, aquam bibentes, & solum panem cum leguminibus & oleribus manducantes.

Egregiè S. August.lib.10. Confess.cap.31. Hoc, ait, me docuisti Domine, vt, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam.

S. Ambros. Marcellinæ sorori, & sociabus eius virginibus hanc legem figit libr.3. de Virgin. Potus (fir) ex fonte, fletus in prece, somnus in codice.

S.Bernard.in serm.66.in Cant. Abstineo, ait, à vi- no, quia in vino luxuria est: aut si infirmus sum, modico vtor, iuxta consilium Pauli. Abstineo à carnibus, ne, dum nimis nutriant carnem, simul & carnis nutriant vitia. Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre, stare ad orandum redeat; & ne improperet etiam mihi Propheta, quia panem meum comederm in saturitate; sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me affescam, ne distensio ventris usque ad titillationem pertingat libidinis.

Idem ad Robert. nep. Prudenter sobrie, conuersanti, satis ad omne condimentum sal cum fame.

Idem in Formula honest. vitæ: Sicut ad crucem, sic accedas ad cibum; id est, numquam voluptate, sed necessitate pascaris; & fames, non sapor, prouocet appetitum.

Idem de Modo bene viuendi c. 24. Non nutrias carnem tuam vermis: ita m. induca vt semper esurias.

S. Catharina Senensis ad alimentum quasi ad tormentum accedebat, ac vocata ad mensam dicebat: Eamus & sumamus de peccatrice vindictam: cum ingenti enim dolore cibum sumebat, quem mox cogebatur relictare.

S.Ca-

Dodeci-
num.

S. Carolus Borromaeus dicebat, non tantum fu- A giendas esse delicias & voluptates, sed & perse- quendas & enecandas quasi capitales animæ hos- tes. Quocirca ipse miræ fuit abstinentia, vt tan- dem solo pane & aqua viueret. Sensim enim à paruis ad magna confundendo peruenit; doce- batque hac ratione facile ad summa cuiusvis virtutis pertingi; nimis prædictando hæc duo prin- cipia; Primum, vt à paruis incipiendo, eaque sen- sim augendo, semper proficias & crescas. Secun- dum, vt in eo non languescas, sed constanter reti- neas quod semel obtinuisti, & in eo pergas. Ita ipse, primò carne, deinde ouis, postea lacte absti- nens, tandem solo pane & aqua contentus fuit. Idem fecit in aliis virtutibus.

Denique Sanctus ille apud Socrat.lib.4.histor. c.18. Aridior, inquit, tenuior, vietus ratio, eaq; semper æquabiliter obseruata, modò cum charitate iungatur, B Christianos breui ad portum ἀπαθεῖται, id est vacuitatis ab omnibus animi perturbationibus, perducet. Addit S. Hieron.scribens contra Iouinian. ob ieunij con- sortium Mosen & Eliam apparuisse cum Christo in monte transfigurato, & ob ieunium tres pueros in fornace Babylonia mansisse illæfos, & Danieli fuisse reuelata mysteria, eumq; in lacu leonum mansisse intactum.

Audi & Gentiles ac Iudeos. Tradit Xenophon, antiquos Persas ad panem nihil nisi fastigium ad- hibere solitos: hinc apud eos turpe habitum spue- re, tamquam crapula nota. Mucus siquidem & sa- liua repletionis indices sunt & signa: repletio enim est que distillationes parit, ait Hippocr.libr.3. de Diæta. Quocirca Persæ sputi materiam exercitio, & abstinenti frugalique vita consumi volebant. Hinc & Plato libr. 3. de Republ. docet tempore Homeri cataphractum non fuisse cognitum, sed pri- mò ætate sua innotuisse, cùm non semel, vt olim, sed bis in die comedere, imò cōmessari coeperunt homines. Porro tunc Persæ ita frugales sapientia & virtute bellica floruerunt, orbisque imperium te- nuerunt per ducentos annos, scilicet à Cyro ad Darium, qui per delicias & vina imperium cum vita perdidit. Exstat apud Xenoph.lib. 1.aurea Cyri sententia. Cùm enim Astyages rex Medorum, Cyro nepoti ex filia Mandane, lautum regiumque epulum instruens, diceret: Nónne hæc cœna melior tibi videtur. Persicā? respondit Cyrus: Nequaquam ave, sed ist multo simplicior & directior via apud nos ad cibi satietatem, quam apud vos. Nam ad hanc deducit nos pa- nis & caro. At vos eodem quidem, quò nos, tenditis; per multas vero ambages sursum deorsum vagantes, vix per- unius ed, quò nos duum perrexeramus.

Secundum. Chærdeimus Stoicus tradit, & ex eo Pererius, priscos Ægyptios sacerdotes carne, vino, ouis & lacte semper abstinuisse: idque vt purissimis intentiis & acriis diuinis rebus vacarent, ardoremque li- bidinis restinguenter: atque hi Ægypti fuerunt sa- pientes & Astrologi.

Tertium. Esseni vino & carne sibi interdicebant, totiisque orationi & studio sacrarum Literarum vacabant, de quibus mira narrat Iosephus, Philo & Plinius: quinimò Porphyrius in lib. de Abstinentia ab esu animalium, asserit plerosque ex eis diuino afflatus spiritu vates extitisse.

Quartum. Eubulus rescripsit apud Persas tria fuisse Magorum genera, quorum primum (qui maximè sapientes & eloquentes existimabantur) præter farinam & ole- ra nihil citabat.

Bardesanes Babylonius tradit, Indorū Gymno- Quintum. sophistas solis arborū pomis, oriza & farina viuere.

Euripides in Creta Iouis vates carne & coctis sextum. omnibus abstinuit.

Socrates virtutis studiosos hortabatur, vt absti- nentiam colerent & delicias veluti Sirenes respue- rent. Idem rogatus qua re ab aliis hominibus dif- ferret, ait: Alij vinunt ut edant: ego verò edo ut vivam. Eiusdem est hæc sententia apud Xenophont.lib.1. de Dictis & factis Socratis: Videris, b Antiphō, felicitatem deliciis & diuinitatibus metiri: ego autem nullis qui- dem rebus indigere, diuinum; minimis verò, illorum esse duco, qui quām proximi superis, sint: & diuina quidem optima omnibus; qui verò diu appropinquant, proximos optimo existere.

Isteus Assyrinus, teste Philostrato, interrogatus, Ostanum, quænam essent epulæ suauissimæ; respondit: Ista curare desij.

Xenocrates tria tantum præcepta in templo Nonum!! Eleusinæ mansisse dixit, scilicet, Primò, veneran- dos esse deos; Secundò, honorandos esse paren- tes; Tertiò, abstinentum esse à carnibus. Huic similius est ternarius Plutarchi libr. de Ratione vi- ctitus: Tria, ait, sunt saluberrima, Primò, vesci citra saturitatem; Secundò, non refugere laborem; Tertiò, naturæ lemen conseruare: putà sobrietas, exer- citium & castitas. Aureum hoc est tuendæ sanitatis dogma.

Plinius ait, vinum esse cicutam hominius: & Seneca Decimum. ait, ebrietatem esse voluntariam insaniam.

Epicurus, licet voluptatis patronus, asserit ad Undecimum. iucundè & suauiter viendum, tenuitatem vietus conferre plurimum: & in epistolis suis testatur, se aqua tantum & pane vesci solitum.

C Seneca epist. 109. scribit se animalibus & esu Dodeci- carnium abstinere, ob rationes & exemplum Sex- mum. tij & Pythagoræ. Rationes Sextij erant: Prima, quod homini satis alimentorum sit citra sanguinem; & crudelitatis consuetudo fiat, vbi in voluptatem adduci- tur laceratio. Secunda, quod contrahenda sit materia luxurie. Tertia, quod valetudini contraria sint alimen- ta varia, & nostris aliena corporibus. Quarta, quod car- nes sint alimenta leonum & vulturum. Quinta Py- thagoræ erat, quod censeret animas hominum in alia & alia corpora, etiam animalium, transmigra- re. Itaque hominibus parricidij metum fecit, cùm posint in parentis animam insciij incurrire, & ferro morsiue violare, in quo cognatus aliquis spiritus hospitaretur. Vnde Pythagoras de suæ animæ transmigratione ita censuit:

D Æthalides fueram qui prisco tempore primum;

Troiano bello postea Panthoides;

Mox Hermotimus; post Pyrrhus; denique magnus

Pythagoras, Samij gloria magna soli.

Pythagoram secutus Empedocles ita de se canit:

Olim namque fui cespesq;, puerq;, puellaq;,

Et volucris celi, atque alti maris incola piscis.

De abstinentia Pythagoræ, Antisthenis, Diogenis, Apollonij Tyanæ mira habet Laertius, Plu- tarchus & Philostratus. Plura vide apud S. Hieron. lib.2. contra Iouinian. & Plutarch. in duabus orationibus de esu carnium.

DANIELI AVTEM (dedit Deus) INTELLIGEN- Danielis sa-
TIAM OMNIVM VISIONVM] Hinc patet, hanc sa- pientiam Danielis & sociorum eius, potius super-
naturalem quam naturalem fuisse; tum quia Deus
dicitur illis eam indidisse quasi speciale præmium
temperantia; tum quia eis indita fuit scientia in
omni

omni libro, id est omni scientia, ut h̄c dicitur; ad eoq̄e c.2.v.30. in Daniele dicitur fuisse sapientia maior, quām in vlo mortalium, eamque triennali non tam studio, quām abstinentia, pietate & oratione adeptus est, vt colligitur ex v.5. tum quia Danieli à Deo indita fuit prophetia & scientia interpretandi somnia: hæc autem supernaturalis est, neque est habitus permanens, sed illuminatio actu à Deo, certis temporibus quibus Daniel prophetebat, vel somnia explicabat, ei immissa.

Nota. Hoc præmium congruum est: decet enim teste S. Gregor. l.30. Moral. 18. vt qui carnalia respunt, sariant spiritualia, vtque qui ieiunant ventre, pascantur in mente. Vis ergo delectationes haurire mentales & cælestes, despice terrenas & brutales, sentielque illud S. Bernardi esse verissimum: *Gustato spiritu desipit omnis caro.* Sic vatem Gentilem quasi omniscium & pammantim celebret Gentilis Prophetæ, sed superstitione:

*Trojena interpres diuūm, qui numina Phœbi,
Qui tripodas, Clarij lauros, qui fidera sen:is,
Et volucrum linguas, & præpetis omnia penne.*

ET SOMNIORVM à Deo immisorum. De somniis & diuinatione vide dicta Genes. 40. & 41. & Pererium h̄c.

18. Completis itaque diebus, post quos dixerat rex vt introduceretur: introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor.

19. Cumque eis locutus fuisset rex, non sunt inuenti tales de vniuersis, vt Daniel,

A Ananias, Misael, & Azarias: & steterunt in conspectu regis.

20. Et omne verbū sapientiae & intellectus, quod sciscitatus est ab eis rex, inuenit in eis decuplū super eundem ariolos & magos, qui erant in vniuerso regno eius.

21. Fuit autem Daniel usque ad annum primum Cyri regis.

SUPER CVNCTOS ARIOLOS ET MAGOS] Qui VERS.20. nam hi fuerint dicam c.2.2.

FUIT AVTEM DANIEL USQUE AD ANNUM VERS.21. PRIMVM CYRI REGIS] q.d. Fuit Daniel in magna apud omnes reges Babyloni gloria & auctoritate; vixit in aula regis, Nabuchodonosori, eiusque posteris, ac Balsafari, charus & familiaris; idq; constanter & semper, donec Balsafat à Cyro & regno & vita spoliatus est. Daniel, inquit S. Hieron. usque ad primum annum Cyri, qui Chaldeorum destruxit imperium, potens fuit in Chaldea: postea vero à Dario in Medos translatus est. ita & Theodor. Perperam ergo Caluinus sic exponit: fuit, id est prophetauit, Daniel usque ad primum annum Cyri. nam & 3. anno Cyri prophetauit, vt patet c.10.1.

Secundò, tò usque ad annum primum Cyri, aliud h̄c latens innuit: nimirum, prædixerat Isaías c. 44. 28. &c. 45. 1. Iudæos per Cyrum è Babylone liberandos: significat ergo h̄c Daniel, se tempus illud ab Isaia prædictum vidisse, non quod plus non vixerit; sed quod eò usque vixerit, vt toto captiuitatis tempore Iudæos & auctoritate iuaret, & vaticinijs consolaretur. ita Maldon.

C A P V T . S E C V N D V M . SYNOPSIS CAPITIS.

VIdet Nabuchodonosor in somnio statuam portendentem quatuor imperia mundi, que à lapi de de monte absisso, id est à Christo, contrita est. Somnium hoc solus enarrare & explicare potuit Daniel v.19. Vnde à rege & Chaldais honoratur, totiq; Babylonie praeficitur v.46.

Verf. 1. IN anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & cōterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.

2. Præcepit autem rex, vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldaei: vt indicarent regi somnia sua, qui cum venissent, steterunt coram rege.

3. Et dixit ad eos rex: Vidi somnum: & mente confusus ignoro quid viderim.

4. Responderuntque Chaldaei regi syriacè: Rex in sempiternum viue: dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.

5. Et respondens rex ait Chaldais: Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium, & conjecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur.

6. Si autem somnium, & conjecturam eius narraueritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me: somnium

igitur, & interpretationem eius indicate mihi.

7. Responderunt secundò, atque dixerunt: Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem illius indicabimus.

8. Respondit rex, & ait: Certè noui quod tempus redimitis, scientes quod recesserit à me sermo.

9. Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est vobis sententia, quod interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciám quod interpretationem quoque eius veram loquamini.

10. Respondentes ergo Chaldaei coram rege, dixerunt: Non est homo super terram qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neque regum quisquam magnus & potens verbum huiuscmodi sci-

scitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldaeo.

11. Sermo enim quem tu quæris, rex, grauis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu regis: exceptis dijs, quorum non est cum hominibus cōuersatio.

12. Quo auditio rex in furore, & in ira magna præcepit ut perirent omnes sapientes Babylonis.

13. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebanturque Daniel, & socij eius, ut perirent.

14. Tunc Daniel requisuit de lege atque sententia ab Arioche principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.

15. Et interrogauit eum, qui à rege potestate acceperat, quā ob causam tā crudelis sententia à facie regis esset egressa. Cūm ergo rem indicasset Arioche Danieli,

16. Daniel ingressus rogauit regem, ut tempus daret sibi ad solutionem indicandam regi.

17. Et ingressus est domum suam, Annianæque, & Misaeli, & Azariæ socijs suis indicauit negotium:

18. ut quærerent misericordiam à facie Dei cæli super sacramento isto, & non perirent Daniel, & socij eius cum ceteris sapientibus Babylonis.

A Babylonem: sed mox Ioakim promittentem tributum & subiectionem, in regnum remisit.

Anno 8. regni, regem Ioakim rebellantem cepit & occidit, eiq; substituit filium Ioachin, quem post tres menses amouit, timens, ne Ioachin patrem Ioakim imitaretur, eiusque necem vlcisceretur, pro eoq; regem creavit Sedeciam.

Anno 18. regni sui, Ierusalem euertit, templum succedit, omnesque Iudeos abduxit.

Anno 23. vastauit Coelefriam, Ammonitas & Moabitas. ita Iosephus.

Anno eodem coepit obsidere Tyrum, eamque obsedit per 13. annos, quibus exactis eam expugnauit anno regni sui 35. vti ostendi Ezech. 29. 17.

Anno eodem 35. expugnauit Ægyptum, & factus est monarcha.

B Anno regni 37. qui fuit secundus monarchiæ eius, vidit somnium huius cap. & somnium arboris succisæ c. 4. portendens suam ē regno electionem, & transformationem in bestiam.

Anno regni 38. regno electus est, & mutatus in bestiam, atque per septem annos ut bestia inter bestias vixit.

Anno 45. sibi & regno est restitutus, ac paulò post mortuus.

Quoad nomen. Nota. Nomen prolixum & terrificum Nabuchodonosor, vt & pleraq; alia Chaldaeorum, compositum est ex tribus, scilicet Nabo, qui fuit Deus Chaldaeorum, Chad. & Netzar. Sic Nabopolassar componitur ex Nabo, Phul, & Asfar. Rursum, nunc vocatur Nabuchodonosor, nunc Nabuchodretſar, nunc Nabuchodletſar: quia Chaldaeī sèpè literas quæ vocantur liquidæ, intet se commutant, vt pro Letſar, dicunt Retſar & Netſar. Sic Nabonitum aliquando vocant Labonitum. Sic pro Belial Græci dicunt Beliar. ita Scaliger l. 6. de Emend. temp.

C VIDIT NABUCHODONOSOR SOMNIVM]

Somnium hoc fuisse diuinum, & à Deo immisum ad res futuras regi repræsentandas, patuit tum ex instinctu diuino, qui hoc suggerebat regi, eumque vigebat ad somnij huius declarationem inuestigandam, tum ex assertione Danielis somnium, hoc explicantis. Aptè imperia mundi per somnium hīc regi repræsentantur: quia quid sunt regna, omnesque res & spes mortalium, nisi somnia vigilantium? ait ex Platone Philo. Hinc &

Theodore. notat, hanc statuam non in se, sed per imaginem (vnde Septuag. pro statua vertunt, *imago*) & phantasma regi esse ostensam, vt Deus doceret superbum regem quanta sit humani supercilij vanitas, quamque variabiles sint res humanæ, & regnum regno succedat, cum Dei regnum sit constans & perenne. Imago, ait Theodore. figura rei est, non ipsa res: ostensa ergo sunt Nabuchodonosori monarchiæ in somnijs; quia nihil amplius sunt, quam phantasmata ludicra, nihil rei habentia, præter fictitiam pompam: unde & imago hæc speciem habet giganteam, & prorsus chimæricam. Quocirca Philo libr. Quod Deus fit immutabilis, hominem vocat somniorum ludum: talia sunt & regna, inquit magis. Nam, vt ait S. Basil. à veritate ad figuram magnus est delapsus: hīc autem monarchiæ sub hac hominis imagine decidunt & delabuntur ab homine eiusque vanitate: vaniores ergo sunt quam ipse homo sunt enim in star hominis non realis, sed phantasticæ, & in somnio repræsentati gigantis, eiusque ex varijs re-

Annus secundus monarchiæ Nabuchodonosoris fuit regni eiusdem 37.

VERS. I. **A** NNO SECUNDO] Dices, c. i. v. 1. 4. & 5. dicitur quod anno tertio Ioakim, qui fuit primus Nabuchodonosoris, Daniel fuerit puer, indeque tribus annis, scilicet usque ad 4. annum Nabuchodonosoris, fuerit eruditus in literis Chaldaeorum; quomodo ergo hīc dicitur, quod Daniel anno 2. Nabuchodonosoris prophetarit, cīque somnium explicarit? Respondeo, hunc annum 2. Nabuchodonosoris, non esse 2. regni eius, sed monarchiæ, qui regni eius fuit 37. transmigrationis verò Ioachin fuit 29. Daniel autem fuit 57. Nam Daniel anno 1. Nabuchodonosoris, quo ductus est in Babylonem, erat 20. annorum, vti dixi in procēdio. Somnium ergo hoc regis, vti & illud cap. 4. interpretatus est Daniel anno ætatis sue 57. D qui fuit ante Christum annus 573.

Nota. Nabuchodonosor anno regni sui, non 27. vt vult Pererius, sed 35. qui fuit transmigrationis Ioachin 27. vastauit Ægyptum, aliasque vicinas gentes, tumque factus est monarcha. Id ita esse patet: nam eo ipso anno prophetauit Ezechiel c. 29. v. 17. & c. 30. v. 3. quod à Chaldais mox vastanda esset Ægyptus. hic ergo annus 2. Nabuchodonosoris, est secundus à vastata Ægypto, vti deserte assertit Iosephus libr. 10. Antiq. 11. ac consequenter est secundus à monarchia eius. ita S. Hieron. Perer. Maldon. & alij.

Chronologia vita Nabuchodonosoris. Nota. Hæc est chronologia gestorum Nabuchodonosoris: Nabuchodonosor anno primo regni sui venit Hierosolymam, indeque captum & vincitum Ioakim, cum Daniele & alijs duxit

num figuris quasi centonibus conflati & consuti, ut Ait Tertullianus.

Denique sicut metalla visa in hac statua hominis, in terra visceribus à Deo vi Solis efformantur: ita regna omnia terrena sunt, sed à Deo efformata disposita & ordinata, ut ait Apost. Rom. 13. v. 1. Deus ergo quasi auriga frēnat & regit reges & regna. Mystice in hoc somnium regis scripsit pium & eruditum tractatum, de eruditione interioris hominis, Richard. Victor.

VERS. 2.

Arioli qui?

Magi.

Malefici.

Chaldei.

UT CONVOCARENTVR ARIOLI, ET MAGI, ET MALEFICI, ET CHALDAEI] Arias Montanus, & alij varie hæc distinguunt. Verum S. Hieron. Arioli, inquit, dicuntur qui veribus rem peragunt, aut ex characteribus (hoc enim innuit Hebr. טרטיפ' charatum in, à radice חָרַת charat, unde Græcum χαράχειν & χαραγτή) diuinant, &c., ut Septuag. vertunt, sunt ἐποιδοι, id est incantatores. Magi sunt, qui philosophantur. radix enim חָרַת haga, significat meditari & speculari. Malefici sunt, qui sanguine vivuntur & vivi nisi, & sepè contingunt corpora mortuorum. Malefici ergo ex extis & cadaveribus futura diuinant, & manes animaliaque mortuorum inuocant. Rursum malefici hebr. vocantur מְכַשֵּׁבִים mecessiphim, id est, præstigiatores qui incantationibus & prestigijs suis oculos hominum perstringunt, ut eis videantur rem vnam in aliam mutare, quales fuerunt magi Pharaonis in Exodo. ita R. Abraham, Maldonat. & alij. Chaldei erant astrologi & genethliaci, quos vulgus Mathematicos vocat, qui ex inspectione siderum & diei natalis futuri homini predicebant.

Quæres, Cur cum his non fuit vocatus Daniel, cuius sapientia tum erat celeberrima? Resp. Quia Chaldei sibi suisque sapientiam arrogabant, atque Danielis famæ inuidabant, eiisque hanc gloriam somnium hoc regis interpretandi præripere volebant. ita Perer. & Pintus. Adde, rex iam penè oblitus erat Danielis: fluxerant enim iam 34. anni à primo Danielis ad regem aduentu.

Aliter respondet Maldonat. scilicet regem existimat Daniel quidem esse sapientissimum in omni sapientia humana, non autem in diuinatione, & arte ariolandi, vel somnia exponendi: sciebat enim Iudæis per Mosen vetitos fuisse magos, ariolos & diuinantes per somnia, Leuit. 19. 31. & Deuter. 18. v. 10. II.

Nota, hæc omnia facta esse consilio Dei, ut hac ratione rex agnosceret suorum sapientum & dæmonum vanitatem, atque Danielis & Dei veritatem. Hanc enim eum tandem agnouisse patet c. 3. v. 96. & 100. ita S. August. tract. II. in Ioan. S. Hieron. Rupert. & alij.

SYRIACE] Id est chaldaicè, quæ ipsorum nativa lingua erat, quæque olim dicta est Syriaca, ad distinctionem linguae Hebreæ. Erat tamen hæc lingua diuersa à moderna Syriaca, & à Syria ca illa qua conscriptum extat nouum Testamentum; diuersa, inquam, non tam verbis & vocibus, quam dialecto, uti Græca Attica differt ab Æolia & Dorica.

Sed cur ait Daniel eos syriacè esse locutos? Respondeo, Ne quis miraretur si eorum verba recitaret syriacè, uti ab eis prolata sunt, quod facit ab hoc versu & deinceps, usque ad initium c. 8. quare nulla est hæc paraphrasis Chaldaica, uti est in alijs Prophetis, eo quod ipse textus hæc sit Chaldaicus.

Cornel. in Danielum.

REX IN SEMPER TERNVM VIVE] Hinc videtur, VERS. 4. quod Chaldaei, id est Gentiles, habuerint cognitionem immortalitatis animæ, & vitæ æternæ. Gentilium hæc de re testimonia fusè hæc recenset Hector Pintus.

SERMO RECESSIT A ME] Sermo, id est, res VERS. 5. quam somniaui, q.d. Scio me somniasse ex generali quadam somniū umbra & specie, quæ in me remansit, atque ex phantasie & mentis conturbatione; sed in particulari quid somniauerim oblitus sum, illudque à vobis mihi reficari & enarrari volo.

Exstat pulchrum ænigma somniū, estque hoc:
Sponte mea veniens variis ostendo figuris,
Fingo metus varios, nullò discrimine veri.
Sed me nemo videt, nisi qui sua lumina claudit.

NISI INDICAVERITIS, &c. PERIBITIS] Chaldaicè est חַדְמִין הַדְמִין teabdin, fructus, in frusta concidemini. Minatur illis mortem nisi verè rem indicent, tamquam seductoribus: sic enim magos & diuinos, tamquam fallax & perniciosum hominum genus, Moses, Constantinus, Theodosius, & alij Imper. morte multarunt. Nota. Hoc postulatum & decretum regis à parte rei erat iniustum. nec enim est homo, licet solertissimus & sapientissimus, qui Iomnia secreta, præsertim iam præterita, multò minus qui eorum significationem reuelare possit. Angelis tamen ea nota esse possunt: ipsi enim vident nostra phantasmatā, vt pote corporea. Ex parte tamen magorum & Chaldaeorum non erat iniustum: quia ipsi, vt pote astrologi iudicarij, & Genethliaci, profitebantur se ex siderum inspectione, & ex magia nosse occulta, & futuros rerum eventus, etiam liberos. Non enim iniustus est, qui à Professore exigit id ipsum quod profitetur. ita Anton. Fernand. vistone 21. c. 2.

TEMPVS REDIMITIS] Hoc est, ut Scholast. VERS. 8. prorogationem venamini.

QVOD INTERPRETATIONEM QVOCY FAL- VERS. 9. LACEM, &c. COMPOSVERITIS] q.d. Nisi ipsum somnium meum enarraveritis, dicam ego etiam vos somniū interpretationem (quam de more scio vos datus, ut opinionem vestræ sapientiæ tuamini) comminisci & fingere, itaque vestris figurantis me fallere, donec tempus vel in somnio præfinitum, vel à vobis interpretatum (aut potius interpretandum: nequidem enim somnium, vt pote ignotum, interpretati erant, sed illud à rege sciliciterunt, ut cum audierint interpretentur), petrificat, idque eo consilio, ut, si videatis vestra commenta, quæ nunc mente fabricatis, ex euentu redargui, illa nouo commento & fallaci interpretatione tueamini. ita S. Hieron.

SAPIENTES INTERFICIEBANTVR] Hinc col- VERS. 13. ligitur aliquos imperfectos facili. Hanc regis sententiam, vt pote generalem, prædicti etiam ad Danielem & socios, vt pote eruditos & sapientes, extenderunt, eosque ad necem quatierunt, esto forte rex de iis non cogitaret,

VT QUÆRERENT MISERICORDIAM A FA- VERS. 14. CIE DEI CALI SVPER SACRAMENTO ISTO] Sacramentum vocat arcum somniū regis: idem v. leq. vocat mysterium: misericordiam vocat somniū patefactionem, tum quia eam sibi non ex meritis, sed ex Dei gratia dari petebant; tum quia ex hac Dei gratia & misericordia ipsorum vita pendebat: q.d. Orabant Deum ut sibi patefaceret mysterium.

ooooo 2

Somnij, itaque ipsorum viæ miseretur, eamque à certo mortis periculo, in decreto liberaret.

19. Tunc Danieli mysterium per visionem nocte reuelatum est: & benedixit Daniel Deum cæli,

20. & locutus ait: Sit nomen Domini benedictum a seculo & usque in seculum: quia sapientia & fortitudo eius sunt.

21. Et ipse mutat tempora, & ætates: transfert regna, atque constituit: dat sapientiam sapientibus, & scientiam intelligentibus disciplinam:

22. ipse reuelat profunda & abscondita, & nouit in tenebris constituta: & lux cum eo est.

23. Tibi Deus patrum nostrorum confiteor, teque laudo: quia sapientiam & fortitudinem dedit mihi: & nunc ostendisti mihi quæ rogauius te, quia sermonem regis aperuisti nobis.

24. Post hæc Daniel ingressus ad Arioch, quem constituerat rex ut perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est. Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo.

25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regem, & dixit ei: Inueni hominem de filiis transmigrationis Iuda, qui solutionem regi annuntiet.

26. Respondit rex, & dixit Danieli, cuius nomen erat Baltassar: Putasne verè potes mihi indicare somnum, quod vidi, & interpretationem eius?

27. Et respondens Daniel coram rege, ait: Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare regi.

28. Sed est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicavit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventuta sunt in nouissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo huiuscmodi sunt.

29. Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.

30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me plus quam in cunctis viuētibus, sacramentum hoc reuelatum est: sed ut interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tux scires.

A somniantibus subinde accidit. Alij idem cum somniasse dicunt, sed postea in vigilia reuelatum ei esse, hæc omnia esse vera & certa, non somnia. Verum non necesse est dicere, aliam visionem, vel certificationem Danieli vigilanti oblatam esse, quia certior fieret hoc somnium sibi immissum esse à Deo, esseque idem cum somnio regis. Prophetæ enim siue in somnis, siue in vigilia acciperent oracula à Deo, hoc ipso simul à Deo reddebantur certi hæc esse oracula Dei, non visiones phantasticas, nec somnia. Significationem autem harum visionum, vel symbolorum, aliquando simul, aliquando postea, præsertim in vigilia accipiebant. Ita enim contigit Danieli c. 7. v. 16. & c. 8. 15. & c. 10. 11. & Zacharie c. 4. 5. & c. 6. 5.

Quæres, vter hæc fuerit Prophetæ, an rex somnium futurorum præfigum videns, an Daniel illud ex spiritu Dei refricens, & explicans? Resp. Daniel fuisse propriè dictum Prophetam, eumque perfectum, non regem, nisi inchoatè & materialiter. Audi S. August. libr. 12. de Genesi ad litter. cap. 9. Quibus, ait, signa per alias rerum corporalium similitudines demonstrabantur in spiritu, nisi acceperisset merti officium, ut etiam intelligerentur, nondum erant Prophetæ; magis Propheta erat qui interpretabatur quod alius vidisset, quam ipse qui vidisset: itaque magis Joseph Propheta, qui intellexit quid significarent septem spicas, & septem botrys, Genes. 41. quam Pharaon qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est ut videret, huius mens illuminata est ut intelligeret. Ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia: quia in illo rerum imaginatio, in isto imaginationum interpretatio. Minus ergo Prophetæ, qui rerum quæ significantur sole ipsa signa in spiritu, per rerum corporalium imagines videntur, & magis Propheta, qui sola earum intellectu præeditus est: sed & maximè Prophetæ, qui utroque præcellit, ut & videat in spiritu corporalium rerum significativas similitudines, & eas vivacitate mentis intelligat. sicut Danielis excellentia tentata & probata, qui regi & somnum quod viderat dixit, & quid significaret aperuit: quippe & ipse imagines corporales in spiritu eius expressæ sunt, & earum intellectus reuelatus in mente. Sic & S. Gregor. lib. 11. Moral. 12. qui tamen in eo discrepare videtur a S. Augustino, quod in sola visione imaginum in mente, negat esse prophetiam, perfectam intellige; cum S. August. eamdem vocet prophetiam, scilicet inchoatam, materialem & informem. quod non negat S. Gregor. in re ergo consentit cum S. August. licet in phrasi & modo loquendi differentiant. Symbola ergo visa, sunt quali materia prophetæ; forma est eorumdem interpretatio, & per ea futurorum prænotio & prædictio: in hac enim prophetæ ratio & natura consistit.

QVIA SAPIENTIA (qua futura præuidet) ET VERS. 20. FORTITUDO (qua tam suauiter quam fortiter eamdem disponit, regit & mutat ad libitum eius [Dei] SVNT] Vnde explicans subdit:

ET IPSE MUTAT TEMPORA ET ÆTATES: VERS. 21. TRANSFERT REGNA ATQUE CONSTITUIT] q.d. Deus singulis monarchijs, regnis & regibus suum tempus, vicissitudinem, terminum & translationem constituit, ut v.g. Assyriorum monarchia tot annis staret, & deinde transferretur ad Babylonios: hæc staret in Nabuchodonosore & Balsatore, inde transferretur ad Medos & Persas: hæc ad Græcos: hæc ad Romanos: hæc ad Christum.

VERS. 19. TUNC DANIELI MYSTÉRIVM PER VISIÖNEM NOCTE REVELATVM EST] An visio hæc Danieli vigilanti, an dormienti à Deo sit obiecta incertum est. Maldon. putat Danielem somniasse, quod rex vidisset talem statuam qualem postea cum vidisse dicit, simulque quid singulæ eius somnij partes significant, quod nobis etiam

VERS. 22. IPSE REVELAT PROFVNDA, ET ABSCONDITA, ET NOVIT IN TENEBRIS CONSTITUTA] Tria genera rerum, inquit Perer, solum Deo per se cognoscibilia sunt: Primo, profunda, id est supernaturalia, vti sunt mysteria Trinitatis, incarnationis, Eucharistiae. Secundo, abscondita, id est, arcanae cordium cogitationes & intentiones. Tertio, in tenebris constituta, id est futura contingentia: haec enim praesentiam & lucem adhuc fugiunt.

Triarum genera à sole Deo cognoscuntur.
ET LVX CVM EO EST] q.d. Deus est ipsa lux & sapientia increata & immensa, omnia cognoscens & illuminans, estque fons omnis lucis & cognitionis angelicæ & humanæ. Vide S. Dion. de Diuin. nom. c. 4. & 7.

VERS. 23. SAPIENTIAM ET FORTITUDINEM DEDISTI MIHI] Dedisti, non realiter, sed mentaliter, hoc est, dedisti ut cognoscerem, siue declarasti. Dare enim hinc significat actum mentalem, iuxta can. 29. q. d. Reuelasti mihi tuam sapientiam & fortitudinem, quam ostendis in dispositione & commutatione regnum & imperiorum, vti dictum est v. 20. Vnde explicans subdit: Et nunc ostendisti mihi que rogauiimus te, quia sermonem regis aperisti nobis.

Vers. 29. COGITARE COEPISTI, &c. QVID ESSET FUTVRVM POST HÆC] quem exitum regnum tuum, putâ regnum, Chaldaeorum, esset habitum, an, quando, & in quos foret transferendum. Nota. Daniel hinc retulat regi secretas cogitationes cordis eius, item præterita eius somnia, quæ ipse erat oblitus. Actus enim prophetæ latè sumptæ varij sunt, scilicet, Primo, absentia, & quæ in locis remotis sunt reuelare; Secundo, cordis arcana præsentia pandere; Tertio, præterita arcana vel cogitationum vel somniorum enarrare; Quartò, ea deinde, si diuina & symbolica sint, explicare; Quinto, futura prædicere; Sexto, Dei consilia, decreta, minas & promissa patefacere; Septimo, angelorum cogitata, dicta & acta explicare. Hæc omnia hoc libro præstat Daniel.

VERS. 30. MIHI QVOQVE NON IN SAPIENTIA] non per sapientiam, q.d. Hoc somnium tuum ô rex, per nullum habitum, vel actum scientiæ, aut sapientiæ naturalis, sed per solam Dei revelationem scribi & cognosci potest, & per eam solam ego id scio. Dicit hoc Daniel, tum vt Deo prophetæ donum acceptum referat, tum vt regem ad viius Dei veri hæc reuelantis cognitionem, fidem & cultum pelliciat.

IN SAPIENTIA QVÆ EST IN ME PLVS QVAM IN CVNCTIS VIVENTIBVS hoc ævo & sæculo. Nō enim Daniel sapientior fuit Adamo in paradiſo, aut Salomone; multò minus Christo, B. Virgine, Apostolis, &c. Porro dixit hoc de se Daniel, non ex spiritu vanitatis, nec ex se, sed motus & compulſus à Spiritu sancto, cuius ipse fuit quasi os, & quæ ac calamus.

Moraliter hinc disce, non esse præter vel contra humilitatem, agnoscere in se & confiteri dona Dei, sed potius esse actum humilitatis & gratitudinis. Humilitas enim est veritas: ergo verè agnoscit dona quæ habet, sed ita, vt pariter agnoscat se ea non habere ex se, sed à Deo, cuius est omne datum optimum, & omnis sapientia: haec enim descendit à Patre luminum. Quocirca ea agnoscens in se sanctus, inde non superbit, sed potius fit humilior, magisque gratias agit Deo, ac magis se fundat in timore Dei. Nam, vt ait S. Gregor. hom. 9.

Cornel. in Daniel.

A in Euangel. Cum augmentur dona, rationes enim crescent donorum. Tanto ergo esse humilior, atque ad seruendum Deo promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. Sic Paulus de se ait 1. Cor. 15. 10. Gratia Dei sum id quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi: non ego autem, sed gratia Dei mecum. Et S. Ioannes sibi dat hunc titulum, Discipulus ille quem diligebat Iesus. Et, Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hec, & scimus, quia verum est testimonium eius, Ioan. v. 24. Ecclesia enim probauit hoc eius testimonium & Euangelium. Sic Moses de se ait: Erat enim Moses vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra, Numer. 12. v. 3. Sic S. Franciscus agnoscebat in se miram Dei gratiam & sanctitatem, sed simili agnoscebat se esse maximum mundi peccatorem. Quocirca hæc eius erat crebra oratio: Domine quis tu? quis ego? tu abyssus esentia, sapientia, sanctitatis & honorum omnium: ego abyssus nihil, ignorans, concupiscentia, peccatorum, & malorum omnium. Vnde cum accepisset à Christo crucifixo sacra stigmata, velletque ea occultare, iussus fuit ea pandere. Nam vt ait angelus Tobiae c. 12. v. 7. Sacramentum regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum est.

31. Tu rex videbas, & ecce quasi statua una grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.

32. Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære,

33. Tibiæ autem ferreæ, pedum quædam pars erat ferrea, quædam autem fictilis.

34. Videbas ita, donec abscessus est lapis de monte sine manibus: & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos.

35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta quasi in fauillam æstiuæ areæ, quæ rapta sunt vento: nullusque locus inuentus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit uniuersam terram.

36. Hoc est somnium: Interpretationem quoque eius dicemus coram te, rex.

STATVRA SVBLIMIS] Chald. splendor eius præstantis; vel, vt Pagnini. verit, gloria eius sublimis; Leo Hebr. forma eius eximia, scilicet propter radians aurum, argentum, æs & ferrum, ex quibus conflata erat statua. Habebat enim caput aureum, pectus argenteum, ventrem & femora ænea, pedes ferreos & fictiles. Vnde Arabicus verit, caput eius aurum; pectus eius & brachia argentum; venter, femora & crura eius ferrum; & pedum quædam (quædam pars) ferrum, & quædam testa figuli; & Syrus, caput eius auri boni: pectus eius & brachia argenti: venter eius & femora æris: tibiæ eius ferri. Auri, id est ex auro, argento, &c. Significabat hæc statua vicissitudinem quadriforum quatuor imperiorum maximè florentium (quæ misere sym vulgo monarchias vocamus, sicut regem Hispaniæ, & Imper. Turcarum vocamus Monarchas, nomen quæbatur.



ob amplitudinem regnotum : esto toti orbi non dominentur) quorum vnum alteri immediate successit, prius cuertendo, scilicet Chaldaeorum, Persarum, Græcorum & Romanorum. Præterit ergo h̄c alia regna humilia, angusta & obscura, sicut fuit regnum Sicyoniorum, Atheniensium, Lydorum, &c.

Cur una est, nō quatuor.

Nota. Quatuor h̄c regna comparantur vni statuē, nō quatuor : quia vnum alteri successit, & ex eo quasi natum est, sicut in statua vna pars alteri succedit, & inseritur. Rursum, quia respectu orbis terræ, & respectu temporis in quo fuerunt, vnum quid fuerunt : quia vnuus est orbis, & vnum continuum tempus : sed maximè respectu summi monachæ, put̄a Dei, qui orbem regit ; & Christi, in quem desierunt, vnum quasi regnum fuerunt : vnum inquam, Primò, continua successione ; Secundò, loco ; Tertiò, fine & termino, vti iam explicitui.

Cur alia regna præterit Daniel.

Causa Prima.

Quæres, cur h̄c aliorum regnorū æquè potentium, imò potentiorum, vt Affyriorum, Medorum, Parthorum, Scytharū, Tartarorum, Chinensium, Turcarum, non meminit Daniel ? Respondeo, Causa prima & præcipua est : quòd Nabuchodonosor tantū cogitabat de suo regno, quidque post illud futurum esset, & an, sicut ipse successerat Affyrijs, ita Medi, Persæ, Ægyptij, vel aliqui alij ipsi succederent, & imperium ad aliam gentem transferrent. hoc enim eum cogitasse patet v. 29. Huic autē eius cogitationi per hoc somnium, perque hanc statuam respondit Deus, scilicet illi & Babylonij successuros Persas, Persis Macedones, hisce Romanos, & hosce in Christum, qui est rex regum, destiuros. Itaque de hisce solis agit, reliqua verò regna, vt ad cogitationem Nabuchodonosoris, & ad rem propositam impertinentia, præterit & prætermittit. Porro Medi h̄c sub Persis intelliguntur : vtrique enim euerterunt imperium Babyloniorum. Rursum sub Babylonij intelligi possunt Affyrij : Babyloniorum enim monarchia, pars & propago quædam fuit monarchia Affyriorum.

Secunda.

Secunda causa est, quia volebat Deus regis animū ab omni cupiditate terrenorum regnorū abducere & ad Christi regnum erigere : quòd illa omnia caduca sint & mortalia ; hoc sempiternum, vt docet v. 44. Propterea de illis tantū monarchijs similitudinem proposuit, quæ recta & continua serie & successione Christi regnū erant præcessuræ, in eoque terminandæ, q.d. Frustra ḥ rex superbis & gloriariis in tuo regno caduco, & instar somnij euaniido: aspira ad Christū, de quo ait Gabriel, *Regni eius non erit finis*, Lucae 1.v.33.

Tertia.

Tertia, quia Daniel & Iudæi h̄c quatuor imperia ferè tantū cognoverunt, eorumq; potentiam & tyrannidem experti sunt, quando primò à Babylonij, mox à Persis, deinde à Græcis, put̄a ab Antiochis, denique à Romanis afflicti, subacti & in captiuitatem abducti fuerunt. Horum ergo tantū seriem pertexit h̄c Daniel, vtpote quæ lola ad se, & ad historiam suæ gentis, put̄a Synagogæ Dei, pertinerent.

Vers. 33.

P E D V M QVÆDAM PARS ERAT FERREA, QVÆDAM AVTEM FICTILIS] Tibiæ huius statuæ totæ erant ex ferro, sed pedes partim ex ferro, partim ex testa. Nō quasi vnuus statuæ pes esset ferreus, alter fictilis: aut vna pedis pars esset merè ferrea, altera merè fictilis, sed quòd pedes conflati es-

A sent ex ferro non puro, sed mixto cum terra, vt explicatur v. 43. Quale est rubrica, ex qua conflatur ferrum. Idque probatur Primò, quia disertè ait h̄c Daniel ferrum testæ in pedibus suis permisum. Secundò, quia v. 43. h̄c permisio ferri cum testa explicatur per commitionem semenis variorum Romanorum. Tertiò, quia si altera pars pedum tota fuisset ferrea, alia tota testea, non diuersos imperij status, sed diuersa imperia potius significaret : tam enim testa à ferro, quam ferrum ab ære, auro & argento distat. ita Ant. Fernand. visione 21. sect. 6. Maldon. & alij. Faut & Syrus dum verit, pedes eius, ex eis ferri, & ex eis fictilis, id est partim ferrei, partim fictiles.

REDACTA QVASI IN FAVILLAM ASTIVAM VERS. 35.

AREÆ] Chaldaeorum fuerunt quasi paleæ & stiuarum arearum, quas ventus rapit, dum scilicet segetes in areis excussæ agitantur & ventilantur; q.d. Omnia h̄c quæ tam splendida & solida videbantur, instar paleæ in auras euolarunt & euauerunt. Talia sunt regna terræ : sic transit gloria mundi.

37. Tu rex regum es : & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi :

38. & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri : volucres quoque cæli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit : tu es ergo caput aureum.

TV ES CAPVT AVREVVM] Nota h̄c Primò, VERS. 38. metonymiam, qua rex ponitur pro regno : tu, id est tuum regnum, est caput aureum. Vnde sequitur : *Consurget regnum aliud*. ita Theodor. Secundò, regnum Chaldaeorum metaphorice vocatur *caput*, tum quia primum fuit & antiquissimum, vt patet Genesi 10.11. tum quia in eo viguit sapientia, vt patet Isaiae 47.13.

Quæres, Cur imperiū Babyloniorū vocatur ariū Babyloniōrum, nam Persarum postea videtur fuisse æquè opulentum, vel opulentius. Respondet Maldon. per aurum, argentum, æs & ferrum significari quatuor horum regnorū non opes, potentiam, aliasue qualitates, sed tantū seriæ & ordinem temporis: don. q.d. Sicut inter metalla, primū dignitate est aurū, secundum argentum, tertium æs, quartum ferrum: ita inter h̄c regna primum tempore erit Babyloniorum, secundum Persarum, tertium Græcotum, quartum Romanorum. Regnum ergo Persarum minus fuit Chaldaico, non magnitudine, non potentia, non diuitijs, sed diuturnitate & antiquitate. Fuit enim primum, & ab ortu suo sub primo rege Nino, vlt̄que ad eius interitum sub Balsafare, stetit annos 1500. cum Persarum imperium tantum steterit annos 230. ita & Anton. Fernand. vis. 21. sect. 4. Vbi pro eo quod Noster verit, *consurget regnum aliud minus te*, verti posse ait, *consurget regnum aliud post te*, sive posterum : dici tamen *minus allusione ad argentum*, quod minoris est pretij quam aurum. Minus ergo, id est minus antiquum, & minus diuturnum. aurum enim argento est durabilius, & ipsa longinquitate temporis fit pretiosius, ait Plinius libr. 33. c. 3. Verum Chaldaeum עַרְעָא, non significat posterius, sed minus, humilius, inferius, vt vertunt Septuag. Noster, Vatabl. & alij passim. Vnde ab ara Chaldaeorum paumentum vocatur

tut עַרְעָם ait, quia in domo est infirmum & i-
mum: & terra vocatur עַרְעָם ara, quia in mundo
est infima, cuiusque centrum.

Quocirca hic sensus, si solus sit, Primò, frigidus
est & icinus. Secundò, in eo nō satis apta est simili-
tudo: nam aurum & argentum non tempore, sed
pretio & dignitate sunt priora aere & ferro; impe-
ria vero Chaldaeorum & Persarum, auro & argen-
to significata, non dignitate, sed tempore tantum
in hoc sensu priora esse dicuntur imperio Græco-
rum & Romanorum. Tertiò, non tantum tempori-
is, sed & qualitatis ac præstantiae ordinem hic spe-
ctari, patet ex eo, quod de quarto ferreo Roman.
ait Daniel v. 40. *Quomodo ferrum comminuit & do-
mat omnia, sic comminuet & conteret omnia h.c.*

Secundò, Alcazar in Apocal. cap. 9.v.5.not.3.
pag. 529. docet sèculum monarchiæ Chaldaeo-
rum fuisse aureum, si cum sequentibus compa-
retur; Persarum argenteum; Græcorum æneum;
Romanorum ferreum; quia sensim declinarunt,
& in declive abierunt haec imperia. Nam in pri-
ma Chaldaeorum monarchia, effloruit sapientia
prestium & estimatio, vti liquet tum ex honore
amplissimo, & præfectura imperij Danieli delata;
tum ex sapientum Magorum frequentia; tum
ex astrorum peritia & astrologia iudicaria, quæ
ex ea ad alias gentes dimanauit: vnde & Astro-
logi dieti sunt Chaldae. In secunda Persarum,
vigerunt deliciæ & corporis blandimenta. In
tertia Græcorum, excelluerunt opes & diuitiae.
In quarta Romanorum, dominata est ambitio,
sue honoris, nominis & gloriae cupido. Verum
sapientia studiorum æquè, imò magis floruit apud
Græcos & Romanos, quam apud Chaldaeos: vice
versa opibus tam excelluerunt Romani & Per-
sæ, quam Græci: nec minor fuit ambitio apud
Græcos Seleucidas, Alexandri posteros, quam a-
pud Romanos.

Tertiò, idem Alcazar tract. de Ponder. & mens.
pag. 63. censet per hanc metallorum distinctionem
Spiritum sanctum significare, non discrimen in di-
uitijs (hoc enim in hac visione minoris est mo-
menti) sed in vi & robore; scilicet significari semper
subsequentis monarchiæ violentiam futuram
maiorem: & quia res humanae plerumque in peius
ruunt primam monarchiam, si cum secunda com-
paretur, auream posse appellari, & blandiorem ac
suaviorem visum iti; secundam autem respectu
tertiae argenteam; tertiam æream & magis huma-
no generi aduersam; quartam porro minus sibi
cohærentem (sicut ferrum & lutum ægrè miscen-
tur) sed validiorem cæteris omnibus, & omnia re-
gna violentè admodum contritiram. Hæc senten-
tia apposita videtur, expedita & plana; cui tamen
quædam addenda sunt.

Dico ergo Babyloniorum imperium vocari au-
reum, vel, vt ait Ierem. c. 51.v.7. *Calix aureus*, quia
non tantum opulentum fuit & splendidum, sed
& felicissimum, gloriofissimum, famosissimum &
amplissimum. Sic enim explicat hic Daniel dicens:
Tu rex regum es: & Deus celi regnum, & fortitudinem,
*& imperium, & gloriam dedit tibi, &c. Tu es ergo ca-
put aureum.* Nam breuissimo tempore subiugatis
Syris, Iudeis, Tyriis, Ammonitis, Moabitis &
Ægyptiis, qui tunc erant potentissimi, atque à
tempore Iosiae cum Assyriis & Babylonii de im-
perio & summa rerum decertarant, amplissimum
evasit. Vnde Ieremias omnes gentes, scilicet tunc

A cognitas & celebres, Nabuchodonosori fori sub-
iectas & seruituras prædicti c. 27.v.7. & Habacuc
c. 1.v.10. *Ipse, inquit, de regibus triumphabit, & tyran-*
ni ridiculi eius erunt, q.d. Erunt ei risui & contem-
ptui. Et Daniel c. 4.v.19. *Tu rex, ait, magnificatus es,*
& magnitudo tua peruenit usque ad celos, & potestas
tua ad terminos viuieræ terre. Quocirca Isaías c. 47.
v.7. Babylonem vocat dominam regorum, &
c. 14.v.19. gloriosam in regnis & inclytam, & à
Ieremias c. 50.v.21. eadem vocatur terra dominan-
tium, & v.23. malleus viuieræ terræ; de quo plu-
ra c. 4.26. Quintò, tota ferè propheta Ieremias
& Ezechielis est de Nabuchodonosore, de quo
eius in Iudeos omnesque gentes dominatu, id-
que ex voluntate Dei. A Deo ergo ipse videtur
quasi creatus monarcha. Hinc & Megasthenes l.
4. de Rebus Indicis, tradit Nabuchodonosorem
præter Orientis prouincias, Ægyptum quoque &
Africam, atque Hispaniam subiugasse, cumque
asserit virtute animi, & rerum gestarum præstantia
Herculem superasse: & Tertul. lib. contra Iudeos,
ait eum regnasse ab India usque ad Æthiopiam.
Sic ergo ipse Persis fuit maior & felicior: vnde &
Magnus cognominatus est, ac vt talis in Script. &
historijs est celeberrimus. quocirca hic à Daniele
vocatur rex regum: ac Isaiae 14.12. comparatur Lu-
cifero, qui fuit summus inter angelos: & Ezech.
17.v.3. assimilatur aquilæ grandi magnarum ala-
rum: & Ierem. 4.v.7. vocatur leo, & prædo Gen-
tiū. Hic ergo est caput aureum: quia Cyro, Alexan-
dro Magno (qui brevi tempore fuerunt monar-
chæ, & misere perierunt) & alijs, si non opibus &
fortitudine, certè felicitate, fama, splendore &
gloria antecelluit. Adde, aureum dici compara-
tione tum sequentium regnorum, tum potius eo-
rum quæ illud præcesserunt, vel cum illo fuerunt.
Præsens enim Nabuchodonosori & Iudeis erat
Babyloniorum imperium, opes, potentia & glo-
ria, eaque maiorem nec ipsi nec parentes vide-
rant; nec posteriorum, putà Persarum, opes & glo-
riam visuri erant. Vnde ipsi Babylonis gloria vi-
debatur esse aurea. Quæ enim prima sunt in ali-
quo genere, ob nouitatem rapiunt in sui admira-
tionem omnium oculos; ac posteriora, licet præ-
stantiora sint, suo nomine & fama obscurant. No-
men enim & famam, quam semel habuerunt, re-
tinent semper, illamque ad posteros & ad fu-
tura sècula transmittunt. Ita hoc sèculo sunt viri
in Mathesi, Theologia, Philosophia, alijsque ar-
tibus & scientijs præstantes, qui veteres superant,
& tamen veterum nomen & famam, vtpote ab
illis iam tanto tempore præscriptam, non obtin-
ent. vñ enim & copia res omnis vilescit. Sic ergo
Babylon, quia prima, aurei regni nomen ob-
tinuit, posterisque quasi exemplar gloriae mun-
danæ statuta est: vnde & Roma vocatur Babylon
Apoc. 18.2.

Secundò, vocatur aureum, quia Babylonij auri *secunda*
erant studiosissimi, illudque à gentibus subactis
exportabant & coacerabant, vti ex Iudea abstulerant
omnia vala aurea & argentea, etiam templi,
eaque plurima & maximi pretij. Hucque respicit
hic Daniel, vtpote Iudeus, significans Salomonis
thesauros, & Iudeorum aurum & opes in Baby-
lonem esse translatas.

Tertiò, quia Babyloniorum potentia & gloria, *Tertia*,
non tam armis, laboribus & fortitudine bellica,
vti Persarum, Græcorum & Romanorū (qui cum

gentibus fortioribus & in armis iam exercitatis dimicarunt) quam hostium in bellando inexperiencia & ignavia, æquè ac opibus & luxu creuit, fuitq; hoc nomine orbi illustris, splēdida & inlycta. Unde Ierem. c. 5.7. de Babylonij ait: *Calix aureus Babylon in manu Domini: inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideo commotae sunt.* Quò alludit S. Ioan. Apoc. 14.8. *Calix enim aureus significat opes & luxum, ac consequenter idololatriam, quam Babylonij alijs gentibus triumphantes inuexerunt.* Quocirca hoc regnum & sēculum vocatur aureum: quia sub eo gentes viuebant quiete & felicitate in magna pace, opibus & rerum omnium abundantia: hæc enim pacem consequi solet. Unde regnum hoc c. 4.17. ipsi regi à Deo repræsentatum fuit per arborem sublimem atque robustam, cuius altitudo pertingit ad celum, & aspectus illius in omnem terram: & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimis, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestie agri, & in ramis eius commorantes aves celi. Verè Ouid. 14. Metamorph.

In via virtuti nulla est via, dixit, & auro.

Dices, Tempore Babyloniorum etiam diues fuit & inlytum regnum Medorum sub Cyaxare, quem Herodotus Assyrijs & toti Asiae dominatum esse asserit. Respondet Peterius, regnum Medorum hoc tempore angustum & afflictum fuisse: nam Cyaxares cœpit regnare anno 14. Nabuchodonosoris, & regnauit 40. annis. iam primis 28. eius annis, Scythæ inuaferunt & obtinuerūt Asiam, scilicet usque ad finem penè vitæ & regni Nabuchodonosoris: ipse enim 44. annis regnauit. Cyaxares ergo tantum ultimis 12. regni sui annis, quibus superstes fuit Nabuchodonosori, dolo interfectis ferè omnibus Scythis, imperium proferre & illustrare cœpit, vt ait Herodotus.

Ex hac Danielis visione, Gentiles fabulam acceperunt de primo sēculo aureo, secundo argenteo, tertio æneo, quarto ferreo, quam ita Ouidius lib. 1. Metamorph. graphicè depingit:

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo,
Sponte sua sine lege fidem rectumq; colebat.
Non galeæ, non ensis erat: sine militis vsu
Mollia securæ peragebant otia gentes,
Ver erat æternum.
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.
Flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
Flauaq; de viridi stillabant ilice mella.
Pergit deinde ab aurea ad argenteam:
Postquam Saturno tenebrosa in tartara missa,
Sub Ioue mundus erat, subiqt; argentea proles
Auro deterior, fuluo pretiosior ære:
Tum primum siccis aëris feruoribus vstus:
Tum primum subière domus, domus antra fuerunt:
Semina tum primum longis cerealia fulcis
Obruta sunt, pressoq; iugo gemuere iuuenci.
Mox transit ad æream & ferream:
Tertia post illam succeſit ahenea proles,
Seuior ingenij, & ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen. De duro est ultima ferro.
Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas, fugere pudor, verumq; fidesq;.
In quorum subière locum fraudesq; doliq;,
Infideliq; & vici, & amor sceleratus habendi.
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.
Iamq; nocens ferrum, ferroq; nocentius aurum
Prodierat: prodit bellum, quod pugnat utroque.
Viuunt ex rapto, non hospes ab hostite tutus,

A Non sacer à genero: fratrum quoque gratia rara est.
Ultima celestum terras Astræa reliquit.

VOLVCRES QVOQVE CALI DEDIT IN MA- VERS. 33.
NV TVA] Est auxesis. exaggerat enim regis sui potentiam: nam qui terræ dominatur, suo modo etiam bestijs & auibus dominatur: quia eas venari & capere potest.

39. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.

REGNUM ALIVD MINVS TE] Chaldaicè, VERS. 39.
אָרְבָּע מִנְחָה ara minnach, id est inferius & humilius te, quod scilicet te regnante iam est inferius, sed B paulò post crescat in Cyro, fietque superius, tuumque imperium in Balsafare euertet. Hoc est regnum Persarum & Medorum, quod idè v. 32. designatur per duo brachia: quia duo quondam regna fuerunt, quæ postea copulata sunt in unum, cuius rex fuit Cyrus, qui matre Meda, & patre Persa natus est; atque, vt Theodor. ait, per dexteram paternum genus, per sinistram maternum significatur. Rursum, quia brachijs, id est fortitudine & labore multo, Cyrus tota vita sua regnum hoc sibi suisque Persis peperit.

Quæres, Cur v. 32. regnum hoc comparatur ar- Cur impe-
gento? Respondeo, quia argento abundauit, fuit- riū Per-
que opulentissimum: vnde præter thesauros ob- rum compa-
uios & apertos, Deus prouidit Cyro thesauros ratur ar-
absconditos Isaiae 45.3. Hæ opes patent. nam Pri- gento?
mò, Plinius libr. 33.3. ait Cyrus ex debellata Asia Opes Per-
extulisse quinquaginta millia talentorum argenti, id est sarum.
trecentos milliones.

Secundò, cædem patent ex sumptuosissimo conuiuio Assueri, mariti Esther, Esther c. 1.

Tertiò, ex innumerabili exercitu Xerxis, quo terram & maria stravit erant enim in eo plusquam duo milliones hominum.

Quartò, quia gaza Persica qua potitus est Alexander, fuit 180. millium talentorum, teste Strabone, id est centum & octo millionum.

Fuit tamen hoc Persarum imperiū felicitate & gloria inferius Chaldaeorum imperio, sicut argentum inferius est & cedit auro. Hoc est enim quod diserte ait Daniel v. 39. Post te consurget regnum aliud minus te. Nabuchodonosor ergo regno & gloria superauit Cyru & posteros. Nam vt alia taceam, Cyrus illius conditor infelicissime cæsus est à Tomyri regina Scytharum. Xerxes in Græcia à paucis cæsus & fugatus, infamem cladem accepit, ita vt solus in scapha fugere debuerit. Darius Codomanus miserrime ab Alexandro saepius fusus, tandem regno & vita spoliatus est.

ET REGNUM TERTIVM ALIVD AREVM,
QVOD IMPERABIT VNIIVERSÆ TERRÆ]
Hoc est regnum Alexandri & Græcorum: Alexander enim penè vniuersæ terræ nostrati dominatus est, ita vt sub eo ipsa se curuans filuerit, quasi tacitè agnosceret eum dominum. Dico nostrati: non enim Alexander adiit & deuicit Chinenses, Peruanos, Mexicanos, &c. ita S. Hieron. & passim alij-

Per-

*Cur Grac
sum erit.*
Perperam ergo Orosius, & ex eo Prosper I. de Pre-
dict. & promis. p. 2. c. 33. per ventram & femora æ-
rea acceperunt Carthaginense imperium.

Quæres Primò, Cur vocatur æreum? Resp. S.
Hieron. quia æs non tantum forte est & durum,
sed & vocalissimum & sonantissimum. Talis
fuit Alexandri & Græcorum fama & gloria, non
tantum ob potentiam & bella fortiter gesta, sed
etiam ob sapientiam & eloquentiam, quæ apud
Græcos floruit. Æs ergo Primò, significat æneas
tubas, galeas, loricas & arma. Alexandri putà clan-
gorem tubarum, & armorum æneorum strepitum
& fragorem, inter quæ assidue ipse versabatur, ijs-
que quasi musica suauissima deletabatur: fuit e-
nim ipse pugnacissimus, non nisi arma & Martem
spirans. Nam veteres armis æreis pro ferreis vte-
bantur: æris enim usus est antiquior quam ferris.
Vnde Hesiodus,

Aere laborabant nondum noscentia ferrum

Sæcula.

Sic & Homerus Achillis & Græcorum tela & ar-
ma docet fuisse ærea: quæ Combe puella in Eu-
bœa primùm inuenit, indeque cognominata est
Chalcis: *χαλκός* enim græcè significat æs. Ita ex Eu-
stathio & alijs docet Cælius Rhodiginus libr. 10.
Antiqu. 50. vbi & addit Combei fuisse Æsopii filiæ. Hinc & Gabriel archangelus Daniel. 10. v. 6.
brachia, femora & tibias habuit instar æris candé-
tis: quia hac specie repræsentabat Machabæorum
fortitudinem, & armorū splendorem. Sic & Deus
in curru Cherubico pugnaturus contra Iudeos,
induit corpus ex electro, id est aurichalco, quod
est æs optimum & fulgidissimum, vti dixi Ezech. 1.
27. Secundò, æs resonans significat facundiam &
eloquentiam Græcorum. Tertiò, æs sonorum si-
gnificat famam & gloriam gestorum Alexandri,
quæ subito toto orbe insonuit, adeoq; omnes per-
celluit, vt certatim cuncti ei se subderent, aut cum
eo feedus intirent. Fuit ergo ipse æs sonans, & cyma-
balum toto orbe tinniens. Vnde & Lysippus eum
ex ære sculpsit, vti mox dicam. De fama Curtius:
Tantus, ait, nominis eius (Alexandri) terror uniuersum
orbem inuaserat, vt cunctæ gentes velut iam destinato si-
bi regi adularentur. Hinc & I. Machab. 1. 3. dicitur, in
conspictu eius si quis uniuersam terram, ac si au-
disset fragore in ruens mundi. Quocirca verè di-
xit de eo Tertull. lib. de Pallio, *sola ipsum fama sua*
fuisse minorem. De sapientia & eloquentia solæ Athenæ, quæ ab omnibus epithetum doct. & sortitæ
sunt, locupletes sunt testes. Cicero orat. pro Flacco:
Adsum, ait, Athenienses, unde humanitas, doctrina,
religio, fruges, iura, leges ortæ, atque in omnibus terris distri-
butæ & putantur. Plato in Protagora, Athenias sapientia
pytaneum appellat. Mirum verò est quod scribit
Tertull. de Anima c. 20. *Thebis, ait, hebetes & brin-*
tos nasci relatum est: Athenis sapiendi dicendiq; acutissi-
mos, vbi penes Colyatum pueri mense citius eloquentiæ
precoce lingua. Siquidem & Plato in Timo Mimeram
affirmat, cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam
regionis naturam prospexit, talia ingenia pollicitam. Ho-
diernus Platonis interpres sic vertit: *Dæ vobis habi-*
tationem designauit delecto loco in quo geniti estis, tempo-
rum anni temperiem in eo conspicata, quod sapientissimos
viros producturus esset.

Æris verò huius tinnitus, id est, Alexandri fa-
mam & gloriam, sigillatim audi.

Diodecum ferè in Alexandro eluxerunt dotes
eximiae & elogia rara, quæ ciui nomē apud omnes

A gentes celebrarunt. collegi ea ex Plutarcho in e-
ius Vita, Q. Curtio lib. 10. & Iustino. Primum, fue-
runt magnitudinis eius præstigia & potesta. Nam
Primò, Olympiadi matri eius ante noctem quæ eū
concepit, visus est Ioue tonante venter suus de cæ-
lo tangi, atque ex ictu largum succendi ignem, qui
mox crimpens in flamas passim dispersas dissi-
pabatur. Secundò, Philippus pater vidit in somnis
vxorem obsignatam sigillo, habente effigiem leo-
nis, quo Aristander portendi dixit, eam concepisse
infantem animosum & leoninum. Tertiò, visus est
draco ad dormientis Olympiadis corpus expogre-
etus. Quartò, natus est Alexander eo die quo Dia-
nae Ephesæ templum conflagravit: vnde magi ex-
clamarunt ingentem pestem & perniciem eo die
editam ad Asie incendium. Hegeſias vero Magne-
sius edidit: *Merito arſisse templum Diæ, dum ipsa in A-*
lexandri enixa obſtericando fuit diſtricta. Quintò, Phi-
lippus pater eodem die tres faustissimos nuntios
acepit, primum fusos à Parmenione Illyrios; alte-
rum, Olympijs se equi perniciete vississe; tertium,
natum Alexandrum. Vnde vates affirmarunt, in-
fantem, in cuius nativitate tergemina concurrerat
victoria, fortius inuitum. Hæc omnia Plutarch. Sex-
tò, addit Iustin. lib. 12. Ea die, ait, qua natus est, duæ a-
quile tota die præpetes supra culmen domus patriæ eius se-
derint, omen duplici imperij, Europe, Asia eq; preferentes.
Septimò, cum contra Darium pergeret, aquila su-
pra caput eius volare visâ, cursumque dirigere in
hostes, ait Plutarch & Curtius. Octavio, dum Ty-
rum obſideret, Tyrijs in somnis visus est Apollo
dicere se ad Alexandrum transire: neque enim fibi
cordi esse quæ in vrbe agerentur. Nonò, ibidem vi-
sus est Alexandro Satyrus alludens, quem cum cor-
ripere vellet, ille se subduxit, sed tandem post lon-
gas cursitationes venit in eius manus. Vnde vates
disecco nomine *Satyrus responderunt: Tua Tyrus*
erit, nam æs græcæ significat tua.

Secundum, fuit eius complexio feruida, & in-
doles ignea. Ex hoc igneo corporis temperamen-
to non tantum illi animus similis, sed & odoris fra-
grantia, quam ex ore, cute, totoque corpore effla-
bat. Hac enim de causa in locis calidis thura, odo-
res & aromata generantur, quod æstus Solis ibi ea
percoquat, vt ignescant. & igneohalitus expirent.
Hinc etiam corpus eius septimo die à morte, nulla
tabe, nullo liuore corruptum, sed integrum & vi-
uido vultu repertum est, teste Curtio.

Tertium, fuit in Alexandro mira celeritas: co-
epit enim ipse anno ætatis vigesimo, & omnia sub-
egit anno ætatis trigesimo tertio, quo mortuus est.
Hinc Apelles Alexandrum pingebat quasi fulmen,
telerrimæ omnia peruidens & afflans;

Quartum, fuit in eo constans felicitas. Vix e-
nim habuit quadraginta millia militum, nec nisi
septuaginta talenta in eorum stipendium, & com-
meatum ad triginta dies, & tamen nullam gentem,
hostem aut urbem adiit quam non expugnaret, i-
plumq; tandem Darium, qui habebat decies cen-
tena millia militum, prostrauit. Vnde tantam fidu-
ciam suis militibus fecit, vt illo præsente, nullius
hostis arma nec inermes timuerint ait Itistir. Curtius
verò libr. 10. sic de eo scribit: *Fatendum est tā-*
mén, cum plurimum virtutis debuerit, plus debuisse for-
tune, quam solus omnium mortalium in potestate ha-
buit. Quoties illum à morte revocauit, quoties temere
in pericula vectum perpetua felicitate protexit? vita quo-
que finem cumdem ille, quem glorie statuit. *Expectauere*
eum

*sum fata, dum Oriente perdomito, aditoq; Oceanum quid-
quid mortalitas capiebat, impleret. Ipse Alexander
a vate Apollinis Delphici querens oraculum, ab
eo atdidit, Inuitus es fili.*

Quinta.

Quintum, fuit in eo amplitudo imperij, Sub-
igit enim totam Asiam, Aegyptum, Syriam, Indianam,
& bonam Europæ partem. Hinc Lysippus statua-
rius ut amplitudinem imperij Alexandri significa-
ret, finxit ex ære Alexandrum supina facie cælum
suspiciensem, subiectis hisce verbis:

*Aereus in cælum suspectans fare quid aiat,
Iuppiter afferui terram mihi, tu assere cælum.*

Quocirca Alexander accepto imperio regem ter-
rarium ac mundi appellari se iussit, ait Iustin. lib. 12.
Esto reuera multas gentes nec adierit, nec subiugari-
tur: quinimo audiens Democritum de infinita-
te mundorum differentem, ingemuit, quod ne v-
num quidem totum sibi subiugasset.

Sexta.

Sextum, fuit in eo incredibilis mentis vigor,
ingenij solertia, animi fortitudo ad queuis ar-
dua, atque periculorum & mortis contemptus.
Superabat fortunam audacia, & vires virtute, nihilq;
censebat audientibus inexpugnabile, vel munitum esse a-
nimosis, ait Plutarchus. Periculissima quoque aggre-
diebatur, & ubi consertissimos hostes acerrime pugnare
conspexisset, eò se semper ingerebat, periculaq; sua esse,
non militum volebat, inquit Iustin. In Mallis Indo-
rum bellicosissimis primus scalis in murum eu-
xit, ubi liberato corpore in medios hostes saltu se
immisit. Cuius vibrantibus armis tuba aliquod
aut spectrum se videre putantes barbari, fugerunt.
At ubi eum solum cum duobus atmigeris con-
spexere, in eum irruere, eumque conuulserunt:
ipse ad murum incumbens, & in gyrum pugnans
omnium impetum sustinuit, barbatumque gla-
dium sibi intentantem confudit, donec Macedo-
nes succurrent.

Septima.

Septimum, fuit eius temperantia. Missis ei optimis
fereulis & cocis, respondit: Nihil sibi his opus esse,
meliores sibi eos donatos apedagogo Leonida, scilicet ad
prandium iter antelucanum, ad cœnam angustum pran-
dium. Idem ille, inquit, stragorum meorum repositorium
solitus erat adire, vestiariumq; inspiciens, numquid
mibi ad mollitem mater, vel ad luxum addidisset, ea tol-
lebat. Notent hoc paedagogi principum. Quocirca
otij inimicus, si non bellaret, venabatur: qua in
re leonem grandem confecit, quod videns qui-
dam exclamauit: Maete Alexander, ista cum leone de
regno est pugna. Videns ipse Darij iam victi ampul-
las, alabastros, lectos, mensas, domusque odorum
& vnguentorum, oculos ad suos intendens: Hoc ni-
mirum, ait, erat regnare.

Octava.

Octauum, fuit eius continentia. Temperare sibi,
ait Plutarch. magis regium ducebat quam hostes vice-
re. speciosissimas Darij filias & coniugem nec attigit, nec
mulierem ante nuptias cognovit, excepta Barsene. De alijs
feminis pulchris ioco dicebat: Quam magni o-
culorum dolores sunt Persides! Ad æmulationem ve-
rò formæ illarum, ostentans se victorem concu-
piscentiae, sicut inanimatas signorum imagines
transmittebat eas. Audiens quasdam à suis vitia-
tas, scripsit Parmenioni, vt eos tamquam belluas
natas ad corruptelam hominum puniret & inter-
ficeret. Ego enim, ait, non solum non vidi Darij vxorem,
aut videre cogitavi; sed nec verba facientes de eius decoro
sustini audire. Dicebat, Cognosio me mortalem esse ex
somno & concubitu; quod ab eadem imbecillitate natu-
ram incessat laſitudo & voluptas; quodque concu-

A bitus videatur esse parua epilepsia, vt aiebat De-
mocritus. Sanè hoc in Alexandro præ alijs fuit ad-
mirandum.

Nonum, fuit magnanimitas: fuit enim ipse supra Nonum
humanam potentiam magnitudine animi preeditus, in-
quit Iustinus. Puer tentatus à ministris, quia per-
nix erat pedibus, an Olympijs certare curriculo
vellet? Sanè, ait, si habiturus sim aduersarios reges. Do-
lebat de Philippi patris victorijs, quasi ipse illarum
laudem sibi præiperet. Bucephalum equum ferum
& indomitum, qui secessorem non admittebat, insi-
dens perdomuit: tum ei pater, Quare, ait, fili par tibi
regnū: siquidem non capit te Macedonia. Gloriam re-
gno & vitæ anteferebat. In summa siti oblatam si-
bi in galea aquam respuit: Nam ego, ait, si solus biber-
o (milites monstrans) elangescerent. Dario pacem
petenti, rescripsit: Concedo ea lege, si secundus mihi, non
par haberi velis. Proinde aut deditio[n]em bac die, aut in
craftinum aciem para. Gaudebat se cum omnibus
Darij copijs configere, veritus longam belli mo-
ram, si is exercitum diuissiset.

Decimum, fuit iustitia, æquitas & liberalitas in Decima.
suos. Inter iudicia dum diceret accusator, manum
admovebat alteri auti, dicens, eam integrum reo ser-
uari. Moriens rogatus quem regni faceret here-
dem, respondit, Dignissimum. Tanta magni illius
animi fuit equitas, vt, cum Herculem filium, cum
Aridum fratrem, cum Roxanem uxorem prægnantem
relinqueret, oblitus necessitudinum, dignissimum nun-
cuparet heredem: prorsus quasi nefas esset, viro forti a-
lium quam virum fortē succedere, aut tanti regni opes
alijs quam probatis relinquere, ait Iustin. Iturus ad bel-
lum suis predia distribuit. Cui Perdiccas: Tibi,
ait, rex quid reliquum fecisti? Respondit ille, Spes meas.
Tum Perdiccas: Nos quoque qui tua auspicia sequimur,
harum erimus consortes. Vxor Darij capta cum
Hephæstionem putans Alexandrum, quasi regem
salutasset, & cognito errore erubesceret, Alex-
ander eam animans: Non errasti, ait, nam & hic Alex-
ander est. Ès alienum militum creditoribus de
suo dissoluit. erat id decem millia talenta dem-
ptis 130. Parentum demortuorum stipendia filijs
attribuit.

Vndecimum, fuit in eo insignis in victos cle-
mentia, & in omnes, etiam hostes, fides. Mazæus
Darij præfectus olim, & pro eo pugnans contra
Alexandrum, victo Dario, ampliori ab eo præfe-
cta auctus: Rex, ait, olim unus erat Darius, nunc tu
multos fecisti Alexadros. Porum Indiæ regem victum
& captum rogauit Alexander, qua ratione tractari
vellet? Regaliter, ait Porus. Adjiciente Alexandro,
nihilne aliud vellet? Omnia, inquit, verbum re-
galiter complectitur. Igitur regnum ei sub satra-
piæ nomine restituit, & nouam insuper ei regionem
adiecit. Taxiles pariter in India rex timens
bellum ab Alexandro, cum hæc ad eum diceret:
Quid bellis inter nos opus est? si ego opibus abundan-
tior sum, impertiari tibi libens: si inferior, non recusa
accipere ab te grato animo beneficium. Delectatus hac
oratione, cumque complexus Alexander: An tu
ait, pugnam hac comitate euades? Nequaquam; quippe
contendam tecum, & depugnabo beneficijs, ne me superes
beneficentia. quare muneribus acceptis, datique
pluribus, denique mille talenta argenti ei elargi-
tus est. Porro Darij matrem, vxorem, filias adeò
benigne & magnificè habuit, vt Darius moriens
ei gratias egerit, sibiisque de tali successore gratu-
latus sit. Vnam eius filiam ipse vxorem duxit, al-
teram

terā Hephaestioni, intimo suo nuptui dedit. Quo-
circa Alexandro mortuo omnes eius mortem , æ-
quæ ac parentis deplorarunt , ipsaque Darij mater
inedia se interemit. de quo plura c.8.8.

Duodecimum, fuit eius eruditio , & in literatos
amor ac fauor. Præter alios Aristotelem quin-
quennio habuit magistrum , ad quem postea
scribens : Ego , ait , optimarum rerum scientia mallem
me, quæm potentia præcellere. Aristotelem coluit non
secus quæm parentem, quod huius beneficio viueret , il-
lius honeste viueret. Xenocrati misit quinquaginta
talenta. Iliadem Homeri semper cum pugione
repositam habebat sub puluino ; adeoque inter
gazam Darij inueniens scrinium pretiosissimum,
illam in eo reposuit. Diogenem veneratus est, de
eoque dixit : Ego nisi Alexander essem , Diogenes esse
vellem. Insuper coluit Anaxarchum , Dandanum ,
Calanum Philosophos. Ex quibus Calanus hoc
imperij sui speculum ei ob oculos posuit. Con-
iecit in medium corium siccum & retorridum ;
cuius oram calcauit. Id uno loco pressum , cæte-
ris extulit se. Idem, circulans vndique, & pedibus
premens in qualibet parte , euenire ostendit , do-
nec medium pedibus occupauit : tunc enim om-
nes partes quieuerunt. Eo symbolo significauit,
media regni maximè premenda , neque procul ab
ijs vagandum esse Alexandro. Illustris verò fuit
eius dissertatio cum Gymnosophistis decem, quos
quasi hostes bello ceperat. Proposuit hisce quæ-
stiones obscuras , necem denuntians ei qui ma-
lè respondisset : vnum natu maximum dedit iu-
dicem. Primum interrogauit , viuōne plures censem-
ret an mortuos ? Viuos , ait : neque enim iam esse eos qui
mortui sunt. Secundum interrogauit , terra an pela-
gus grandiores gigneret bellas ? Terra , ait , quippe cuius
portio est pelagus. Tertium , quod animal callidissimum
esset ? Quod haec tenus , ait , homo non cognouit. Quar-
tum , cur Sabam ad rebellionem contra me concitasti ?
Ut honeste , ait , viueret , aut male periret. Quintum ,
an diem , an noctem putaret fuisse priorem ? Diem , ait ,
uno die. Rege mirante adiecit , implicatarum quæ-
stionum necesse esse ut implicatae essent respon-
siones. Sextum , qua ratione quis maximè se charum
efficiat ? Si potentissimus , ait , ille , nec formidabilis sit.
Septimum , quomodo ex mortali quis euadat Deus ? Si
quid fecerit , ait , quod denegatum sit homini. Octauum ,
an vita an mors esset valentior ? Vita , ait , que tam mul-
ta tolerat mala. Nonum , quousque hominem viuere
deceat ? Quousque , ait , censeat satius esse viuere quæm
mori. Ita tandem versus ad iudicem , qui decimus
erat , pronuntiare eum iussit sententiam . qui cum
alium alio segnius dixisset respondisse : Ergo tu ,
inquit , primus moriere qui ita decernis. Mini-
mè verò rex , ait ille ; nisi tu mentiaris , qui primum
dixisti te imperfectum illum , qui pessimè respon-
dit. Hos ergo muneribus honoratos dimisit. ita
Plutarch.

His addit externa. Nam Primò , fuit in eo in-
gens nominis terror , indeque ingens omnium
erga eum reverentia , admiratio & subiectio , quæ
omnes gentes , etiam remotissimas , compulit , vt
ad eum legatos mitterent pacis causa. Secundò ,
barbarorum mores correxit , eosque humanos &
ciuiles effecit. Tertiò , Alexandriam , & alias ciui-
tates , usque ad septuaginta condidit. Quartò ,
formauit , & post se reliquit duces præstatisimos ,
quasi alumnos suos , scilicet Seleucum , Antigo-
num , Ptolemaeum , Aridaeum , Cassandrum , &c. at-

que gestorum suorum scriptores habuit plurimos
grauissimos & disertissimos.

Fuit ergo Alexander quasi miraculum & por-
tentum naturæ , videturque Deus in eo ostendere
voluisse quousque se porrigeret possit natura : hæc
enim in Alexandro quasi exseruit extremum poté-
tia suæ. Quod si hæc natura pari gratia fuisse de-
corata & ab ea directa , quid non fecisset ? Verùm
non hos elegit Dominus , sed infirma mundi , ig-
nobilia , & ea quæ non sunt , vt fortia & gloriofa
confundat , vt non glorietur in conspectu eius o-
mnis caro. Nunc ergo sèpè virtus diuinæ gratiæ in
infirmitate naturæ nostræ perficitur. Altius enim
per Christum eleuauit nos Deus , voluitque nos
vti & niti viribus gratiæ magis quæm naturæ , vt
ductum spiritus sequamur , non sensus , non ani-
mi , non instinctus naturalis. Quocirca videmus
in christianismo infirmas & teneras virgines ac
pueros per gratiam Christi fuisse fortiores Alex-
andro , ac superasse non tantum reges & tyrannos ,
sed & eculeos , gladios , ignes , leones , & quidquid
in mundo erat vel specie amabile , vel acerbitate
terribile.

Rursus voluit Deus Alexandrum fidelibus
statuere in speculum , & cotem virtutis. Si enim
Alexander solis naturæ viribus tanta præstitus ,
quanta nos viribus gratiæ , naturam longè supe-
rantis , instructos facere oportet ? Si gloriæ vanæ &
caducæ cupido Alexandrum ad tam heroica fa-
cinora impulit , quæm ardua nos capessere & de-
signare decet , quibus cælestis & immortalis regni
brauium , atque æternum gloriæ pondus iugiter
ob oculos proponitur ? Fuit hoc Alexandri axio-
ma , teste Curtio libr. 7. & 8. Nihil tam altè natura
constituit , quod virtus non posset eniti. Quocirca in
Sogdiana regione rupem inaccessam , & à triginta
armatorum millibus infessam obsidens , irrisus ab
Arimaze rupis præfecto , rogatusque , An Alexan-
der volare posset ? Faciam , ait , proxima nocte ut credas
Macedones volare. Itaque trecentos iuuenes fortissi-
mos ingentibus promissis excitatos , per prærupta
falsa & inuia à tergo in rupis verticem claram con-
scendere fecit ; itaque rupem occupauit , Arima-
zem cruci affixit. Quid iam arduum , quid difficile ,
quid impossibile censeat generosus Christi mil-
les , cui hoc axioma à Christo proponitur , Nihil tam
altè natura constituit , quod gratia Christi non posset eniti ?
Confidite , nolite timere : ecce ego vobiscum sum , &c. cùm
Alexandrum Christianum , Paulum inquam , intu-
etur & audit : Omnia possum in eo qui me confortat : &
Quis nos separabit à charitate Christi ? Certus sum quia
neque mors , neque vita , neque angeli , neque principatus ,
nec creatura alia , &c.

Quæres Secundò , Cur regnum hoc v. 33. comi-
paratur ventri & femoribus ? Respondeo Primò , *Cur regnum*
Græcorum
quia , sicut venter subiacet pectori & brachijs , sic
cōparatur
regnum Alexandri proximè successit regno Per-
furam. Secundò , sicut venter omnem cibum ad se
trahit , sed eum statim per membra dispergit , & dif-
secunda.
pertit : ita Alexander plurima regna subegit , sed
statim moriens eadem suis ducibus diuisi. Ter- *Tertia.*
tiò , notatur in ventre insignis Alexandri intem-
perantia & ebrietas , de qua Curtius libr. 5. quæ ei
mortis fuit causa. Cùm enim Alexander Proteas , *Alexander*
bibacissimo Macedoni , poculum ingens (duos
capiens congios) propinans exhaustisset , Proteas
illud accepit , ac vicissim idem Alexandro pro-
pinuit : qui rursus illud ebibit ; sed perferre non
potuit :

Quarta.

Ebrofis non
sunt luxu-
rioſ. cur?

potuit : nam mox poculo è manibus lapsò in pul-
uinari reclinatus , ac morbo correptus succubuit,
decubuit, interiit, sui homicida. Testis est Athenaeus
1.10.11. Quartò , in femoribus significatur luxuria
non tam Alexandri , quām successorum eius Pto-
lomæorum in regno Ægypti , qui solemine habe-
bant forores suas ducere in uxores . Alexander e-
nim luxuriosus adeò non fuit, quia ebriosus : ebrio-
si enim sicut vino sopiunt sensus, ita & sopiunt he-
betantque orexin ad venerem: rursum, semen pro-
lificum vino diluunt & dissipant.

40. Et regnum quartum erit velut fer-
rum , quomodo ferrum comminuit &
domat omnia , sic comminuet & con-
teret omnia hæc.

41. Porro quia vidisti pedum & digi-
torum partem testæ figuli, & partem fer-
reā: regnum diuisum erit, quod tamen de
plantario ferri orietur , secundum quod
vidisti ferrum mistum testæ ex luto.

42. Et digitos pedum ex parte ferreos,
& ex parte fictiles : ex parte regnum erit
solidum, & ex parte contritum.

43. Quod autem vidisti ferrum mistum
testæ ex luto , commiscebuntur quidem
humano semine, sed non adhærebunt sibi,
sicuti ferrum milceri non potest testæ.

VERS. 40.
Quarta
monarchia
Roman. cō-
paratur i-
biis ferreis,
cur?Aquilabi-
ceps. Imp.
Roman. in-
signe. cur?

ET REGNUM QVARTVM ERIT VELVT FER-
RVM] Hoc est regnum, ait S. Hieron. & alij passim,
Romanorum , armis & fortitudine inclytum,
quod v.33 assimilatur tibiis : quia ultimum fuit &
firmissimum. idque duabus: quia imperium hoc a-
pud plures fuit, scilicet Primò , apud duos Consu-
les; Secundò , apud Duuumiros; Tertiò , apud duos
Imperatores , vnum in Oriente , alterum in Occi-
dente ; vnum Constantinopoli , alterum Romæ,
vel in Germania agentem. Hinc eius insigne est a-
quila biceps , siue duorum capitum : inde in castris
vexillifer dictus est aquilifer, & vulgo voce contra-
cta alfiero. Rectè Poëta :

Tu regere imperio populos Romane memento.
Ha tibi erunt artes pacisq; imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.
Porro in ferro notatur tum bellica vis, tum du-
ritia Romanorum in continuis laboribus , vel a-
grorum, vel armorum, quibus sibi iniustum robur
corporis & animi parabant. Audi quæ de priscorū
Latinorum exercitijs canit Virgil.l.9. Æneid.
Durum à stirpe genus : natos ad flumina primam
Deferimus , seuq; gelu duramus & vndis:
puta gelidis vndis.

Venatu inuigilant pueri , filiisq; fatigant :
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoq; assueta iuuentus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne leum ferro teritur , versaq; iuuenium
Terga fatigamus hastæ : nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatq; vigorem:
Caniciem g. dea premimus , semperq; recentes
Conuictare iuuat predas, & viuere capto.
Scipio Africanus , vt habetur Epitome 57. Duo
millia scortorum à castris reiecit : omnia delicarum in-
strumenta recidit : militem omni die in opere habuit : tri-
genta dierum frumentum , ac septenos vallos ferre coegit.

A Spartanus de Pescennio scribit , eum iussisse, vt in
expeditione nemo vinum biberet , sed aceto om-
nes essent contenti. Idem pictores castra sequi ve-
tuit, buccellato iubens omnes viuere. Quisque ef-
go miles & arma, & cibum saltem dimidiati men-
sis portabat. Insuper Romani milites erant fabri
tignarij, nauicularij, &c. neque minus aptè gladios
& haftas, quām secures, dolabras falcesque tracta-
bant. Testes huius rei sunt milites Cæsariani , qui,
vt ipse ait Cæsar, materiam cædebant , vnde pon-
tes, naues, machinasque vrbibus oppugnandis a-
dificarent. Frumentum ipsi ex agris metebant, &
in castra deportabant. Lecti erant è stramine, vna-
de segestria appellata vult Varro lib. 4. Ludos gla-
diatorios instituebant, vt , cùm in arena pugnas &
ferrum & vulnera tractassent, imò excepissent, in
acie dimicantes, hostes non timerent, neque vul-
nera & sanguinem perhorreficerent , inquit Capi-
tolinus in Vita Maximi. Plura vide apud Lipsium
de Militia Rom. & nostrum Valtrinum de Re mi-
litari Rom.l.1.c.3. & 4.

B COMMINVET ET CONTERET OMNIA HÆC
per exercitus , quos ad continendos in obediencia
populos in singulis prouincijs alebant. Vnde Ter-
tull. I. contra Iudæos c.7. Quid de Romanis, ait, dicam,
qui de legionum suarum praesidijs imperium muniant ? I-
taque sparsas per gentes alebant continuo trigo-
nta duas legiones, ex quibus octo erant in Germa-
nia, aliæ in Hispania , Asia, Africa, &c. vti docet
Card. Baron. & alij. Hæ enim gentes apud quas re-
sidebant , aliasque vicinas petiundabant & com-
minuebant. Has autem legiones alebant tributis,
quæ prouincijs indicebant ; & ad ea colligenda,
adque prouincias in officio continendas, mitte-
bant in eas Prætores & Proconsules. Vnde & Ci-
cero Quinto fratri in prefectura Afiana duo com-
mendat, scilicet publicanorum curam ad exigenda
tributa , & militum praesidia ad continendos pro-
vinciales. Hisce duobus Romani omnia regna cō-
trierunt, sibiisque subiecerunt, vt magnifice sed ve-
rè dixerit Martialis :

Terrarum dea gentiumq; Roma,
Cui par est nihil & nihil secundum.
Et Liuius lib. I. Nulla, ait, vñquam res nec maior, nec
sanctor, nec bonis exemplis ditor fuit. Et Claudianus :

Qua nihil in terris complectitur altius ether,
Cuius nec spatium visus, nec corda decorum,
Nec laudem vox vlla capit : que luce metalli
Æmula vicinis fastigia conserit astris :
Armorum legumq; parens , que fundit in omnes
Imperium.

D Hinc illa vulgata : Romanos rerum dominos : Romam
mundi caput , mundi miraculum , mundi compendium,
arcem nationum ac regum , lumen gentium. Denique
Propertius:

Omnia Romane cedant miracula terre,
Natura hic posuit, quidquid vbiique fuit.
Et plutarch. Romanum imperium , ait, velut anchoram
fuisse fluctuanti mundo.

REGNUM DIVISUM ERIT] Rabbini putant VERS. 41.
hic significari quintum imperium , nimurum Tur-
carum. Sed errant : Daniel enim tantum quatuor
hic consignat , & de quarto ait quod in eo ferrum
permiscebatur testæ. Rursum cùm de eodem ait,
Regnum diuisum erit : planè significat idem regnum
fore, sed in se diuisum. Tertiò , cùm de eodem ait v.
42. Ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum;
clarè indicat , se non aliud nouum imperium , sed
eiusdem

eiūdem imperij variis status significare. Faceant ergo Iudei qui diuisum Romanum Imper. interpretantur in Romanos & Turcas: nec enim Turcæ sunt pars, sed hostes iurati Imperij Romani. Di-
co ergo. Imperium Romanum prædici h̄c fore diuisum, id est, differens viribus; item dissidens & discors, vt cūm plebs in senatum, Sylla in Mariū, Cæsar in Pompeium, Augustus in Antonium, & alij deinceps in alios insurrexerunt: multi etiam Imperium inuaserunt. Vnde digitæ pedum significant inæqualitatem principum, cum plures sunt, dum alij maiores, id est potentiores, opprimunt minores: hi deinde potentioribus inuident. Potissimum verò diuisum fuit hoc regnum, ideoque eneruatum, cūm variæ gentes ab eius obedientia se subduxerunt, sibiique proprios reges crearunt, vti fecerunt Hispani, Poloni, Angli, Franci, &c. Porro B hæc regna fuerunt & sunt inæqualia, alia maiora, alia minora, sicuti digitæ pedum inæquales sunt, alij maiores, alij minores. Rursum ex duabus tibijs oriuntur decem digitæ pedum, & in eis tota statua definit: quia Romanum Imperium in fine mundi diuidetur in decem reges, quorum nullus erit rex Romanorum, sicut nullus digitus est tibia Digitorum enim extremitas finem continent Imperij deficientis & quasi expirantis.

Hinc initio hoc regnum fuit ferreum & validum, deinde fictile & contritum, id est facile con-
tritu, scilicet cūm Romani bellis ciuilibus se attri-
uerunt, & cūm Gothi, Alani, Vandali illud impē-
tierunt ita validè, vt saepius Romani ab eis pacem flagitare, inò operi contra alios Imperij hostes polcere coacti fuerint. ita S. Hieron. Vide Paulini Orosium l. 7. hist. c. 22. Atque in fine mundi à de-
cem regibus planè euertetur.

Nota. Hæc diuisio orta est ex plantario ferri: Va-
tablus vertit, ex firmitate, id est ex planta pedis sta-
tuæ, quæ ferrea erat. Secundò & melius vertas, ex
plantario, id est ex radice, pedis ferrei. ita Græca: πίζη
enim significat radicem: & Chald. נֶזֶב, nisibet, plantationem significat. Vnde Biblia Compl. hic legunt, de plantatione ferri. Melius Romana, de plan-
tario ferri: sic enim plantaria teste Seruio vocantur
ipsæ plantæ, quæ è semine ortæ, cum radicibus &
terra propria transferuntur de uno loco in alium.
q.d. Ex fortitudine & diuitijs, quæ erant quasi fer-
rum, id est robur, Romanorum, tamquam è radice
pullulabit eorum ambitio, indeque discordia, dum nec Cæsar Pompeium superiorem, nec Pompeius Cæsarem patrem patietur, & vt Alexander legatis Darij pacem & regni diuisionem offerentibus, re-
spondit: Sicut mundus non fert duos soles, sic nec
duos monarchas; Aut Cæsar, aut nihil. Sic ergo
Romæ sex aristocracia nata est tyrannis. Hoc est
quod canit Petronius Arbiter in Satyr.

Orbem iam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terra, qua sidus currat, virtutique.

Mox imperij vires lacerasse discordiam docet;

Nanque omnis regia celi

In partes didulta ruit.

Insciuere tubæ, ac scissæ Discordia crine

Extulit ad superos Stygium caput,

iubens factionibus discindi Româ. Ac concludit:

Factum est in terris, quidquid Discordia iussit.

Quocirca Iunoni, quæ regnorum præfæs habebatur, malum Punicum dedicarunt veteres, quod in eius manu. Mycenis spectabatur, cūm altera sceptrum gestaret. Sicut enim in malogranato, sub

Cornu in Daniel.

A uno exterius cortice multa interius grana vniuntur: sic plurimos cives vnitatis politiae continet, quos intus diuersitas familiarum distinguit. Malogranatum ergo est symbolum vniomis & concordiae, quæ reip. est basis & fulcrum, inò anima & vita. Hinc & pontifex Mosaicus in tunica ima gestabat tintinnabula mixta malogranatis, quæ vnitatem Ecclesiæ significabant, teste Eucherio & S. Gregor. in Cantic. 4. quod scilicet multæ gentes conspirarent in eundem sonum, hoc est, in eamdem fidei professionem, Deique laudem quasi tintinnabula; & in eamde animorum vniomem ac charitatem, quam notat malogranatum in mira illa, &c, vt S. Hieron. ait in Aggæi 2. quasi geometrica compositione granorum in diuersis mansuiculis uno cortice comprehensorū. ita Prado in Ezech. 19. 10.

COMMISCEBVTVR QVIDEM HVMANO SE- VERS. 430

MINE] Notat Daniel democratiam, vel aristocratiam Romanorum, q.d. Romani ad sedandas discordias iungent potentium connubia, facientque eos affines & cognatos; sed hæc coniunctio & affinitas instabilis erit & infirma, vti est misio ferri cum testa; nam summa potestas impatiens consortis erit. Huius rei veritas patuit in connubio Pompeij cum Iulia Cæsar's filia, & Marci Antonij cum Octavia sorore Octauij Atusti, atque aijs. nam hæc connubia ambitiosos foederare non potuerunt, quin in eædes & bella erumperent. Sic & hodie videmus regum connubia latè regnandi auditatem, indeque orta litigia & bella non tollere: maior enim & potentior est vis ambitionis quam cognitionis. Aliqui sic explicant, q.d. Imperium Romatum multis gentes, alias fortiores, alias imbecilliores continet (semina enim pro gentium & hominum varietate posuit;) sed non cohaerent sibi, nec sociabuntur, sicut nec testæ ferrum permisceri potest, ideoque totum tandem imperium dissoluetur. Verum hæc diuisio prouinciarum fuit etiam tunc, cūm maximè floreret imperium Romanum: nec hæc fuit causa ruentis imperij, quod in eo ferrum testæ, id est fortiores gentes infirmioribus sociarentur. Prior ergo expositio verior est.

Hæc est ergo statua vna, sed quadrifida, ob quatuor regna: vnde Zachar. c. 6. v. 4. eadem quadrigis disparibus comparat.

Vide h̄c rursus regnum & regum vanitatem & inconstantiam: statua hæc bales, id est pedes habet testaceos, quid testæ, quid luto vilius, mollius, fragilius? Primum Babylonis imperium, ceperit à Nabuchodonosore, finitum est in Balsasare, cœterum à Cyro; stetit annos tantum 70.

Secunda Persarum monarchia cœperit à Cyro, desist in Dario, eius est ab Alexandro; stetit annos ducentos.

Tertia Græcorū cœperit ab Alexandro, inde mox diuisa fuit in regna Ægypti, Syriae & Macedonie: stetit in Ægypto usque ad Augustum Cæsarem, qui Cleopatram cum Antonio ad spontaneam mortem adegit, regnumque Ægypti euertit; stetit inquam annos 288.

Quarta Romanorum, quæ cœpit à Julio Cæsare & Augusto, adhuc durat; sed quām diuisa & debilitata! Imperium tamen Romanorum & Romani senatus fuit longè antiquius, illudque labescere cœpit sub Cæsare & Augusto ob discordias & bella intestina. Vnde horum discordiæ & connubia recte cōparantur h̄c pedibus statuae mixtis

PPP

Imbriæ.
omnia que
imbecilla.
Et quām
parvo tem-
pore dura-
rint.

ex ferro & testa. Pedes enim sunt extrema statuę, in quibus ipsa finitur & desinit: ita hoc imperium interire & desinere coepit sub Augusto, ac per Christum tunc nascentem eversum, ut subdit Daniel.

Moraliter, speculum hoc intuemini, o filij Adg, ac discite, quia *omnis potentatus vita brevis*. Vbi nunc est Nabuchodonosor ille inclitus? vbi Cyrus? vbi Darius? vbi Pompeius? vbi Augustus? vixit, valdixit, valete & plaudite. Vbi Cæsar? vbi Antiochus? vbi Alexander?

*Vnius Pelleo iuueni non sufficit orbis,
Sarcophago contentus erit: mors sola fatetur
Quantula sint hominum corpuscula.*

Alexandrum heri totus orbis capere non potuit, hodie verna sex pedum capit: heri Alexander orbis, iam lumbrici dominantur, in modo depascuntur Alexandrum. An non in imagine (instar umbræ & umbratilis imaginis) pertransit homo, & frustra conturbatur? Et nunc reges intelligite: eruditimi qui indicatis terram; seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Alexander transiit, mortuus est, & comes stus à vermis: & vos transibitis, moriemini, & à vermis comedemini. Alexander in inferno sepultus est: caue te ne & vos ibidem sepeliamini.

Vbi iam Babylon? vbi Niniue? vbi Hierosolyma? vbi Roma orbis domina, arx totius mundi, dominus fortitudinis, imperij maiestas, terror universi, triumphorum gloria? an non testacea fuit, fragilis, caduca? Verè noster Lipsius lib. 3. de Magnitud. Romana c. 2. O spes & res humanae, quid es? quid sit? huic fleetite. En potens & superba illa Roma, que vix eterna audiebat, que victura cum seculis, que deorum opus & cura, tota periret, condita in ruinis suis iacet, & laboramus eruere & astrarere magnitudini eius fidem.

Certè vanitas vanitatū, & omnia vanitas. Quid est vita nostra? quid regnum? quid gloria? vapor est, somnium est, folium est. Homerius lib. 6. Iliad. homines comparat cum arborum folijs, quæ modò virescunt, in modo arescunt: nunc pulchritudine decorantur, nunc à vento rapiuntur. Euripides huius seculi felicitatem afferuit tantum durare per unum diem: Demetrius verò Phalereus per unum diu taxat temporis punctum. Quid ergo est rex? quid monarcha? homo est. Homo quid est? est umbræ somnium, inquit Pindarus. Quid est homo? est animal quo nullum est debilius & inconstantius, inquit Menander: nullum enim animal est quod crebris ac velocius modò surgat, modò cadat, quam homo. Quid est homo: est fortunæ lusus, inconstantia imago, temporis spolium, corruptionis exemplum. Quid est homo? est vniuersa vanitas, ait Psaltes psalm. 38. 6. Deum ergo time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo. Cælum cogita, æterna cogita.

44. In diebus autem regnum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur; & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.

45. Secundum quod vidisti, quod de monte abscessus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit regi quæ ventura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.

A IN DIEBUS AUTEM REGNUM illorum] VERS. 44. cùm scilicet quatuor regna iam dicta suum tempus, sua spatha regnandi habuerunt, eaque euoluta fuerint usque ad ultimum, hoc est, Romanis iam regnantibus,

VSICITABIT DEUS CÆLI REGNUM, QVOD IN AETERNUM NON DISSIPABITVR] Quintum regnum hoc Christi, quod alia omnia regna evenerit, non quoad temporale regimen, sed quoad idolatriam, aliaque vitia, omniaque sibi & suæ fidei ac obedientiae subiecit. Vnde hoc regnum non temporale est, sed spirituale & æternum, quod inchoatur hinc per fidem & gratiam, atque in cœlo consummabitur per gloriam. Licet enim Christus, qua homo, ob gratiam & dignitatem unionis hypostaticæ cum Verbo, esset etiam temporalis rex orbis, in modo rex regum & monarcha mundi; tamen ipse hoc regno & hac potestate regali vti noluit, sed tantum regno & potestate sua spirituali. Vnde hoc spirituale eius regnum tantum inculcat Daniel, aliquique Prophetæ.

Perperam ergo hoc loco abutuntur Rabbini, vt probent Messiam necdum venisse. Obijcunt enim: Hic lapis dicitur contriuisse aurum, argentum, æs & ferrum statuae, id est, imperia Chaldaeorum, Persarum, Græcorum & Romanorum: atqui imperium Romanorum videmus necdum esse contritum, sed adhuc stare: ergo lapis hic, id est Messias, qui illud conteret, necdum venit. Respondet Primò, Theodor. hinc, & Tertull. lib. extremo contra Iudeos, Christum non nunc, sed in fine mundi, putat in die iudicij, destrukturum omnia regna mundi, nimis planè & perfectè. Verum amplius aliquid vult Daniel: scilicet id cum facturum

in primo suo aduentu, mox à sui ortu. Respondeo ergo, Messiam contriuisse hæc omnia imperia, non Christi esse quoad temporale & terrenum dominium, quod spirituale, parui est momenti; sed quoad mysticum & spirituale, quo per gentilismū & idolatriam dominabantur tam mentibus, quam corporibus hominum, eosque dæmoni, inferno & poenis æternis mancipabant: quæ tyrannis erat acerbissima, sub qua duram seruitute seruiebant omnes gentes, gementes sub eius iugo. Hanc tyrannidem euertit Christus, hominesque hoc corum seruitutis iugo liberavit, dum eos suæ fidei subiiciens, in Dei gratiam, libertatem, & salutem æternam afferuit. Regnum ergo Christi non est caducum & terrenum, sed stabile & cælestē, regnum enim Christi est Ecclesia. Id ita esse patet Primò, quia lapis hic quem vidit Daniel, cum esset parvulus, non poterat tantum statuæ molem ex ære, ferro, auro & argento compactam prostertere physicè & corporaliter: ergo mysticè & spiritualiter, ac symbolice (est enim hæc visio tota symbolica) id accipiendum est, nimis ut significet, quod Christus humili & pauper sua humilitate, mundique contemptu deiecturus esset in mentibus fidelium per totum orbem, omnem ambitionem, pompam & fastum humanæ gloriae & concupiscentiæ, quam ingens hæc statua ostentatione, mole & pretio metallorum representabat.

Secundò, quia imperium Romanorum stabit ad finem mundi, scilicet usque ad Antichristum, qui illud destruet, ac mox ipse destruetur à Christo iudice, qui euertens omnia regna terrena, inducit regnum beatum & gloriolum in cælis, vti docet Daniel c. 7. v. 13. Ergo frustra Iudei expectant

Quid regnum?

Quid rex?
quid homo?

Quintum regnum Christi spirituale est & aeternum.

Obiectio Indorum:

Regnum Christi esse non certum.

Probatne Primò.

Secundò.

Tertio. Etat Messiam, qui Romanorum imperium destruat, ac pro eo regnum hic terrenum & longaeum in star Salomonis inducat: stabit enim, ut ait Daniel, Romanorum regnum usque ad finem mundi. Ergo Messias suum regnum triumphans & gloriosum non habebit in hoc mundo, sed in celo. Quocirca ait Daniel hic: In diebus regnorum illorum, q.d. Stante adhuc regno temporali Romanorum, orientur regnum spirituale Christi.

Quartò. Tertio, spiritale fore regnum Messiae, non terrenum & corporale, docet disertè Daniel c. 9. vbi definiens tempus Messiae, nimirum cum venturum post 70. hebdomades annorum, id est post 490. annos, ait de eo: Septuaginta hebdomades abbreuiatae sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam (non ut reducatur regnum Salomonicum & Iudaeum, sed) ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum. Vides, o Iudee, regnum Christi non fore in exercitibus, pompis & triumphis, sed in abolitione prævaricationis & peccati, ut pro eo inducatur sanctitas & iustitia, eaque in Christianis toto orbe regnet. Insuper, Daniel & Prophetæ aiunt Christi regnum fore æternum: ergo intelligunt cælestē: nullum enim regnum in terris potest esse æternum. Hoc est, quod Christus Pilato roganti an rex esset, respondit: Regnum meum non est de hoc mundo. Licet ergo Pontifices iam habeant dominium temporale, id tamen non habent qua vicarii Christi, sed quasi accessorium ex donatione Constantini, Caroli Magni, Machilidis & aliorum piortum principum.

Quintò. Quartò, quia Daniel & Prophetæ docēt, Messiam in hac vita adeò, non fore potentem & splendidum, ut planè significant eum fore pauperem, abiectū, pauperem, moriturum & crucifixendum, ut sua cruce & morte satisfaciat Deo pro peccatis nostris, eaque in suo corpore luat, & expiat. Audi Daniel c. 9. v. 26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est, vti Iudei eum negarunt coram Pilato, dicentes: Non habemus regem nisi Cesarem. Audi Isaiam c. 53. 2. Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitiunt: non est species ei, neque decor, &c. vidimus eum dejectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et v. 7. Oblatus est, quia ipse voluit, & non apernit os suum. Et v. 5. Ipse auctem vulneratus est proprie iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus. Similia habet David psal. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, & dinumeraverunt omnia ossa mea, &c. Et Ieremias c. II. 19. Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoni: quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: Mittamus lignum in panem eius, & eradicamus cum de terra viueniem.

Quinto. Quinto, quia regnum Christi non fore in carne, sed in spiritu, rebusque spiritualibus docent omnes Prophetæ. Isaia t. i. 1. 2. Requiescat super eum spiritus Domini, spiritus sapientie & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientie & pietatis, & repletebit eum spiritus timoris Domini. Iudicabit in iustitia pauperes. Et c. 42. 1. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extingueret. Et v. 6. Dedi te in fædus populi in lucem Gentium, ut aperires oculos eorum, &c. Et c. 49. 6. Ecce dedi te in lucem Gentium,

Cornelius in Danielum.

A vt sis salus mea usque ad extremum terræ. Et c. 61. 1. Spiritus Domini super me, eo quod unixerit Dominus me, ad amuntandum mansuetus misit me, ut mederer contritus: corde. &c. vt predicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis Deo nostro, & ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis pro spiritu mæroris, & vocabitur in ea fortis iustitiae. Talia passim habet Isaia. Et Ieremias c. 31. v. 33. Hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel, &c. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, dicens, Cognoscere Dominum. Omnes enim cognoscere me: quia propitiabor iniquitatibus eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Et cap. 33. 15. In diebus illis germinare faciam David gerumen iustitiae (Christum), & faciet iudicium & iustitiam in terra: & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus iustus noster. Et Zachar. c. 9. 9. Ecce rex tuus veniet tibi iustus & salvator: ipse pauper, & ascendens super asinum, & super pulum filium asinæ, &c.

B Quod ergo subinde Prophetæ dicunt, Christi regnum fore potens, & abundans auro, argento, vino, oleo, &c. id mystice accipiendum est. Gratias enim, & dona spiritualia Christi vocant metaphoricè aurum, argentum, vinum & oleum; quia Iudei carnales haec tantum bona norant & adabantur, nec spiritualia, nisi per corporalia mystice representata, capiebant.

D Denique ita docet S. August. tract. 115. in Ioan. Tertull. Cyprian. & alij in lib. quos contra Iudeos scripserunt, S. Bernard. scim. 3. super Missus, & alij passim, ac interpretes orthodoxi omnes.

C Porro haec euersio gentilismi, & hoc regnum spirituale Christi coepit mox à Christo per S. Petrum, Paulum, & alios Apostolos; unde & tunc Claudius Imperator multa sacrificia, multaque deorum festa abrogavit, hoc titulo, quod magni sumptus, multiq[ue] dies, cum damno publico in ijs insumerentur: sed altiore Dei consilio dirigebatur ad abolendam sensim idolatriam, & ad viam Christo, Christique regno sternendam. Testis est Diol. 6. & ex eo Baron. tom. I. Annal. Paulatim deinde crevit hoc regnum Christi, adeò ut sub Constantino totum Imperium peruerserit, ipsumque Imperium Romanum eisque Gentilitium, cum suis Imperatoribus factum sit Christianum. Nam, ut ait S. Gregorius epist. 60. Constantinus p[ro]fissus Imperator rem publ. à peruersis idolorum cultibus renunciavit, omnipotenti Domino Iesu Christo se subdidit, & cum subiectis populis tota ad Deum mente conuerit.

D Quocirca Imperatores à Pontifice confirmantur, consecrantur & coronantur. Et S. Hieron. ad Lætationem: Depositus: inquit, pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium, Scythie frigora feruent calore fidei, Getatarum rutilus & flanus exercitus Ecclesiastarum circumfert tentoria, &c. Christus ergo nascens verius fuit Augustus, quam ipse Augustus Cæsar: auxit enim Iu[m]os augusta gratia, salutem, omnique bono, ita Ven. Beda in illud Lucas 1. Exiit edictum à Cesare Augusto, ubi docet, Augustum quasi egentem & angustum, ab omnibus exegisse, censum & tributum; Christum vero quasi diuitem & augustum illud ei dedisse, cumque ac multo magis fideles suos ditassem. Quocirca Christo nato Augustus noluit amplius vocari Imperij dominus, immo, ut multi tradunt, Christum sibi in visione ostensum in Capitolio adorauit: inde enim locus dictus videtur aræ cœli, qui

qui etiamnum hoc nomine à multis colitur & visi-
tur insigni templo, quod Religiosi S. Francisci ob-
tinent, illustris. Ita ex Suida, Cedreno & Nicepho-
ro Baron. in prolegom. Annal.

VERS. 45.
Christi re-
gnum com-
paratur la-
pidi cur?

DE MONTE ABSCESSVS EST LAPIS SINE
MANIBVS] Hoc Christi regnum comparatur la-
pidi duro; quia Christus est petra supra quam fun-
data est Ecclesia, quae est regnum eius aeternum: &
quia Christus instar Davidis percussit Goliath, id
est dæmonem, lapide, id est humilitate & duritate
passionis & crucis sua.

Nota. *Lapis hic abscessus est de monte*, id est dæmo-
ne, aiebat Vigilantius, cui humana natura per pec-
cata & vitia adhæserat; sed hanc eius blasphemiam refutat S. Hieron. epist. 75. *De monte ergo*, id
est, de populo & Ecclesia Iudaica, quæ inter Gen-
tes quasi mons eminebat, ait S. August. tract. 9. in
Ioann. V. potius *de monte*, id est de B. Virginie, quæ
quasi mons habuit omnium virtutum & gratiarum
sublimitatem. ita idem August. in conc. ad cate-
chum. & S. Hieron. Theodor. Lyran. & alij.

Nota Secundò. *Lapis hic abscessus est sine mani-
bus*; tum quia Christus, qua Deus, à Patre genitus
est sine manibus creationis, ait S. Ambros. serm. 70.
Tum potius, quia Christus, qua homo, à Spiritu
sancto formatus est in utero B. Virginis, sine opera
virili. Vnde S. Hieron. epist. ad Eustochium de cu-
stodia virginit. c. 22. notat hīc, vti & Cant. 6. ma-
nus sumi pro opere nuptiali. Sic & Iren. li. 3. 28. Iu-
stin. dialogo contra Tryphon. Epiphan. serm. de
laudibus Virginis. S. August. tract. 9. in Ioannem,
Theodor. Rupert. & passim alij hīc. Porro Theodo-
r. solerter notat, ortum supra naturam solere la-
pidis excisionem nominari: petra enim ex se na-
turaliter aliquid producere aut generare nequit.
Hinc Isaiae 51. 1. dicitur: *Attendite ad petram unde ex-
cisi estis, & ad cauernam laci de qua precisi estis.* quod
explicat, dum subdit: *Attendite ab Abraham patrem
vestrum, & ad Sarah quæ peperit vos.* Isaac enim &
Hebræi ex sterili Sara prognati sunt supra natu-
ram, perinde ac si de petra præcisi essent. ita S. Hieron. ibidem. Itaque in conceptu & nativitate lapis
Christus sponte sua, nullisque interuenientibus
manibus in mundum descendit, eodem modo in
utero Virginis illapsus, & ex eodem elapsus, ait Proclus Cyzicenus homil. de Christi nativit. Simi-
le dat ex Dioscoride lib. 5. cap. 114. & S. Epiphani-
o lib. de 12. gemmis, Nicolaus Causinus parallel.
Histor. li. 11. c. 53. *Sicut*, ait, *sapphiri visceribus innascitur lapis sanè pretiosus, & ipso qui genuit pretiosior, luci-
sus & splendens carbunculus: ita ex virginum gemma*
*Maria natus est ille lapis angularis excisus de monte sine
manibus, matre nobilior, & matri totius nobilitatis au-
tor.*

O Virgo insignis, mater pia, nobile semen,
Quam Deus impleuit totius orbis ope.
In te habitans mundi lumen statione corusca,
Floruit interior per tua membra Deus.
Nunc vitæ fulgor penetrans & ad ima profundi,
Orbem alit, astra regit, tartara luce replet.

Porro Gentiles hæc ad deorum suorum super-
stitiones transtulisse, docet S. Iustin. contra Try-
phon. Iam, inquit, quando Mithragyrt. & suum Mithram
auunt saxo progenitum, & speluncam vocant locum ubi
discipulos initiant, nonne hic licet agnoscere saxum illud,
quod Daniel dicit excisum sine manibus? nimurum his quo-
que oracula effingere conantibus.

COMMIVIT TESTAM, ET FERRVM, ET AS,

A ET ARGENTVM, ET AVRVM] Lapis hic fuit conie-
ctus in statuam, tamque comminuit & confregit,
vti lapide solet statua deiici & confringi. Hoc
symbolicè significabat, quod regnum Christi spi-
rituale euerteret omnia regna mundi, omnesque
Gentes subderet Christo & Ecclesiæ.

Nota. Christi regnum alia omnia regna supe-
rat octo prærogatiis, scilicet Primò, duratione:
quia stetit iam 1600. annos, & stabit in aeternum.

Secundò, amplitudine: quia omnes mundi pla-
gas, etiam Indos & Sinas, sibi subiecit, aut subiicit:
hinc dicitur v. 35. *Lapis factus est mons magnus*, id est
Ecclesia magna: haec enim est mons domus Dei,
Isaiae 2. 1.

Tertio, vi & efficacitate, qua non solum corpo-
ribus in resurrectione, sed etiam animis mentibus,
que hominum intimè dominatur, atque ex obdu-
ratis, superbis, obscenis, rebellibus, facit molles,
humiles, castos, obsequentes.

Quartò, fructu: quia eos qui se illi subiicit li-
berat à dæmons, peccatis & inferno, facitque eos
filios Dei, & heredes cæli.

Quintò, modo quo partum & acquisitum est: *Quintò, mode;*
quia scilicet non armis, sed paupertate, humilitate,
cruce, domandis cupiditatibus, patientia, marty-
riis, contemptu honorum, opum & voluptatum,
atque amore rerum cælestium, Christus monar-
cha, eiusque Apostoli & sequaces illud constitue-
runt & propagarunt.

Sextò, excellentia sanctissimarum legum, quæ
omnem castimoniam, innocentiam, sanctitatem
& perfectionem præscribunt.

Septimò, fine: quia sibi subditos facit & creat
reges in cælo.

C Octauò, quia regem habet ipsum Christum
Deum ac Dominum omnium. ita Pererius.

46. Tunc rex Nabuchodonosor ceci-
dit in faciem suam, & Danielem adora-
uit, & hostias & incensum præcepit ut sa-
crificarent ei.

47. Loquens ergo rex, ait Daniel: Ve-
rè Deus vester Deus deorum est, & Do-
minus regum, & reuelans mysteria: quo-
niā tu potuisti aperire hoc sacramentū.

48. Tunc rex Danielem in sublime
extulit, & munera multa & magna dedit
ei: & constituit eum principem super om-
nes prouincias Babylonis, & præfectum
magistratum super cunctos sapientes
Babylonis.

D 49. Daniel autem postulauit à rege, &
constituit super opera prouinciæ Baby-
lonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: ipse
autem Daniel erat in foribus regis.

T V N C REX NABUCHODONOSOR CECI-
DIT IN FACIEM SVAM] Agnouit enim ex somnio
Danielem non fingere, sed verè apteque illud
interpretari. Cum enim Daniel somnium quod
ipse oblitus erat ei refricauit, mox ipse eius recordatus
est, sibiique dixit: Verè hoc somniaui, verè
hoc fuit somnium meum. Vnde ex eo prudenter
collegit: si Daniel tangit ipsum somnium, tanget
& eius significationem, neutrum enim naturali-
ter, sed sola Dei reuelatione sciri potest. Deus ergo
qui

qui reuelauit Danieli meum somnium, eidē quoque reuelabit somnij interpretationem. Ad hoc enim somnium ipsum ei reuelauit, vt scilicet per hoc futura quæ significat, cognoscere : alioqui enim frustra somnium ipsum reuelasset.

DANIELEM ADORAVIT] adoratione, id est veneracione quæ viris magnis & sanctis exhibetur, qua Abraham adorauit filios Heth, Genes. 23. 7. ita Vasquez & alij. Secundō, & verius, adorauit propriè hoc enim significat Chald. **תְּפִלָּה** **תְּפִלָּה** **תְּפִלָּה** het sigdetā, vocatur domus orationis, id est templum in quo adoratur Deus. Id mox clariss patebit.

ET HOSTIAS ET INCENSVM PRÆCEPIT VT SACRIFICARENT EI] Nota. Sacrificium Sanctis, imò Christi humanitati offerre, non licet, sed soli Deo: sacrificium enim est protestatio numinis, & diuinitatis eius, cui offertur. ita S. August. lib. 10. contra Faustum c. 21.

Quomodo rex Danieli sacrificari iussit? Primō, S. Hieron. regem hoc sacrificio non tam Danielē, quam in Daniele Deum venerari & colere voluisse: vnde ait, *Verè Deus vester Deus deorum est.* Sic Alexander adorauit Iaddo pontificem, id est Deum cuius pontifex erat Iaddo.

Secundō, idem Hieron. respondet, regem huius prophetæ magnitudine perturbatum & attonitum, id ex stupore inconsideratē iussisse.

Tertiō, Gabriel Vasquez lib. 1. de Ador. disp. 6. c. 3. cui fauet Card. Bellarm. respondet pro hostias hebr. esse **מִנְחָה** mincha, id est oblationes (vt vertit Syrus & Arabicus (& munera, scilicet odorum & suffituum). Hæc enim etiam Sanctis, imò imaginibus, offerri possunt, vt definit Synodus VII. act. 7. Vnde & Septuag. pro mincha, vertunt **μάνα**. id est munera, vt vertit Græcus Scholiast. puta thus, vt explicat Theodor. **μάνα**, id est, & suaves odores. Non ergo victimas carneas, sed thus & suffitus iussit rex adoleri Danieli, vti eadem Sanctis, imò regibus adolentur. Verum hæc numquam à principibus usurpata videntur, nisi cum insiniantes aduersi Numen diuinos honores affectarunt, vti recte obseruauit nostér Pineda lib. 5. de Rebus Salomon. c. 13. s. 9.

Quarto, verius videtur, regem propriè adorasse Danielem, & iussisse veras victimas sacrificari illi, tamquam Prophetæ diuino, habenti in se numen & spiritum Dei. Sic enim Gentiles suos reges, & homines sapientia aut virtute excellentes, quasi deorum filios adorabant, & sacrificijs colebant.

Audi Lycaonios Actor. 14. 10. de Paulo & Barnaba loquentes: *Dij similes facti hominibus descendunt ad nos, &c. sacerdos quoque iouis tauros & coronas afferens, cum populis volebat sacrificare.* Quin & Plato præter unum Dñum summum posuit alios minores deos pariter adorandos: & sic adorari voluit ipse Nabuchodonosor in statua quam erexit c. 3. 5. Sic ergo propriè rex adorauit Danielē, quasi hominem, imò Deum aliquem, de cælo lapsum: præsertim, quia ipsimet eius sapientes ei dixerant v. 11. non esse hominem qui somnium hoc regi enarrare posset, exceptis diis quorum non est cum homi-

Anibus conuersatio. Daniel autem illud regi enarravit, ergo ex eorum sententia, quasi unus ē dij haberet & coli debebat. Hunc sensum exigere videtur Pr. Probatur mō, vox hostia, quæ victimas propriè dictas significat; Secundō, vox sacrificarent, & Chald. **תְּפִלָּה**? Secundō, lenassecha, id est, libarent; Tertiō, vox adorauit nam Tertiō: Chald. est segid, vt dixi; Quartō, vox Chald. **מִנְחָה** Quarto, nichochin, quæ non significat quoslibet odores & suffitus; sed factos & religiosos, putat incensum & thymiam. Ad verbum enim nichochin, significat placamina, scilicet sacrificia & thurificationem quibus placatur Deus. radix enim Hebr. & Chald. **נוֹחַ** noach, in Cal significat quiescere, & in Hiphil, sedare, placare, propitiare.

Denique licet Hebr. mincha, subinde quodlibet donum aut munus significet, tamen quando iungitur cum incenso & sacrificio, vt h̄c fit, non nisi victimam significat. Nec aliud voluerunt Septuag. ipsi enim retinuerūt Hebreām vocem mincha, sed molliendo pro mincha posuerunt manaa. Sic enim gutturalē chet soleat emollire, camque in e, vel in a conuerttere; vt pro pesach vertunt phase, pro Corach Core, pro Tharach Thare, &c. manaa ergo est idē quod mincha, scilicet hostia & victimam. Id ita esse, patet ex Baruch 1. v. 10. vbi dicitur: *Emite holotautomata, & thus, & facite manna pro peccato ad aram Domini Dei nostri.* Vbi certum est manna esse idem quod mincha, & significare hostiam propriè dicetam, putat sacrificium.

Dices. Ergo idololatriam admisit h̄c rex, ei que consensit Daniel: tacuit enim, & permisit eam sibi impendi. Obiecit hoc olim Danieli Porphyrius, cui respondet h̄c S. Hieron. Porphyrium sequitur Caluinus dum ait, Danielem aulicis moribus fuisse corruptum. ita Aristarchus ille philoloedrus. Sed apage blasphemus, qui ex Propheta sanctissimo & sapientissimo facis Luciferum, Dei æmulatum, & diuini honoris cupidum.

Dico ergo, Danielem nullo modo consensisse, sed omni modo instituisse & impediuisse executionem mandati regij, vt restiterunt Paulus & Barnabas Actor. 14. Etsi Scriptura idipsum, vti & alia multa, h̄c taceat: satis tamen illud innuit eo ipso, quo mandatum hoc executioni datum esse, & Chaldaeos recipia sacrificasse Danieli, non commemorat: præsertim cum mox subdat Danielem à rege alio honore fuisse affectum, scilicet tori Babyloniae fuisse præpositum. ita Lytan. Dionysius D Carthus. Maldon. & alij.

SUPER OPERA] super negotia, q.d. Præfecit eos administrationi & regimini Babyloniæ.

DANIEL ERAT IN FORIBVS REGIS] Græcè est, *Daniel erat in atrio regis*, id est, Daniel erat in aula princeps regi proximus & intimus; ita vt nemo sine eius auctoritate ad regem ingredieretur. ita S. Hieron.

Aliter Vatabl. Daniel, inquit, in porta regis seddit, vt redderet ius, id est fuit iudex. iudices enim olim sedebant in portis urbium quasi in loco publico & omnibus obuio. Sed prior sensus est veterior. In Daniele ergo verum est illud Aristidis tomo 3. orat. 1. Platonica: *Maxima quoque in paucissimos cadunt.* Et, *Maximum reip. commodum in prouentu virorum bonorum consistit.*

C A P V T T E R T I V M .

S Y N O P S I S C A P I T I S .

NAbuchodonosor erigit statuam, in eaq; adorari vult: recusant id versu 8. tres pueri, Sidrach, Misach & Abdenago, unde v. 19. iubet rex eos mitti in fornacem ardente: ibi v. 24. orant Deum. Deus v. 49. mittit angelum qui eos seruat illas: hinc v. 51. canunt Deo canticum. unde v. 91. rex celebrat hoc miraculum Dei, eiusque potentiam & in suos prouidentiam.

Vers. 1.

NAbuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex, & statuit eam in capo Dura prouinciae Babylonis.

2. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus, & iudices, duces, & tyrannos, & praefatos, omnesque principes regionum, ut conuenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex.

3. Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus, & iudices, duces, & tyranni, & optimates, qui erant in potestatis constituti, & universi principes regionum, ut conuenirent ad dedicationem statuæ, quam erexerat Nabuchodonosor rex: stabant autem in conspectu statuæ, quam posuerat Nabuchodonosor rex: & præco clamabat valenter: Vobis dicitur populi, tribubus, & linguis:

5. In hora, qua audieritis sonitum tubæ, & fistulæ, & citharæ, lambucæ, & psalterij, & symphoniarum, & universi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream, quam constituit Nabuchodonosor rex.

6. Si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardentis.

7. Post haec igitur statim ut audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, lambucæ, & psalterij, & symphoniarum, & omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, & linguis adorauerunt statuam auream, quam consti- tuerat Nabuchodonosor rex.

Vers. 1.

Statua à
rege erecta
fuit anno
regni 37:

FECIT STATUAM AVREAM] Quo anno? Respondeo. Paulò post somnium cap. precedent. putà anno regni sui 37. qui fuit annus mudi 3379. Id patet ex eo quod iam Sidrach, Misach & Abdenago erant ab eo praefecti Babylonie, vt dicitur v. 12. hoc autem factum est post explicationem somnij à Daniele factam, anno eodem 37. vt patet c. præced. v. 48. Quod verò ylterius in annum regis 38. vel 39. hæc reiici non possint, patet ex eo, quod tunc rex eius regno cum bestijs habita- bat, vt dicetur cap. sequenti v. 2.

Vbi nota inconstans & volubile superbi regis ingenium. Velox obliuio est veritatis, inquit S. Hieron. vt qui dudum seruum Dei quasi Deum adorauerat, nunc statuam sibi fieri iubeat, vt ipse quasi Deus in statua ado- retur.

A Hinc patet, statuam hanc non fuisse Belis, vel aliorum deorū Babyloniorū, sed ipsius Nabuchodonosoris. Idem confirmatur Primo, ex v. 14. vbi ait rex: Deos meos non colitis, & statuam auream quam con- stitui, non adoratis: ergo dij regis, inter quos erat Bel, alij erant ab hac statua: hæc enim noua fuit & re- cens, cum statua Belis esset antiquissima. Secundo, ex Isaiae 14.13. vbi Isaia describens superbiam regis Babylonis, quasi alterius Luciferi, ait eum se Deum facere voluisse. Dicebas, inquit, In celum con- scendam, &c. similis ero Altissimo. Tertiò, quia ob hanc superbiam Nabuchodonosor summè à Deo est humiliatus, vt qui voluerat esse Deus, fieret bestia; vt patebit cap. sequenti. ita S. Hieron. hic, licet ipse in c. i. Habacuc, contrarium doceat. Verum ibi, vt solet, non suam, sed aliorum refert sententiam. ita & Pererius, Maldonat. Pintus & Theodor. qui addit regem hanc statuam sibi erexisse ex eo, quod in statua quam viderat c. 2. Daniel ei dixerat: Tu es caput aureum. Inde enim intumuit, vt simili- lem sibi statuam erigeret, in eaque adorari vellet. Simili modo Alexander Magnus, Augustus Cæsar, Caligula, Antiochus Epiphanes, rex Tyri, vt patet Ezech. 28.2. & alter Nabuchodonosor, qui misit Holofernem Judith 6.2. tamquam dij coli voluerunt, etiam dum adhuc viuerent.

C Verisimiliter coniicit Maldonat. hanc statuam erexisse regem suggestu Chaldaeorum, qui inuiden- bant præfecturam Babylonis tribus Iudeis, putà Sidrach, Misach & Abdenago; idcirque vt eos regi inuidios facerent, & gradu deiicerent, suggestisse ei hanc statuam, quam scirent eos neutiquam adoraturos, itaque regem in eos exarsurum, vt & contigit. Simili enim modo Medi c. 6. v. 13. Danieli tetenderunt infidias apud Darium regem. Ad- ditique Maldon. eos in odium Danielis, eiusque statuæ c. 2. hanc ei contraria statuam regi suassisse, vt per eam, illa quæ prædixerat Daniel de Persis Babylonem euersus refutarent & euerterent; id- coque eam non ex quatuor metallis, sed ex puro auro fabricari iussisse, vt significant regem, cuius hæc erat statua, non tantum esse caput aureum, vt dixerat Daniel: sed & toto corpore esse aureum, solumque fore perennem orbis monarcham. Ad-

D hæc, Chaldaeos murmurasse contra regem, quod Danieli Iudeo omnia crederet, ita vt videretur fa-ctus esse Iudeus, vt fecerunt cap. 14.17. Regem ergo leuem & mobilem, vt hoc murmur compe- sceret, vtque suspicionem iudaismi à se amoueret, atque vt Chaldaeos sibi conciliaret, hanc statuam sibi erigi iussisse, vt non Deum Iudeorum colere, sed ipse vt Deus colli velle videretur.

Hæc conjectura non caret veri specie, cui fauet & Theodor. dum ait regē voluisse facere statuam præstantiorem ea, quam ipse videt in somno, & magnitudine, & nobilitate materiæ.

Symbolicè, statua hæc est hæresis, quam hære- tici auro, id est eloquacia & testimonij S. Scriptu-

[Biblia et. T.]

221 Commentaria in Danielem prophetam. duc-
tore R. S. Cornelio Cornelii a Lapide.

Iacobum Menistium
Anthepiae

1654

R. 32266 Th. + 1253 - 1414 p. t. indices
Tol.

*Symbolice
statua est
mundana
felicitas.*

et exortant, inquit S. Hieron. Rursum est munda- A na felicitas & pompa, inquit Irenaeus lib. 5, in fine: hæc enim habet aurum diuinitatum, atque altitudinem honorum & potentiae, sed fallacem & mendacem.

Denique tres hi pueri fuerunt primitiae Martyrum, ac typus Martyrum quos Nero flammis in circo, aliisque tyranii iisdem vel alijs tormentis occiderunt. Neronis enim, qui primus persecutionem contra Christianos mouit, figura fuit Nabuchodonosor: sicut Romæ Ethnicæ, & sanguine Martyrum cruentæ figura fuit Babylon, ut patet Apocal. c. 17. & 18. ita Rupert. in Daniel. c. 7.

AVREAM] Statua hæc cauæ erat, non solida, aliqui immensi fuisset pretij; erat enim sexaginta cubitorum.

ALTITUDINE CVBITORVM SEXAGINTA] Ergo facies huius statuæ longa erat sex cubitos, nafus duos cubitos, pectus decem cubitos, pedes decem cubitos, manus sex cubitos. nam hæc est proportio partium in corpore & statuæ humana, ut facies sit eius pars decima, nasus trigesima, pectus sexta, pes sexta, manus decima. ita ex Vitruvio & Cardano Peterius. Quamquam ministri regis vel ex ignorantia, vel ex avaritia, vel alia de caula, non videntur in hac statua exactam proportionum symmetriam obseruasse: iuxta illam enim longitudine sexaginta cubitorum exigebat decem cubitos latitudinis: hæc enim est sexta pars longitudinis; non sex duimtaxat, vt habeat statua. Vnde disces tropologicè, mundum & mundanos magis spectare cella, quam solidæ; ut enim suam pomam ostentent, alta querunt, sed iustis fundamentis destituta, quæ proinde citò corrunt & euaneantur.

AD CONGREGANDOS SATRAPAS] Suggesterunt hoc regi Chaldaei, tum ut maior esset dedicationis solennitas, tum ut ad eam venire cogerentur Sidrach, Misach & Abdenago (utpote satrapæ regni) in quos hæc faba cudebatur. Vnde & propter eosdem, poenam ignis statuam adorare recusantibus constitui, & per præconem promulgari, curauerunt: nam Babylonios, utpote in idola proclues, hac poena cogere non erat opus. Ex hoc tamen facto & mandato Nabuchodonosoris deriuatum videtur, quod scribit Philostr. lib. 1. de Vita Apollonij c. 19. nimurum in Babylone fuisse mortem, ut satrapa portæ urbis præsidens neminem in urbem ingredi permitteret, nisi prius regis statuam adorasset. Potro Satrapa vox est Persica, quæ latine præfectum significat, sicut satrapia perfecturæ. Quare ridiculum est, & illatio illi sæculo condonandum, quod ait Lyran. *Satrapa dicitur, quod satrapas.* Præfecti enim avari solent esse rapaces.

ET TYRANNOS] ærarij præfectos, qui tributa exigebant. Vnde Vatablus, Arias & alijs vertunt, *questores*. Verè S. Hieron. *Principes*, ait, *congregantur ad adorandam statuam*, ut per principes seducantur & gentes. *Qui enim diuites sunt & potentes*, dum timent carere diuitijs & potentia, facilius supplantantur: seductis autem magistratis, subditæ populi maiorum exemplo pereunt. *Quis enim est plebe statuam non adoret*, quam à suo principe adorari videt? *Quam multi* hodie auream opum & honorum statuam, quasi idolum colunt!

8: Statimq; in ipso tempore acceden-tes viri Chaldaei accusauerunt Iudeos;

9. dixeruntque Nabuchodonosor re-
gi: Rex in æternum viue:

10. tu rex posuisti decretum, ut omnis homo, qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniaræ, & vniuersi generis musicorum, prosternat se, & adoret statuam auream:

11. si quis autem non procidens adora-
uerit, mittatur in fornacem ignis ardoris.

12. Sunt ergo viri Iudei, quos constituisti super opera regionis Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: viri isti con-
tempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos nō colunt; & statuam auream, quam erexisti, non adorant,

13. Tunc Nabuchodonosor in furore, & in ira præcepit, ut adducerentur Sidrach, Misach, & Abdenago: qui confes-
sim adduci sunt in conspectu regis.

14. Pronuntiansque Nabuchodonosor rex, ait eis: Verène Sidrach, Misach, & Abdenago deos meos nō colitis; & statuam auream, quam constitui, non adoratis?

15. Nunc ergo si estis parati, quacumq; hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, ci-
tharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniaræ, omnisq; generis musicorum, prosternite vos, & adorate statuam, quam feci: quod si non adoraueritis eadē hora mittemini in fornacem ignis ardoris: & quis est Deus, qui eripiet vos de manu mea?

STATIMQVE] Td statim confirmat suspicionem VERS. 8. iam dictam, scilicet hæc omnia conflata esse à Chaldais in odium trium puerorum, quos rex præfeccerat Babylonie: hocque ipsi refricant regi v. 12. dum aiunt, *Sunt viri Iudei, quos constituisti super opera regionis Babylonis*, q.d. Iudeos præfecisti Babylonie, eosque in hac re nobis popularibus tuis prætulisti: ecce hi ipsi miseri, peregrini, captiui, & Iudei, quos ita euexisti, te spernunt, tibi ingrati & rebellis sunt.

SIDRACH, MISACH ET ABDENAGO CON- VERS. 12.
TEMP SERVNT] Ceterorum Iudeorum, utpote ple-
beiorum, mentionem non faciunt; quia horum trium caput & statuム petebant. Danielis non me-
minerunt: quia Daniel aberat, forte à rege aliò ad
negotia missus, ut vult Lyran. Vel, si aderat, quasi
primus à rege, regi astabat: vnde sicut rex suam sta-
tuam nō adorauit, ita nec Daniel. Potro Nazianz.
orat. 47. (si tamen est eius) Feruntur, ait, *tres pueri in*
Babylone in fornacem conieci, Ezechiae filij fuisse filij, id
est nepotes: erat enim ex semine regio, ut patet c.
1. v. 3: propriè enim filij Ezechiae esse nequievint:
nam à morte Ezechiae usque ad hunc annum re-
gni Nabuchodonosoris 37. fluxerunt anni 133.

Nota. Hi tres viri erant hoc tempore circiter 57. annorum: erant enim coœvi Danieli, qui hoc tem-
pore erat 57. annorum, ut dixi c. 2. v. 1. non ergo erant pueri, aut iuuenes: quia præerant toti Babylo-
niæ; vulgo tamén vocantur tres pueri, quia pueri abducti erant è Iudea in Babylonem c. 1. v. 4. Sic enim & hodie multi viri, vulgari lingua vocantur Iohanniculi, quia pueri ita vocati fuerunt.

VERS. 15.
Sambuca
quid?

SONITVM, &c. SAMBUCA] sambuca, siue sam-
byx, erat genus instrumenti musici trianguli, quod
neruis longitudine & crassitudine inaequalibus
constabat. solebat leuiori carminum generi adhi-
beri: unde proverbum, Sambucam aptare cothurnos,
id est leuia aptare grauibus.

Symponia
quide

SYMPHONIAE] Symphonia græcæ est conso-
nantia & concentus musicus: hic tamen videtur
esse instrumentum musicum (vti & alia hic) quod
ferro in orbem traducto agitatur, editque suauem
concentum, quale est illud quod hodie cæci men-
dici circumagendo pulsant.

16. Respondentes Sidrach, Misach, &
Abdenago, dixerunt regi Nabuchodonosor: Non oportet nos de hac re respon-
dere tibi.

17. Ecce enim Deus noster, quæ coli-
mus, potest eripere nos de camino ignis
ardentis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.

18. Quòd si noluerit, notum sit tibi, rex,
quia deos tuos non colimus, & statuam
auream, quam erexisti, non adoramus.

VERS. 16. NON OPORTET NOS DE HAC RE RESPON-
DERE TIBI] Nota. Hi tres pueri interrogati de
sua fide & religione à rege, debebant ei respondere, suamque fidem & religionem profiteri, vt
de facto hic respondet & profitentur. Alter ergo
hic & respondere accipitur. Itaque sensus est, q.d. Nō
oportet, id est, non opus est, respondere, id est cogitare
& deliberate quid respondeamus. Est metalepsis,
q.d. Non est opus ad tibi respondendum de hac
re, vtpote facili & certa, aliqua deliberatione, quā
videris ô rex nobis offerre, dicens, Si estis parati: cer-
tum enim fixumque nobis est, vnum Deum cæli
& terræ colere, nec statuam tuam adorare, vt se-
quitur, non ergo negant opus esse responso, cum
continuo respondeant, sed deliberatione.

Secundò, & planius, q.d. In re tam stolidâ, im-
pia & indigna, quam nobis proponis, non est opus
responso. Clarū enim est: vnum tantum est Deū
quem colimus, eumque posse nos à tuis manibus
liberare: quòd si nolit, cum tamen solum coleamus,
non tua idola. Vnde Septuag. vertunt, non necesse
habemus nos de verbo isto respondere tibi.

Nota hic intrepidam libertatem, resolutionem,
fortitudinem & animos horum trium puerorum,
quos graphicè depingit S. Chrysost. hom. 4. & 6.
ad populum.

Tertiò, Vatabl. & alij vertunt, non est nobis cura,
vel non sumus solliciti super hac re tibi respondere: quia
Deus curam gerit nostri, ille potens est nos libera-
re, si velit; si nolit, & hoc nobis placet: tam enim
mors, quam vita nostra illi curæ est. siue enim vi-
uitus, siue morimur, Domini sumus.

Hic sensus non est incommodus, prior tamen
est commodior. Nam Chaldæum נְשָׁנָת chasach, si-
gnificat esse opus, vel esse necesse, vt vertunt Septuag.
non autem, esse sollicitum: nisi dicas illud ex hoc
consequi: ideo enim aiunt, non esse opus respon-
so, quia de eo non erant solliciti. Pulchrè & piè S.
Zeno Veron. Episc. & Martyr sub Galeno Imper.
Serm. i. de tribus hisce pueris: Tres, inquit, pueri in illo
sacro certamine pre oculis Deum sibi proposuere, non flam-
mas: premium futurum, nō poenam. Sicq; inter tetros un-
datus incendi globo triumphantes, barbarum regem, mi-
nas omnes, ipsum quoque supplicium docuerunt, ignes san-

A His hominibus non esse fortiores. Et scim. 6. Vindicantur
de incensoribus suis, Deum vident: mors transit in vitam,
metus in gloriam. Sic quis non optet ardere? Hi ergo
Heroes sunt, in quos competit aurea illa Ptolemei
sententia, quæ habetur in Præfat. Almagesti: Ille al-
tior est mundo, qui non curat in cuius manu sit mundus.

Similis fuit resolutio & respōsio S. Cypriani, ad Martyrum
similem propositionem Proconsulis: Aut sacrificia
diu, aut peribis. Respondit enim Cyprian. Christianus
sum, & diu sacrificare nō potero. Tu vero quod tibi prece-
peum est, fac. In re enim tam iusta, nulla consultatio est.
Deinde morti adiudicatum se audiens, dixit: Gra-
tias ago Deo omnipotenti, qui me à vinculis huic corpori
dignatur absoluere. ita Pontius Diacon. in eius Vita.

Ita quoque paulo auctore mortem S. Cypriani fe-
runt à Præside clibanum calcis accensum, & in ore
illius prinas cū thure exhibitas, & Præsidē dixisse
Christianis: Eligite è duobus vnum, aut thura hic
offerre Ioui, aut in calcem demergi. Tunc trecenti
viri fide armati, se ictu rapidissimo, Christū Dei
filium confitentes, coniecerunt in ignem, & inter
vapores calcis pulucre sunt demersi; quos sibi
Christus consecravit. testis est Pontius ibidem.

Ita Liberius Pontifex, cum Constantius Impe-
rator mandasset, vt, nisi intra biduum sententiam
mutaret, & ad Arianos inclinaret, relegaretur, re-
spondit: Mibi, ô Imperator, die ad deliberandum non est
opus. Iam enim olim ista & deliberata sunt à me, &
decreta. Itaque iam ad hinc discedendum paratus sum. Te-
stis est Sozom. lib. 3. c. 1b.

Ista communis olim Martyrum fuit sententia,
cuius causam assignat Tertull. Apolog. vlt. Cruciate,
inquit, torquete, damnate, atterite nos. Probatio est enim
innocentie nostræ iniquitas vestra: crudelitas vestra, ille-
cibra est sectæ nostræ: plures efficiunt quoties metimur à vo-
bis. semen est sanguis Christianorū. Omnia huic operi deli-
cta donantur: cum damnamur à vobis, à Deo absolvimur.

Idem in lib. ad Martyres, Christianas in carcere
alloquens: Bonum, inquit, agenem subiit ira estis, in quo
agonistæ, Deus vnius est: xistarchæ, spiritus sanctus:
corona, eternitatis bracii: angelice substantie politia cæ-
lis: gloria in secula seculorum: epistles vester Christus Ie-
sus, qui vos spiritu vnxit, & ad hoc sciamma produxit. De-
inde allatis exemplis Gentilium, Lucretiæ, Dido-
nis, vxoris Alciubalis, meretricis Atheniensis, Mu-
tii, Heracliti, Empedoclis, Reguli & puerorum
Spartanorum: Si illi, inquit, gladium, ignem, crucem,
bestias, tormenta contempserunt sub premio laudis huma-
ne, quid ni modice sint iste passiones ad consecrationem
glorie celestis, & divine mercedis?

D S. Cyprian. lib. de Laude martyrij: Martyrium, in-
quit, est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis,
iter patientie, magister domus vite. Si iustus es, & Deo cre-
dis, quid pro eo sanguinem fundere metas, quem pro te to-
ties passum esse cognoscis? In Isaia sectus, in Abel occisus, in
Isaac immolatus, in Ioseph venundatus, in homine cruci-
fixus est. Martyrij inseparabilis est gloria, infinita mensura,
immaculata victoria, triumphus immensus, velut socio
Christi cruore decoratus.

Idem epist. ad Martyres: Steterunt, inquit, torti
torquentibus fortiores: expugnabilem fidem superare non
potuit se uiens diu plaga repetita, quamvis rupta compage
viscerum, torquerentur in seruis Dei iam non membris,
sed vulnera. Pretiosa est hec mors, quæ emit immortalia-
tatem pretio sanguinis sui, quam letus illic Christus fuit,
quam libens in talibus seruis suis & pugnauit, & vicit.
Denique generosè dixit ille athleta: Pœns sunt
pœns queis super astra vehor.

VERS. 17.

ECCE ENIM DEVS NOSTER QVEM COLIMVS] Alludunt, inquit Maldon. ad verba regis, eiusque in Deum contumeliam contrarijs verbis diluunt, atque Deo suum honorē afferūt. Dixerat rex v. 15. Et quis est Deus, qui vos eripiet de manu meā? Respondent illi: Ecce Deus noster quem colimus, potest eripere nos de camino ignis, & de manibus tuis, ô rex, liberare.

VERS. 18.

QVOD SI NOLVERIT] Nota horum puerorum prudentiam & resignationē. **Pulchrè**, inquit S. Hieron. illi iustenes dixerunt: Sed si noluerit, ut non impossibilitas is Dei, sed voluntatis sit, si perierint. & Theodor. q.d. Nos pro mercede aliqua Domino nostro non seruimus, sed amore eius omnibus rebus cultum ipsius preferimus, ipsi omnem nostram gubernationem & prouidentiam permitimus; quamlibet iudicij eius senteniam, tamquam meliorē, nobisq; utiliorem, libenter accepturi. Nam, ut de iisdem ait S. Cyprian. epist. 56. ad Thibaritanos. **Hoc est robur virtutis & fidei**; credere & scire quod Deus à morte presente liberare posse; & tamen mortem non timere, nec cedere, ut probari fortius fides posse. Hæc puerū resolutio, pietas, fortitudo & resignationē meruit & obtinuit, ut illæsi in igne permanerent. Idem multis virginibus & Martyribus noui testamenti contigit, Hosce imitemur, & similia experiemur.

19. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore: & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, & Abdenago, & precepit ut succederetur fornax septuplum quam succendi consueverat.

20. Et viris fortissimis de exercitu suo iussit, ut ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abdenago, mitterent eos in fornacem ignis ardantis.

21. Et confessim viri illi vindici cum braccis suis, & tiaris, & calceamentis, & vestibus missi sunt in medium fornacis ignis ardantis,

22. nam iussio regis urgebat: fornax autem succesa erat nimis. Porro viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abdenago, interfecit flamma ignis.

23. Viri autem hi tres, id est Sidrach, Misach, & Abdenago, ceciderunt in medio camino ignis ardantis, colligati.

24. Et ambulabant in medio flammæ laudantes Deū & benedicētes Dominō.

25. Stans autem Azarias orauit sic, apertisque os suum in medio ignis, ait:

26. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile & gloriosum nomen tuum in sæcula:

27. quia iustus es in omnibus, quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, & via tua recta, & omnia iudicia tua vera.

28. Iudicia enim vera fecisti iuxta omnia, quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorum Ierusalem: quia in veritate, & in iudicio induxisti omnia hæc propter peccata nostra.

29. Peccauimus enim, & iniquè egimus recedentes à te: & delinquimus in omnibus:

30. & præcepta tua non audiuimus,

A nec obseruauimus, nec fecimus sicut preceperas nobis ut bene nobis esset,

31. omnia ergo, quæ induxisti super nos, & vniuersa, quæ fecisti nobis, in vero iudicio fecisti:

32. & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum, & pessimorum, prævaricatorumque, & regi in iusto, & pessimō ultra omnem terram.

33. Et nunc non possimus aperire osculatio, & opprobrium facti sumus servis tuis, & his qui colunt te.

34. Ne, quæsumus, tradas nos in perpetuum propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum:

35. neque auferas misericordiā tuam à nobis propter Abrahā dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctū tuum.

36. quibus locutus es pollicens quod multiplicares semē eorū sicut stellas celi, & sicut arenam, quæ est in littore maris:

37. quia Domine imminui sumus plus quā önes gentes, sumusq; humiles in vniuersa terra hodie propter peccata nostra.

38. Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neq; holocaustū, neque saeculum, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coram te,

C 39. ut possimus inuenire misericordiam tuam: sed in animo contrito, & spiritu humilitatis suscipiamur.

40. Sicut in holocausto arietū & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificiū nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te.

41. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam.

42. Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ.

43. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine:

D 44. & confundantur omnes, qui ostendunt seruis tuis mala, confundantur in omnipotētia tua, & robur eorum cōteratur:

45. & sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriōsus super orbē terrarum.

46. Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naaphtha, & stuppa, & pice, & malleolis,

47. & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem:

48. & etupit, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldaeis.

TIARIS] Tiara genus est pilei, quo Chaldaei & Persæ vtuntur. ita S. Hieron.

ET AMBLABANT IN MEDIUM FLAMMÆ LAV- DANTES DEVUM] Est hysterologia. Hoc enim posterius

sterius contigit, scilicet postquam angelum viderunt se tutantem, & ignes abigentem; ita ut certi essent se in igne fore illatos. Tunc enim solutis aangelo vinculis ambularunt laudantes Deum, diciturque, *Benedictus es Domine, &c. v. 52.* Et fortè hic versus eò pertinet, & olim in Hebreo eò loco positus erat: in laciñis enim hisce ex Theod. insertis, non ubique seruatus est ordo, qui erat in Hebræo. Idem videlicet in laciñis additis ad librū Esther c. 10. 11. & sequ. Vnde Vatabl. hæc verba omittit. Hic ergo fuit ordo rei gestæ: Primo, hi pueri colligi coniecti sunt in fornacem. Descendit cum eis angelus tutans eos ab igne, sed ab eis necdū visus: vnde orat Deum ut se ab igne tutetur, v. 26. Mox angelus se eis ostendit ignem abigens: vnde solutis vinculis ambularunt cum eo laudantes Deum, v. 52.

VERS. 25. STANS AVTFM AZARIAS] Nota. Azarias nomine suo & sociorum hanc orationem protulit in medio flammarum, antequam angelus ei apparet, cum adhuc incertus esset an ex flammis eripendus esset, nec ne. Vnde ex ijs eripi orat, v. 43. dicens: Erue nos in mirabilibus tuis, idq; oratione hac impetravit: vnde mox v. 49. apparuit angelus liberans eum cum socijs. Ita solet Deus suos initio in tentatione relinquere, ut cum inuocent, & inuocatus mox succurrat. Quocirca in Vitis Martyrum passim legimus eos dum cruciaretur, semper ad Deum se conuertisse, ac vires & fortitudinem ab eo postulasse & impetrasse: sciebat enim se suis viribus tam acria & varia tormenta sustinere non posse, sed eas à Deo petendas. Hinc nonnulli in ecclesis titubantes, dum orarent, à Deo confortati sunt: alij sibi fidentes à Deo relicti, ceciderunt.

Nota. Hæc oratio, & cetera usque ad v. 91. iam non extant in Hebræo, sed ea ex Theodotione se translatisse fatetur S. Hieron.

VERS. 26. BENEDICTVS ES DOMINE] Docet hic Azarias, orationem inchoandom esse à laude Dei: laudandus enim est Deus, etiam cum aduersa nobis immittit, etiam in morte & martyrio; vti hi tres in igne laudent Deum, Deique iustitiam sua suorumque peccata castigantem. Vide dicta 1. Tim. 2. 1.

VERS. 27. UNIVERSA OPERA TUA VERA] Id est integra Opera Dei vera sunt, & perfecta Opera & iudicia Dei tripliciter vera sunt, inquit Peter. Primo, veritate entis: quia sunt conformia suæ regulæ, scilicet sapientiae Dei. Secundo, veritate iustitiae: quia per ea iuste Deus punit inipios, & præmiat pios. Tertio, veritate fidei: quia respondent Dei promissis & comminationibus.

VERS. 28. IN VERITATE ET IN IUDICIO] Hoc est, in veritate iudicij, siue in vero, id est iusto, iudicio. Est hendiadis. Sensus est q.d. Iuste à Domine Ierusalem, Iudeos, & nos tradidisti Chaldeos; quia peccatum tibi. Nota humilitatem Sanctorum & Martyrum, qui publicas clades, quin & suas in ijs mortes & martyria, suis suorumque peccatis adscribunt; quia videlicet ad eumulum peccatorum, ob quem Deus tā graues clades immittit, aliquid cuiusque, etiam Sancti & Martyris, peccata addunt & conferunt, licet paruum id sit & exiguum. Pari modo peccatis suis stragem Antiochi, tuar. que in ea necem & martyrium adscribunt septem fratres Machabæi, 2. Machab. 7. Alioqui certum est Sanctos Iep̄ tantas clades suis peccatis non esse promeritos. Sic enim Job suas afflictiones non esse promeritum, ipsem totuero contra amicos suos docet & protestatur, idque approbat Deus cap. 42. 7.

A Sic David in psalmis saep̄ protestatur se esse innocentem, nec meruisse tantas Saulis & hostium persecutions. Denique articulus hic: Omnes Sanctorum afflictiones esse penas peccatorum ipsorum, est damnatus à Gregorio XIII. & Pio V. Pari modo hi pueri ignem hunc suis peccatis non erant promeriti, sed totus populus, cuius ipsi erant pars.

PESSIMO ULTRA OMNEM TERRAM] Id est, pessimo supra omnes terræ reges & tyrannos. Ita Iuuentius & Maximianus milites Christiani, cùm Julianus Apostata in foro non alias cibos vendi peccitteret, quām idolis immolatos, aut eorum aqua lustrali aspersos, dixerunt: O Deus tradidisti nos regi iniquo, qui te deseruit supra omnes gentes terræ. Quare grauiter à Juliano excruciat, enecati sunt. Ita Theodor. lib. 3. hist. c. 14. Ita Deus Christianos ob peccata, tradidit Decio & Valeriano tyrannis, idque visione quadam præmōstrauit. Refert eam S. Cyprian. lib. 4. epist. 4. Nec venissent, inquit, fratribus hæc mala, si in unum fraternalis fuisset animata. Nam illud ostensum est, quod sederet pater familiæ sedente sibi ad dexteram iuene, qui iuuenis anxius, & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens mortale vultu sedebat. Alius vero in sinistra parte consensu rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, dictum est ei qui hoc vidit: iuuenem qui ad dexterā sic sederet, contristari & dolere quod precepta sua non obseruarentur: illum vero in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio ut à patrefamilias porestatem sumeret se ueniendi.

CONFUSIO ET OPPROBRIUM FACTI SVMVS] **VERS. 33.** SERVIS TVIS] putà Iudæis, fidelibus tuis: hisce enim obiectant hostes nostri & nominis tui, putà Gentiles idololatriæ, calamitates nostras, qui te eadem cum illis fide colimus; dicuntque: Vósne estis socij & gentiles istorum reorum qui viui in ignem sunt coniecti? vósne Deum illum colitis, qui vestros hosce populares ita affligi & cremari permittit? qui vos non potest, aut non vult, è captiuitate & tantis ærumnis liberare?

NE QVÆ SVMVS TRADAS NOS] Gentibus & **VERS. 34.** igni huic deuorando.

ET NE DISSIPES TESTAMENTVM (id est pa- **VERS. 35.** cum) TVVM PROPTER ABRAHAM DILECTVM & 36. TVVM] Nota. Abraham vocat dilectum Dei: quia ab eo ex Chaldeæ & idolatria electus & educatus, factus est pater Christi & credentium. Isaac vocat sernum Dei, propter obedientiam, qua se Deo per manus patris victimam tradidit. Jacob vocat sanctum, Primo, ob innocentiam; Secundo, quia ipse sc Deo obtulit, primusque ei vovit decimas; Tertiò, quia Spiritu sancto plenus Azarias prædictis futura, & respexit in Christum, qui est Sanctus sanctorum, ex Jacob nasciturum.

ET NON EST IN TEMPORE HOC PRINCEPS, ET **VERS. 38.** DVX, ET PROPHETA] Quia Daniel potius somniorum regiorum erat interpres, quām Propheta populi: Ezechiel autem Propheta aberat, agebatque in Chobar, alijsque Chaldaæ locis, eratque is vnius & captiuus. Itaque non est, id est, vix nullus est.

NEQVE SACRIFICIVM] Templum enim & altare cum Ierusalem erat euersum; & licet postea Iudæi nouum altare crederint, vt patet Baruch 1. 1. tamen pauperrime, parissime & tenuissime in illo vrbis ruinis eo vtebantur.

SICVT IN HOLOCAUSTO ARIETVM] Multi co- **VERS. 40.** dices hæc ita dispungūt, vt hīc inchoet sententiā, quę per antopodoton, hoc est similitudinis redditionem

tionem, expleatur cum subditur: *sic fiat sacrificium nostrum*. Verum sic dicendum fuisset: *Sicut holocaustum (non in holocausto) arietum, sic fiat sacrificium nostrum*. Dico ergo haec verba esse referenda ad id quod praecedit, sicut; esse ordinanda & dispungenda cum Septuag. & Rom. In animo contrito & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, &c. q.d. Sicut suscipit holocaustum arietum, sic suscipe animum contritum, & spiritum humilem, quo nos tibi ad expianda nostra nostraeque gentis peccata, per martyrium offerimus in sacrificium.

Aliter vertit & dispungit Vatablus, nimirum sic: *Instar holocaustorum arietum, &c. sit coram te sacrificium nostrum*.

SIC FIAT SACRIFICIUM NOSTRVM] Martyrium suum vocant *sacrificium*, non propriè dictum, sed mysticum. Licet enim Christi martyrium in cruce fuerit sacrificium propriè dictum, idque unicum legis nouæ, quod in Eucharistia quotidie repræsentamus & iteramus; cò quod ad hoc (puta ut esset sacrificium expiatorium peccatorum hominum) à Deo fuerit institutum & ordinatum, ideoque omnibus Iudeorū victimis figuratum & adumbratum; tamen martyrium fidelium non est sacrificium propriè dictum: quia ad hoc non est à Deo institutum & ordinatum, sed est metaphoricum & mysticum; quod tamen omnibus veterum victimis, vt pote irrationalibus, est nobilior, Deoque gratius. Sensus ergo est, q.d. *Instar holocaustorum arietum, & multorum agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum holocaustum, & pingue, pinguedine spiritus & deuotionis, vt placeat tibi, vtq; hoc, sicut illa, suscipias, scilicet sacrificium hocce orationis, confessionis, pœnitentiae, laudis, & martyrij, quod tibi in igne hoc offerimus.*

Pari modo Martyres qui sub Diocletiano Nicomedia, ipso festo nativitatis Christi in templo cincti, cum tyrannus eis incendium intentaret, proponereturque, vt, si quis ex eis sibi consulere vellet, egredieretur, & thus Ioui in ara proxima adoleret, unus pro omnibus liberè respondit: *Omnis nos Christiani sumus, unum eundemq; solum Deum & Regem creditum esse Christum; & ipsi, Patriq; eius, & Spiritui sancto sacrificare, atque omnes nos una offerre parati sumus*. Vix ille haec dixerat, cum ignis succiditur, qui quasi in momento templum omne complexus, illos omnes (erant autem viginti hominum millia) quasi holocausta combussit, & in cinerem rededit, vt refert Niceph.lib.9.histor.c.6.

Similiter nobilis illa virago & Martyr, quæ sub Dunaan tyranno, in Nagran Arabiæ ciuitate tempore Iustini Imper. anno Christi 522. cum duabus filiabus passa est, cum eas enle confodi videret, catumque sanguinem sibi à carnifice propinari; eum accipiens & gustans, ac in cælum suspiciens: *Tibi, inquit, Christe Domine, hoc meum offero sacrificium, & tibi Martyres exhibeo virgines castas, que egressæ sunt ex utero meo, cum quibus quoque me connumerantur, introduc in tuum thalamum, & vt dicit diuinus David, ostende matrem propter filios letantem*. Quare & ipsa martyrio laureata est. ita ex Procopio Baron. tom. 7. anno Christi 522. pag. 91.

Ita & S. Barlaam Martyr, cum tortores dexteram eius foco incenso immitterent, thusque ei imponebant, sperantes quod vi ignis expugnata manus illud in aram excuteret, itaq; videretur ipse in aram thus idolo adoleuisse; stetit corpore & manu immotus, cineris instar flammarum ferens ac supe-

A rans, dicensque: *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prelium, & digitos meos ad bellum*. Testis est S. Basil.oratione in S. Barlaam.

Ita & duo illi nobiles iuvenes Antiocheni sub Diocletiano, de quibus Euseb.lib.8.hist.c.12. cum simulachris immolare cogerentur, dixerunt, *Ducite nos ad aras*. Et cum fuissent adducti, manus suas ardenti igni superponentes: *Si subtraxerimus, inquiunt, sacrificasse nos credite. Et quoadusque caro omnis in ignem defueret, immobiliter perdurarunt*.

Ita S. Getulius Martyr in tormentis: *Gratias, ait, ago Deo & Iesu Christo, eiq; me ipsum sacrificium murdum offero: eiulque vxor Symphorosa, cum ei diceret Adrianus Imperat. Aut sacrificia dijs, aut te cum filiis sacrificari faciam; respondit: Vnde mihi tantum boni vt merear cum filijs offerri hostia Deo?*

Ita S. Vitus puer cù socijs Modesto & Crescentia à Diocletiano (cuius filiam à demone liberarat) ingrato Imp. missus in fornacem ardente plumbo, resina & pice, cùm diceret Diocletianus: *Nunc videbo si Deus tuus possit te de manu mea liberare*; Vitus, facto signo sanctæ crucis fornacem ingressus, instar trium horū puerorum stetit ab igne illæsus, cantans cum duobus socijs hymnos & laudes Deo; atq; purior inde exiit, perinde ac si in suauissimo balneo stetisset. ita habet eius Vita 15. Iunij.

Ita & S. Laurentius, quem meritò tribus hisce pueris adæquat S. Aug. serm. 1. de eo: *Siquidem, inquit, illi in pœnarum suarum flammis ambulabant, hic & in ipso supplicij sui igne discubuit: illi vestigis pedum concularunt incendia, iste laterum suorum diffusione extinxit, &c. Et inferiū. Vt impleretur psalmi prophetia, que dicit ex persona S. Laurentij; Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos & cor meum: dupli se postulat igne comburi. Nam si de solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantum exurendos incendius obculisse. Cor autem nisi flamma Christi non viri*.

ET PLACEAT TIBI] Græcè, ἐπελέθω σπιρτὸν τοῦ οὐρανοῦ, id est, perficiatur pest te, vel, vt Complut. explet post te, hoc est, vt Vatabl. vt plenè & usque ad finem & mortem sequamur te. Est hebraismus. Hebrei enim dicunt אַחֲרֵי לִימָלֶךְ acharecha, vt impleamus post te, hoc est, vt plenè te sequamur, plenè tibi obediamus, plenè tibi seruiamus.

QUI OSTENDUNT (id est exhibitent) SERVIS VERS. 44. TVIS MALA] Sic sappè alibi ostendere ponitur pro facere.

SVC CENDERE FORNACEM NAPHTHA] Naphtha est fomes & pabulum ignis, simile bituminis. Vide Plinium lib.2.105. Vnde græcè πυρίνη dicitur, à πῦρ, id est igne. Alij, inquit S. Hieron. osa oliuarum quæ projiciuntur cum amurca arefacta, naphtham appellari putant.

ET MALLEOLIS] Malleoli vitium sunt sarmenata ad incendendum ignem, ait Theod. Aut potius, vt Nonius Marcellus, malleoli sunt manipuli spartei pice oblii & obduci, qui incensi in muros, aut in testudines hostium faciuntur vt eas succendant. Hinc patet, non esse verum quod docet Albertus Magnus, & Dionys. Carthus. scilicet, in medio fornacis huius fuisse ignem tantum quoad substantiam, non quoad actionem, putà vitionem. Nam ignis hic egit in malleolis, cosque combussit.

49 Angelus autem Domini descendit cum Azaria, & socijs eius in fornacem: & excussit flammarum ignis de fornace,

50. & fecit medium fornacis quasi ventum

Malleoli
quide

tum roris flantem, & non tetigit eos omnino ignis, neque contrastauit, nec quidquam molestiae intulit.

VERS. 49. ANGELVS AVTEM DOMINI DESCENDIT] Iam antē descenderat cum eis angelus, ut primum in fornacem coniecti sunt, tutans eos : alioquin enim mox ab igne combusti fuissent, sed à puerorum oculis se abscondit, vt illi videntes suum in igne periculum orarent Deum. orarunt ergo, mox angelus se eis ostendit, visusque est ad eos descendere, ac veatum inducere, vt hic dicitur. Disce ab angelo, in persecutione & tribulatione vnicum remedium esse orationem & refugium ad Deum: qui eo usi sunt, steterunt & vicerunt; qui non sunt usi, defecerunt & ceciderunt. Audi S. Cyprianum (vel quisquis est auctor) tract. de Duplici martyrio: *Noui ego ac steti quosdam magna animi fortitudine preditos, qui iam corona proximi defecerunt, & quem dii professi fuerant, abnegarunt. Quid fuit in causa? Dimouerant oculos suos ab eo, qui solus robur dat infirmis: intermisserant orationem, ac cœperunt ad humana presidia respicere. Contemplabantur suis naturæ viriculos, considerabant vngulas, aculeos, candentes lumenas, ferrum & ignem, reliquumq; carnificinæ apparatum, etiam affectu horrendum, & cruciatum atrocitatem cum suis viribus conserebant; & ideo victoriam amiserunt è manus. ubi quis ita cogitat, Hoc possum, illud perpeti non possum; numquam seleciter, peraget martyrium. Sed qui se totum tradit diuina voluntati, non aliud spectans quam ad illius opem, is demum firmus est & invictus. Hoc autem fieri non potest, nisi adit vera ac viuenda fides, nihil hesitans, nihil disquerens, nec cogitans quanta sit tyranni seuitia, quanta hominis imbecillitas, sed quanta sit Domini virtus, qui certat ac vincit in membris suis. Et paulo post: Nec quisquam sibi displiceat, si corpore pariter & animo sentiat grauem ac diutinam molestiam: tantum fidat ei cui certat, is non patietur quemquam tentari supra id quod potest, sed faciet etiam cum tentatione prouentum. Hinc passim Martyres in tormentis assidue orasse legimus. Extat oratio ardens S. Cypriani ante martyrium, in fine operum eius.*

Nota Primo. Chaldaei hos tres pueros miserunt in ignem vestitos & colligatos, vt patet v. 23. sed funes & ligamina hæc mox soluit vel ignis fornacis, vt vult S. Hieron. & Chrysost. vel angelus cum eis in fornacem descendens: vnde cum eo ibidem ambulare sunt usi v. 92.

Nota Secundo. Hi pueri ab igne seruati sunt Primo, quia angelus excussum ignem, cumq; ab eis abegit & removit ad latera fornacis, & extra fornacem: vnde ibi Chaldaeos tortores & incensores succidit; tres vero pueros non tetigit. Secundo, quia auram quasi ventum roris, id est roridum, flantem, vel, vt Vatablus vertit, quasi roscidum flatum suffrancem, loco & vice ignis supernaturaliter induxit, tum ad refrigerium eorum, tum ad respirationem: nec enim aliter vim ignis suspendere poterat angelus. Vnde S. Ambros. lib. 6. in Lucam c. 2. Cantauerunt, ait, Hebrei, cum vestigia eorum tactu flamme rorantis humescerent, & intus extraq; ardenteribus omnibus solos tamen immoxius ignis lamboret, nec adureret. Et S. Zeno Veron. Episc. lerm. 8. de tribus pueris: Mors, ait, refugiens mutat officium, incensores cremantur: incensis hymnum cauentibus flamma blanditur: Deus à creatura vniuersa benedicatur. In tribus una mēs, una virtus, unus triumphus. Medioratur vita suppicio. Rex non inuidat pueris, si non eos præcepisset ardere. Et S. August.

A serm. 240. de Tempore, In fornacē, ait, missi sunt sancti, fugiunt flammæ, cedunt ignes, incendia expauescent. Ostendunt iustorum meritum, dum tyranni contemnunt imperium. Licet sanctis cam igne iocari, quibus cum hominibus non licuit commorari. Accipe hostis à supplicij exemplum, qui humanitatis perdidisti consilium. Fugient ignes iustos, quos iniuste dannasti. Damnant hostes, & absoluunt ignes. Chaldei adjiciunt, & pene descendunt. Homines sequuntur, & supplicia venerantur, ac persequentes puniant. Tertiò, Deus huius venti actionem, scilicet refrigerationem, continuavit, validè & continuò cum ea concurrendo, ac consequenter ignis vicini, si quis erat, actionem in eam partem, vbi tres pueri erant, vel hebetauit & minuit, vel omnino suspendit, concursum suum ei subtrahendo, sine quo nec ignis ardere, nec sol lucere, nec vlla creatura quidquam agere aut facere potest: & hoc innuitur v. 94.

Simili modo Deus S. Theclam, Agnetem, alias **Deus Martires confusat. 144.** que plurimas virgines & Martyres in igne & torturis recreauit & refrigerauit. Simile refrigerium praestit Deus Theodooro adolescenti Antiocheno, qui propter psalmorum cantum à Iuliani Apostatae praefecto crudeliter excruciatu, cùm à Ruffino Eccles. historiæ scriptore rogaretur, an non in illis cruciatibus maximum sensisset dolorem, respondit, Non multum acerbitas & tormenti mihi accidit: asfitt enim mihi adolescentis, & sudorem qui ex ea confusione orisbat, abstergit, animum confirmauit, fecit q; ut tempus quo cruciabar, voluptati potius esset, quam angori. Vnde dolebat se cruciatibus eripi, optabatque ijs reddi, vt rediret illa consolatio. ita Socrat. lib. 3. histor. cap. 16.

Ita & S. Victor Martyr sub Maximiano, cùm Mediolani bullienti plumbō toto corpore perfunderetur, orabat dicens: Domine Iesu Christe, propter cuius nomen hac patior, agiuua me & libera me sicut liberasti tres pueros immaculatos de camino ignis, & confudisti tyrannum: ita & me quoque nunc libera, vt erubescat Maximianus cum satellitibus suis. Mox affuit angelus Domini, plumbumque ita refrigerauit, vt esset instar aquæ è fonte manatis nec vlla in parte corpus Martyris adiustū est. Vnde Martyr in Dei laudes erupit: ac tandem prædicens Imper. Maximianum eo anno moriturum, capite plexus in cælū euolauit. Ita narrat oculatus testis Maximianus notarius in eius Vita 8. Maij. Sic & S. Polycarpus discipulus S. Ioannis in igne mansit illæsus, flamma instar venti eum circumdante, teste Eusebio.

Quin & S. Franciscus, cùm ad auertendam oculorum distillationem & cæcitatem, ei inurendum esset ferro cädente cauterium, ad illudq; caro eius tenera exhorresceret: Mi frater ignis, inquit, esto mihi haec hora propitius. Precor magnum Dominum qui te creauit, vt tuum calorem nihili temperet, quo suauiter vrentem valeam sustinere. Mirum dictu: vrente ferro, nec ignis ardore, nec carnis dolorem sensit; quia enim caro eius plenè spiritui erat subdita, & spiritus Deo, eo ordinante, siebat vt creatura suo creatori deseruiens, eius voluntati & imperio mirabiliter subiaceret. Quare Fratres carnificinam hanc aspicere non valentes, & fugientes increpans, ait: Pullanimes & modice fidei, quare fugisti? nō me poterat ille temperare nihili fratri ignis ardorem, qui Babylonis pueros inter ipsas flamas seruauit illæsus?

Mysticè S. Gregor. 30. Moral. 13. docet abstinentes non tāgi igne libidinis: Cum, inquit, carnem restringimus, ipsis abstinentie nostræ iictibus immundos spiritus

ritus verberamus: & cum hoc quod est intra nos subiçimus, extra positis aduersariis pugnas damus. Hinc est quod cum rex Babylonis succendi fornacem iubet, naphthe, stupr., pīcis & malleoli ministrari congeriem præcepit; sed tamen abstinentes pueros hoc igne minimè consumit: quia antiquus hostis licet innumeras ciborum concupiscentias nostris obtutibus opponat, quibus libidinis ignis crescat, bonis tamen mentibus superni spiritus gratia insibilat, vt à carnaли concupiscentie estibus illæ perduerent; vt & si vsque ad tentationem cordis flamma ardeat, vsque ad consensum tamē tentatio non exurat.

V. 50. ET NON TETIGIT EOS OMNINO IGNIS.] Rectè aliqui corpora horum puerorum comparant cum salamandra, quæ sua frigiditate & humiditate prunas (nisi nimis sint, & numis accessæ) restinguunt. Secundò, S. Basil. homil. de laud. ieiunij, eadem comparat amianto (de quo dixi Isaiae 43.2.) lapidi qui in igne ardet, sed ex eo integre & purior egreditur. Rursum integratem eorum in igne tribuit (vti & Bernard. de Modo bene viuendi c. 24.) virtuti ieiunij, quod colierunt tres pueri, vt patet c. 1.16. Damasc. etiā 1.4.25. eamdem ascribit eorumdem puritati & virginitati: & rectè. Ita enim virginum multarum corpora ab igne, & à corruptione diu manserunt illæsa. maius enim miraculum est animam in temptatione libidinis, quam corpus in igne manere illæsum. Hinc dæmones S. Dominico non fundatori, sed alteri ex eius Ordine, cùm grauem muliereulæ cuiusdam temptationem superaseret, acclamarūt: Vicisti, vicisti; quia in igne fuisti, & non aristi.

Vidi ego Tridenti corpus S. Simonis pueri innocentis & Martyris à Iudeis in patasceue occisi; & Bononiae corpus S. Catharinae virginis ante 150. annos defunctæ integrum prorsus & illæsum. Memorabile verò fuit exemplum S. Cunegundis, quæ cum Henrico II. Imperatore in continentia vixit, tunc quadam vice maritus eam suscepit haberet, quasi famulo cuidam esset familiarior, illa vt virginitatem suam probaret, nudis plantis super candens ferrum ambulauit illæsa, quare moriens maritus vocatis parentibus eius: Accipite, inquit, vestram filiam, eam accepi virginem, virginem vobis reddo. Cunegundis deinde purpuram cum cilicio commutauit, habitumque Religionis in monasterio Confugiensi à se extructo induit, vbi mira humilitatis, pietatis & virtutis dedit docimēta; ac rursum ignem noctu paleas corripiēt, signo crucis factō extinxit. Demum quindecim annis religiosè in monasterio transactis, cilicio in quo vixerat immortua est, ac miraculis clara ad virginum sponsum Christum Dominum euolauit in cælum. Ita habet Vita eius, quam ex vetusto & fideli auctore edidit noster Gretserius.

Pari modo Theognia, quæ secretò cum marito Anastasio per 40. annos in continentia vixerat, prodita est à S. Basilio, qui iussit in sinum eius carbones ardentes effundi, quos ipsa illæsa gestauit. ita Amphiloch. in Vita S. Basili, quæ tamen Vita mihi æquè ac Baronio, & alijs viris doctis suspecta est.

Mirabile verò est quod refert Cassian. collat. 15. & io. de Abbe Paphnutio, qui, cùm casu flamma eius manum corripiens combussisset, indoluit quod flamma ei non parceret nec cederet, cti dæmonies cedebant, quos ille ab obſeffis expellebat. quare angelus ei apparens dixit: Cur Paphnuti tristus es, quod necdum pacatus tibi sit ignis iste terrenus, cùm adhuc residueat in membris tuis carnaliū motuum necdum ad purum excocta commotio? tuus radices donec in tuis

Cornel. in Danielum.

A viuunt medullis, ignem istum materiam nequaquam tibi pacificum esse permittent. Vade, apprehende virginem pulcherrimam, & si illam tenens, tranquillitatem tui cordis immobilem, & stusque carnales pacificos in te senseris perdurre, huius quoque visibili flammæ mitis atque innocuus, in modum illorum trium in Babylonie puerorum, te al lambet attactus.

Anno Domini 530. Toleti sub Amalarico rege Concilium est celebratum, cui præfuit Montanus: qui, vt loquitur D. Isidorus, post Cellum fuit Tolitanæ Sedis metropolitanus Episcopus vita & eruditione clarus. Is antiquissima fideliique relatione narratur ad propulsandam coniugalis conuersationis infamiam, carentes prunas tamdiu tenuisse veste, dum Sacrum perageret; eoque peracto, nec pruna ignem, nec vestis inuenta est ainsisse decorum. ita Ioah. Vazæus in Chron. Hispan. ad an. 530.

Consimile huic scribit Leontius in Vita S. Ioan. Eleemosynarij, nō longè à calce eius Vitæ: Porphyria, inquit, prius fornicaria, cùm ab Abbe contierfa, ei quasi in quodam salutis asylo cohabitaret, incidit in suspicionem temerarie plebi, quasi ab Abbe filium genuisset, quem nec ipsa generat, sed abiectum collegat. Coram igitur centum & eo amplius testibus Abbas in sue ac mulieris castitatis testimonium adferri prutas iussit: euoluit autem eas in proprium vestimentum, quod nulla prorsus parte ambustum est, omnibus id admirantibus.

Insigne aliud narrat Gregorius Turonensis de Gloria Confess. c. 76. Simplicius, inquit, perpetuam cū vxore castitatem seruauerat; electus autem in Episcopum, domi virginem adhuc uxorem souerebat, vti sororem. Die igitur Natalis Domini commotis ciuibis aduersus virginem, per inanem suspicionem, sic ad illam locuti sunt: Incredibile est, mulierem viro iurit, am polluti non posse, sed nec vir poterit artibus mulieris iunctus à coitu abstinere. His cōmota virgo sanctissima adit Pontificem simili castitate pollutem, arcuamq. tunc vt fieri solet pro rigore hiemis, carbonibus plenam penes se habet, accita sañula, expansoq. pallio, prunas ardentes suscipit, & ferè hor. e vnius spatio tenens sacerdoti postea fit ait: Accipe & tu mitiore solito ignem, nequam tuus velaminibus nocitur; suscipiente vero Pontifice, nihil offendit velamen eius ab igne. Credidit tunc incredula gens, atque supra mille sacerdos baptizate sunt initiatæ.

Notat Pererius in his tribus pueris octo miracula: Primum, quod ignis eis luxerit, sed eos non vescula in his fit: è contrario ignis inferni maximè viri damnatos, pueris Primum.

& S. Gregor. lib. 9. Moral. c. 49. Secundum, quod ignis hic parcens pueris, quos intra se habebat, erupit & inuaserit Chaldaeos extra & remotè confitentes, eoque concremarit. Tertium, quod ignis Tertium,

hic vincula iuuēnum dissoluit, inquit S. Hieron. & tamen corpora & vestes eorum non attigit. Quar. Quartum.

tum, quod in igne poterat non tantum respirare, sed & liberè loqui, & Dei laudes decantare. Quin. Quintum.

tum, quod angelus vultu radiantissimo flamas ab eis depulit, & cùm eis in fornace ambulauit. Sextum, quod tres pueri ibidem afflati Spiritu Ian. Sextum.

& diuinissimum hymnum (qui est Script. Canonica) composuerunt, & uno ore concinuerunt. Se. Septimum.

ptimum, fuit vestitus roridus, qui ignis vim restinxit, & pueros refrigerauit, ac mirè recreauit. Octa. Octauum.

uum, quod rex vidit angelum in fornace cum pueris ambulantem, quem alij videre non potuerunt. Itaque in his pueris impletum est illud Isaiae 43.2.

Cum transferis per aquas, tecum ero, &c. cùm ambulanteris in igne, non comburēris, & flamma non ardebit in te.

Audi S. Chrysostom. homil. 4. ad populum: *Ignis muris illis factus est, & vestis flamma, & fons fornax, & ligatos capiens solutos reddidit. Mortalia exceperunt corpora, & tamquam immortalibus abstinuit; non agnouit naturam, sed pietati reverentiam exhibuit; vinxit pedes tyrannus, & ignis vim pedes vinxerunt. O rex mirabile! vincitos soluit flamma, & ipsa à vincitis vincita est, &c. ut & barbari crudelitatem discas, & elementi obedientiam. Subdit deinde, diabolum non ferro, nec gladio, sed igni eos tradicuras, ut planè consumerentur, & in cineremverterentur, sed Deum id in gloriam vertisse, ac fecisse, ut de Babyloniorum deo, putâ igne, quasi eius viatores triumpharent. Hæc & plura S. Chrysostom.*

Simile miraculum de monacho quodam, Benedicto nomine, quem Gothi tempore Totilae cuncta comburere voluerunt, sed non potuerunt, narrat S. Gregorius. 3. Dialog. c. 18.

Tropolog. fornax succensa à Chaldaëis significat libidinum incentiuia, quæ dæmones in homine excitant, ut animam vrant & perdant, inquit Cassianus. In instit. c. 17. & Origen. in c. 7. Leuit. & Iosaphat. i. 6. in Leuit sed casti ea superant ope angelorum. Hinc Secundus, disce, quoniam castitatis amatores & tutores sint angeli, vt pote qui cum tribus pueris castis in caminum descenderunt, eosque ab igne tutati sunt.

Ita S. Thomas Aquinas ob castitatem angelis charus exitit, ab eisque cingulo castitatis succinctus est: ac deinceps omni libidinis sensu caruit. Ita habet eius Vita.

Fertur Ammon vir pius, qui propter castitatem à coniuge sponte se iunctus, ac deinde monasticam vitam eius consensu amplexus erat, numquam se vidisse nudum, eò quod monacho vel suum ipsius corpus nudum videre inconueniens diceret; & cùm aliquando fluuius ipsi transcendens esset, ac vestem exuere detrectaret; & ad Deum orasset, ut ita sibi transire daretur, ne propositum infingeret, ab angelo fuit ad alteram fluuij ripam translatus. ita Socrates histor. Eccl. l. 4. c. 23.

Refert Cassianus collat. i. de Sereno Abate. *Hic, inquit, pro interna cordis atque animæ castitate nocturnis diurnisq; precibus, jeuniis quoque ac vigilijs infatigabiliter insisteret, cunctos vestitus carnalis concupiscentias tandem per diuinam gratiam in se extinxisse percepit. Deinde maiori zelo castitatis succensus, prefatis usus remedijis à Deo petiit, ut interioris honiunis castitas in corpus redundaret Dei dono. Postremò autem veniens ad eum angelus in visione nocturna, eiusq; velut aperiens uterum: quoniam ignitam carnis stramam de eius visceribus euellens ac projiciens, suisq; omnibus, ut fuerant locis intestina restituens; Ecce, inquit, incentiuia carnis tue absissa sunt, & obtinuisse te non ueris hodierna die perpetuam corporis puritatē, iuxta votū quod poposisti, & ne ipso quidē naturali motu, qui etiam in parvulis atque lacteis excitatur, ulterius pulsabatur.*

De S. Equitio Abate narrat S. Gregorius: *Hunc, inquit, cùm iuuentutis sue tempore acri certamine carnis incentiuia fatigaret, ipse sua ieiunationis angustie ad orationis studium solertiorem fecerunt. Cumq; hac in re ab omnipotenti Deo remedium continua precibus quereret, nocte quadam assidente angelo eunuchari se vidit, eiusq; visioni apparuit quod omnem motum ex genitalibus membris eius abscederet, ac si sexum non haberet in corpore. Quia virtute fretus, ex Dei omnipotentis auxilio, ut viris ante præserat, ita cœpit postmodum etiam feminis præesse, nec tam disipulos admonere cessabat, ne sibi eius exēplo in hac re facile crederent, & casuri non tentarent donum quod non accepissent. Simile de Elia trecentarū monialium Patre narrat*

A Pallad. in hist. Lausiac. c. 35. Simile audi de Belgica.

Beata virgo Ermelindis ut sola Deo vacaret, relata domo paterna in villam concessit: ubi cùm eius castitati ab herbo pararentur insidiæ, ea nocte quæ vadenis ad ecclesiam ab eo rapienda erat, meruit angelicam vocem audire se monentem ex nomine: Recede, inquit, virgo, recede, & virginitatem, quam Deo consecrasti, inviolatam custodi. Quæ valde perterrita, obediens iussioni iter cepit. Cumque Spiritu sancto duceretur, angelus Domini ei secundò apparuit, & viam quam ceperat ne desereret, imperauit. Venies, inquit angelus, in villam, quam Melchior nuncupabis: ibi namque preparauit tibi Dominus locum ad perficiendum desiderij tui votum. Peruenit igitur venerabilis virgo in locum quem prædixerat ei angelus: ibique parsimonia mira abstinentiae diu vi-

B uens, geminæ dilectionis impletum mandatum, inquit auctor Vitæ eius apud Surium 29. Octobris.

Illustrius est quod de S. Theophila refert S. Basilij de Virginit. & Baron. anno Christi 301. Quod recensui 1. Cor. 7. v. 35. in fine.

51. Tunc hi tres quasi ex uno ore laudabant, & glorificabant, & benedicebant Deum in fornace, dicentes:

52. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula: & benedictum nomen gloriae tuæ sanctum: & laudabile, & superexaltatum in omnibus sæculis.

53. Benedictus es in templo sancto gloriae tuæ: & superlaudabilis, & supergloriosus in sæcula.

54. Benedictus es in throno regni tui; & superlaudabilis, & superexaltatus in sæcula.

55. Benedictus es qui intueris abyssos, & sedes super Cherubim: & laudabilis, & superexaltatus in sæcula.

56. Benedictus es in firmamento cœli: & laudabilis & gloriosus in sæcula.

57. Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

58. Benedicite Angeli Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

59. Benedicite cœli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

60. Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula.

61. Benedicite omnes virtutes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

62. Benedicite sol, & luna Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

63. Benedicite stellæ cœli Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

64. Benedicite omnis imber, & ros Domino: laudate & superexaltate eum in sæcula.

65. Bene-

65. Benedicite omnes spiritus Dei Domini: laudate & superexaltate eum in saecula.

66. Benedicite ignis, & aestus Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

67. Benedicite frigus, & aestus Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

68. Benedicite rores & pruina Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

69. Benedicite gelu & frigus Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

70. Benedicite glacies, & niues Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

71. Benedicite noctes, & dies Domino: laudate & superexaltate eum in saecula. B

72. Benedicite lux, & tenebrae Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

73. Benedicite fulgura, & nubes Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

74. Benedicat terra Dominum: laudet & superexalte eum in saecula.

75. Benedicite montes & colles Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

76. Benedicite vniuersa germinantia in terra Domino: laudate & superexalte eum in saecula.

77. Benedicite fontes Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

78. Benedicite maria, & flumina Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

79. Benedicite cete, & omnia, quae mouentur in aquis, Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

80. Benedicite omnes volucres caeli Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

81. Benedicite omnes bestiae & pecora Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

82. Benedicite filij hominum Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

83. Benedicat Israel Dominum: laudet & superexalte eum in saecula.

84. Benedicite sacerdotes Domini Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

85. Benedicite serui Domini Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

86. Benedicite spiritus, & animae iustorum Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

87. Benedicite sancti, & humiles corde Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

88. Benedicite Anania, Azaria, Misael Cornelius in Danielem.

A Domino: laudate & superexaltate eum in saecula.

Quia eruit nos de inferno, & salvos fecit de manu mortis: & liberavit nos de medio ardoris flammæ, & de medio ignis eruit nos.

89. Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in saeculum misericordia eius.

90. Benedicite omnes religiosi Dominu Deo deorum: laudate & confitemini ei, quia in omnia saecula misericordia eius.

TUNC HI TRES QVASI EX UNO ORE LAVDABANT, &c. DICENTES. BENEDICTVS ES DOMINE, &c.] Hinc patet, hymnum sequentem dictum & 51. & compositum fuisse à tribus pueris in fornace ex afflato Spiritu sancti: unde & ab Ecclesia vocatur hymnus trium puerorum. Quod ergo scribit hic Polychronius: Scindum est hunc hymnum non haberi in Hebraicis aut Syriacis libris: fertur autem ex iis, que dicta sunt, à quibusdam postea compositum esse; prius verum est, posterius falso.

Moraliter vide hic quādā vetum sit istud psalm. 117. 15. Vox exultationis & salutis in tabernaculis iustum. Et illud psalm. 96. 11. Lux orta est in isto, & rectus corde letitia. Nam, ut ait S. Bonavent. in Spec. discipli. p. 1. c. 3. maximum inhabitantis gratiae signum est spiritualis letitia: fructus enim Spiritus est gaudium, ait Apost. Galat. 5. 22. Quocirca merito S. Bernard. serm. 14. in Cant. Opus meum, inquit, vix vnius est horae, & si plus, pre amore non sentio. Letamini ergo in Domino, & exultate in isto, & gloriamini omnes recti corde: Dominus enim protector vester est, & ex omnibus tribulationibus liberabit vos, vt tres pueros a igne liberavit.

BENEDICTVS ES DOMINE, &c.] q.d. vt clarè vertit Vatabl. Prædicandus es Domine Deus patrum nostrorum, celebrandus & laudandus in perpetuum, prædicandum item nomen tuum gloriosum illud & sanctum, per quam laudabile, & in eum supra modum extollendum.

SUPERLAVDABILIS ET SUPERGLORIOSVS IN SAECULA] Vatabl. sempiternis saeculis percelebrandus, & per quam gloriosus. Vnde v. præcedenti, superlaudabilis & superexaltatus in saecula, aliqui addunt τροπέρθοξος, id est, supergloriosus qui scilicet omnem laudem & gloriam, ac glorificationem omnium hominum, angelorum, & creaturarum supereras, & in immensum transscendis.

SEDES SUPER CHERVBIM] sedes tum super angelos Cherubinos, qui sunt in celo; tum super effigies Cherubim quae sunt super arcam & propitiatorium. Vide dicta Exodi 25. 23. eo enim alludit. Nam arca ante excidium urbis à Ieremia ex urbe & templo fuit educta, atque loco incognito recondita, vt patet 2. Mach. 2. 4. Vnde adhuc tēpore capiuitatis Deus dicebatur sedere super Cherubim.

BENEDICITE OMNIA OPERA DOMINI DOMINO] Tres pueri ob tam illustrem & miraculosam Dei in se beneficentiam, vt intimum cordis sui & iubilationis sensum, atque immensum affectum gratitudinis, congratulationis, reverentiae & laudis diuinæ, quo æstuabant, testentur & ostendant, inuitant hic omnes creature, etiam inanes, ad Dei laudem; præsertim quia ipsæ huius mi-

raculi & beneficentiae, qua Dei potentia & prouidentia ita celebrabatur, fuerunt testes, aut etiam cooperatrices, vti angeli, ventus, ignis, &c.

Nota. Inanimes creature benedicunt Deum creatorem suum, non ore, sed opere, ait S. Hieron. Primo, quia sua pulchritudine, varietate, magnitudine, situ, motu, uirtute, ministerio, perseverantia, & obedientia erga Deum, creatoris sui potentiam, sapientiam ac prouidentiam summa laude, gratiarum actione & veneratione dignissimam ostendunt.

Secundo, quia ijsdem spectatores sui in laudem & admirationem factoris mouent & excitant: itaque spectatoris lingua ad Dei laudem ipsae quodammodo vtuntur. ita S. Hieron. hic & Luthym. in psalm. 148.

Est ethopoeia ad pathos: tribuitur enim hic sensus, vox & laus rebus inanimis, vti dixi Isaiae 1. v. 1. q.d. Vos, o angeli, o caeli, o ignes, o venti, o bestiae, quae spectastis, vel spectare potuistis hocce prodigium, naturali sensu, & muta voce obstupescite Dei in nos clementiam, & potentiam; congratulamini nobis, & nobiscum benedicite Deum; quia sine dubio id ipsum faceretis rationali sensu, mente & voce, si ea haberetis. Nec enim nos ad gratias agendum, & benedicendum Deum sufficiimus; ideoque omnes creature ad eius laudem nobiscum prouocamus, cuperemusque omnium angelorum, hominum & creaturarum ore, immensam Dei in nos liberalitatem celebrare. Vos ergo caeli, sidera, ignes, &c. quae alias semper obeditis creatori, vestraque pulchritudine & obedientia eum laudatis, nunc magis id ipsum facitis. Tu enim, o ignis, laudas Deum; dum prater naturam ad nutum Dei, a nobis quasi a seruis Dei, te tuamque vim retrahis. Vos, o venti, laudatis Deum, dum in medio ignis nobis, quasi seruis Dei, refrigerium praestatis. Vos, o caeli, o sidera, laudatis Deum, dum vestro motu & luce Deo vestro, eiulque prodigo huic cooperamini, pergit ergo, vti coepistis, quamdiu nos in camino hoc vitinus & vigens us, atque deinceps semper, vestra specie, actione & obedientia, tum naturali, tum supernaturali, Deum laudare, hominesque omnes & angelos ad Dei laudem prouocare.

Hac ergo illustre est canticum, de quo proinde Concil. Tolet. IV. can. 13. statuit, vt publicè decantetur, vti facimus in Laudibus horar. Canon. Pulchre & floride hoc canticum exponit & dilatat Pererius toto lib. 4. Porro hoc canticum incipit à summis, putà ab angelis, quos primo ad Dei laudem inuitat. Inde ordine gradatim descendit ad caelos, solem, stellas: mox ad aërem, imbiem, rotam: inde ad terram, fontes, maria, pisces, volucres, bestias, pecora: ac tandem v. 82. ad homines. Israelitas, sanctos ac humiles: denique hi tres pueri v. 88. seipso excitant ad hanc Dei laudem concludendam, vti eamdem inchoarunt.

BENEDICITE CAELI DOMINO] Nota. Cæli narrant gloriam Dei, quia à Deo accepérunt, Primo, naturam incorruptibilem; Secundo, immensam magnitudinem; Tertio, rotunditatem perfectissimam & pulchritudinem; Quartò, motum celerum & perpetuum; Quintò, varietatem orbium, eorumque inter se miram concordiam & coaptationem; Sextò, eorumdem motus diuersissimos, & tamen ordinatissimos; Septimò, siderum decorum, multitudinem, efficientiam; Octauò, præsidios angelos, qui orbem hos regunt & rotant;

A Nonò, lucem miram & variam; Décimò, generalē vim & potentiam vivificandi, producendi, moderandi, conseruandi omnes res terrestres & sublunares; Undecimò, quod in caelo empyreo mirus sit ornatus, & rerum varietas: ipsum enim est templum, thronus & regnum Dei, estque domicilium angelorum & hominum beatorum; ubi Deus se eis clarissime cernendum, ardenter amandum, & iucundissime fruendum in omnem æternitatem præbet. Merito ergo de cælis peculiariter ait Psaltes psalm. 8. *Quoniam video celos tuos, opera digitorum tuorum, putam, qui sunt opera sapientiae, potentiae & magnificentiae tuae.* ita Pererius.

BENEDICITE AQUAE OMNES, QVÆ SUPER VERS. 60. CAELOS SVNT, DOMINO] Quoniam haec aquæ sint, an elementares, an cælestes, dixi Genes. 1. 6.

BENEDICITE OMNES VIRTUTES DOMINI VERS. 62. DOMINO] Per virtutes accipe Primo, intelligentias, siue angelos cæli mouentes; unde virtutes quid? hæc inferuntur inter caelos, & solem ac stellas; quia ijs omnibus præsident. Secundo, influentias cælo-rum in haec inferiora. Tertiò, aliqui accipiunt se- ptimum angelorum ordinem, qui dicitur Virtutes; eò quod mira in terris faciant; quasi illis hi tres pueri attribuat miram sui in igne conseruationem, quodque angelus in igne eos conseruans fuerit ex ordine Virtutum. Quartò, Pererius accipit virtutes operatiuas lapidum, herbarum, animalium & omnium rerum naturalium, vti est virtus in magnete ad trahendum ferrum, in herbis, ad calefaciendum, siccandum, purgandum, &c.

Notat Scholast. non esse eumdem in omnibus codicibus harum benedictionum ordinem. Sio v. 67. *Benedicite frigus & aestus Domino,* in edit. Septuag. Rom. ponitur posterius, scilicet v. 73.

OMNES SPIRITVS] omnis ventus: quia is nos in igne tutatur, estque Dei, id est à Deo immensus. Alij per spiritus accipiunt angelos, sed hos nomina uit v. 58. Adde, angelos in Scriptura non solere vocari spiritus Dei, sed absolute spiritus vti recte obseruauit Alcazar in c. 1. Apocal. pag. 183. in fine.

Nota. Venti laudant Deum: quia magnus est eorum usus & utilitas. Nam Primo, ventilant, & purgant aërem, ne putrefiat, vel inficiatur. Secundo, nubes & pluias nunc adducunt, nunc abducunt. Tertiò, arbores, plantas & sata fouent & vegetant. Quartò, aestum refrigerant. Quintò, habitatum hominis & animalium renouant & reficiunt. Sextò, naues propellunt. Ita Seneca l. 5. Quæst. natural. 18. Rursum quia solus Deus propriè ventis datus ordinem, locum, motum, tempus, impetus, vicissitudinem, & vires, hinc speciatim venti inuisitantur ad Dei laudem.

LAVDATE ET SUPEREXALTATE EVM IN VERS. 66. SACVLA] putà in æternum. Hoc enim significat Græcum, eis τες αἰώνας, quod Vatabl. vertit, semper, secundum. Est hoc hemisticchium intercalare, vt, dum prius, v.g. *Benedicite ignis & aestus Domino,* præcinit præcentor, mox communis omnium voce applaudens & clamans chorus ubique succinat: *Lavdate & superexaltate eum in secula.* Sic in Litanij yno præcunte nomina Sanctorum, cæteri respondent: *Ora pro nobis.*

FRIGVS ET AESTAS] Græcè est καύσων, id est VERS. 67. aestus, & ita legunt Romana: hic enim directe opponitur frigori. ita ergo legendum est, non aestas. Vnde Vatablus vertit ardor; alij canna. aestus tamen legunt Biblia Plantin. Parisina, & alia pleaque, item

Item S. Hieron. Quin & versio Syra, quae exstat antiqua in Biblioth. Medicea, hoc hemistichium Græcis & Latinis Biblijs addit: *Benedicite æstas & hiems Domino. Sed eodem ferè resredit: æstus enim est in æstate; vnde & æstas dicitur ab æstu, ait Varro l. 4. yel, vt alij, à Græco αὐτὸς αἱ, id est vrere. Hinc Plinius lib. 12. cap. 6. Austri, ait, ibi tam ardenter fluit, vt æstatis silvas accendant.* Porro quantam laudandi Deum materiam suggerant hominibus æstus & æstas, patet ex frumento, vino, tamque vario & multiplici omnigenum fructuum genere, quod maturant, & quasi pariunt; vt merito canat Psaltes psalm. 73. 17. *Aestatem & ver tu plasasti ea.* Et Eccles. c. 50. 8. laudans Simonem pontificem: *Ille, inquit, effulgit in templo Dei, &c. quasi flos rosarum in diebus verinis, & quasi thys redolens in diebus æstatis.* Rursum æstas monet hominem laboris; vt eo comparet sibi cibum, quo viuat in hieme. Quocirca Sapiens Proverb. 6. 6. *Vade, ait, ad formicam, o piger, & considera vias eius, & disce sapientiam, que, &c. parat in æstate cibum sibi, & congregat in messe quod comedat.* q.d. Sic tu o homo compara tibi bona opera & merita in tempore, quibus viuas & fruaris in æternitate. Quamobrem, vt idem ait cap. 10. 5. *Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem sterit æstate, filius confusus.* Et cap. 20. 4. *Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei.*

VERS. 68. PRVINA] Græcè νιφετο, quid Vatabl. vertit, pluie niueas; alij paſſim, pruine.

VERS. 75. BENEDICITE MONTES ET CÖLLES DÖMINO] Montes enim Primò, niues, vapores, nebulas, nubesque recipiunt & colligunt, easque in aquas resoluunt; itaque torrentium & fluminum sunt causa & origo, quibus agri rigantur & foecundantur, quique pisces gignunt plurimos & sanissimos, C vtpote saxatiles & viscositate carentes. Hoc est quod ait Psaltes psalm. 103. 10. *Qui emittis fontes in omniib[us], inter medium montium pertransibunt aquas.* Montes enim non tantum scaturigines, sed & aggeres sunt flutiorum & maris, illiusque fluctus & tumorem ne exundet coercent. Secundò, montes subiectas valles & agros à ventis & procellis, æquè ac ab æstu tutantur. Tertiò, montes continent fissilia & mineralia, vti carbones, ferrum, æs, stanum, aurum, argentum. Quartò, montes & rupes dant saxa & marmora, quæ ex ipsis etiam Alpibus excidi vidi. Quintò, montes vites alunt, viasque maturant ob reflexionem radiotum Solis. Sextò, proferunt maxima quercus; omnisque generis arbores. Sanè nusquam abietes plures, maiores aptioreque ordine dispositas confexi quam in Alpibus, & iuxta Notimbergam eundo Augustam, vbi ingentem abietum silvam quæ ad plura millaria exteridit, pertransij. Septimò, montes si excolantur proferunt triticum, & frumentum omnis generis. Hinc in Alpibus vidi opulentos pagos & oppida plurima, quæ specie & opibus cum campestribus certant. Rursum montes abundant gramine; pratis, oleribus, herbis, floribus pulchris & odoratis etiam in hieme: vnde tunc elegantes florum fasciculos Alpini nobis ex hospitio exentibus more suo offerebant. Octauò, montes sunt quasi muri & valla urbium & prouinciarum, ne à vicinis alijsque gentibus inuadantur. Ita montes Arduennæ sunt muri Galliæ, Alpes Germaniæ, Apennini Italiæ, Pyrenæi Hispaniæ: hi enim Gallos ab Hispanis distinguitur, & ne in inuicem incurrant aditum præcludunt, Ita Heluetij in suis

A montibus consistunt quasi inexpugnabiles, adeoque Carolum Audacem principem bellicosissimum cum humero exercitu conciderunt. Nonò, in montibus ob frigis, auramque puram & acrem corpora valent, vigentque homines & sunt robusti, atque tum frigore, tum fame urgentur ad laborem quo victum parent: quo fit vt nec otio, nec luxu, nec libidine & vitijs dissiliant; sed modesti sint, laboriosi, probi & pii. Evidem in monte Tirolensi Comitatu maxima pristinæ probitatis & pietatis in vijs & collibus monumenta, vti facella, crux, imagines, vota, &c. lustrauit. Decimò, in montibus aptissimus est locus solitudinis, cœlumque & cœlestia contemplandi. Vnde ibi sunt eremitoria, & Eremitæ sidera liberrime suspiciunt, & terram ac terrena omnia despectantes. Hinc Christus in monte orans transfiguratus est, & sermonem illum diuinum Matth. 5. 1. habuit in monte, denique in monte Oliuarini more suo obsecratus captus & vincitus est. Hæc in Alpibus inter, imo supra, nubes consistens & contemplans, idem dixi, *Benedicite montes Domino.* Denique montes Alpium & Apennini cingunt & tutantur Romanam, ytpote Ecclesiæ & Imperij caput, vt videatur esse inexpugnabilis, quasi supra petram fundata. Quia de re pulchrè Rutilius:

*Si factum certa mundum ratione fatetur,
Consiliumq[ue] Dei machina tanta fuit,
Excubis Latij prel[et] exuit Apenninum.*

*Claustraq[ue] montanis vix adeunda vijs.
Inuidiam timuit natura, parumque patitur
Arctois Alpes opposuisse nimis.
Sicut vallavit multis vitalia membra,
Nec semel inclusit que pretiosa tulit:
Iam tum multiplici meruit munimine cingi,
Sollicitosq[ue] habuit Roma futura deos.*

BENEDICITE SANCTI ET HUMILES CORDE DOMINO] Humilitas cum sanctitate iungitur; quia basis est sanctitatis, & quia vera humilitas nō debet esse siccata in ostentatione exteriorē, sed realis in animo: hinc additur *to corde.* Simulata enim humilitas est duplex superbia, qua nonnulli opiniohem sanctitatis apud homines aucupantur, sed hæc diuturna esse nequit: mox enim se prodit latens superbìa. His applicati posset dicique illud Nahtim c. 3. 14. *Intra in lutum, & calca, subigens tene laterem, nimurum intra in temetipsum, & leuius te esse abieciū lutum, conculta illud, & animi amplectere humilitatem.*

Nota. Præ alijs virtutibus humilitas, & humilitas, laudat Deum; quia cognoscit suum nihilum, & maximè quidquid boni habet, id le habere à Deo. Hinc ait laudans Sapiens Eccles. 3. 21. *Magna potentia Dei solius, & ab Deo, humiliis honoratur. Nihil est, inquit S. Hieron. ad Celantiam, quod nos ita, hominibus & Deo gratos facti, quæ si vita merito magni, humilitate tamen insinuimus.* Ita S. Franciscus noctes integras non aliud orabat, quam *Quis tu Domine? quis ego?* Audi & S. Augustinus in Sentent. sent. 83. Ver. 4, inquit, fidelium humilitas est, in nullo superbire, in nullo murmurare, nec ingratum esse, nec querulum; sed in omnibus Dei iudicijs Deo gratias agere, Deumq[ue] laudare, cuius omnia opera aut iusta sunt, aut benigna.

ERVIT NOS DE INFERNO] fecit ne morere VERS. 88: mur, & iremus ad limbum patrum.

ET SALVOS FECIT DE MANV (id est potestate & imperio) certæ MORTIS.

OMNES RELIGIOSI] omnes Dei cultores: hi VERS. 90: enim sunt ὁμόσευοι τῷ κύριῳ.

91. Tunc Nabuchodonosor rex obstupuit, & surrexit properè, & ait optimatibus suis; Nónne tres viros misimus in medium ignis compeditos? Qui respondentes regi, dixerunt: Verè rex.

92. Respondit, & ait: Ecce ego video quatuor viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis filio Dei.

93. Tunc accessit Nabuchodonosor ad hostium fornacis ignis ardentes, & ait: Sidrach, Misach, & Abdenago serui Dei excelsi, egredimini, & venite. Statimque egressi sunt Sidrach, Misach, & Abdenago de medio ignis.

92. Et congregati satrapæ, & magistratus, & iudices, & potentes regis contemplabantur viros illos, quoniam nihil potestatis habuisset ignis in corporibus eorum, & capillus capitum eorum non esset adustus, & sarabala eorum non fuisse immutata, & odor ignis non transiisse per eos.

95. Et erumpens Nabuchodonosor, ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach videlicet, Misach, & Abdenago, qui misit angelum suum, & eruit seruos suos, qui crediderunt in eum: & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora sua ne seruirent, & ne adorarent omnem deum, excepto Deo suo.

96. A me ergo positum est hoc decreatum, ut omnis populus, tribus, & lingua, quæcumque locuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, dispereat, & domus eius vasteatur: neque enim est aliis Deus qui possit ita saluare.

97. Tunc rex promouit Sidrach, Misach, & Abdenago in prouincia Babylonis.

A Ioue, aliove Deo genito: tales enim finxerunt & coluerunt Gentiles. Vnde Symmachus vertit, quartus similis filiorum deorum, & Syrus, aspectus quarti assimilatur filio deorum.

Tertiò, similis filio Dei, id est similis angelo, vt vertunt Septuag. teste S. Hieron. Erat enim reuera angelus, vt patet v.49. habebatque vultum angelicum: nec dubium est regem de angelis inaudisse. Sic Iob 38.7. dicitur: Vbi eras cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filij Dei, id est omnes angeli? Ita Vatabl. imò S. Hieron. qui & addit: Hoc iuxta historiam. Ceterum in typo prefigurat iste angelus, siue filius Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, qui ad fornacem descendit inferni; in quo clausæ, & peccatorum, & iustorum animæ tenebantur, ut absque exaltatione & noxa sui, eos qui tenebantur inclusi, mortis vinculis liberaret. Et sic exponi potest Antiphona paulò antè citata, quod Christus id est angelus, typum gerens Christi, & missus à filio Dei, liberarit tres pueros de camino ignis. Fauet Arabicus vterque, Antiochenus scilicet & Alexandrinus, Aspectus (visio, species) quarti similis est Filio Dei excelsi.

Quartò, Perer. similis filio Dei, id est similis viro illustri, eximio & augusto supra omnes homines, Sic enim vocantur montes & cedri Dei, id est illustres, eximij: & sic vocantur filii Dei Genes. 6.2.

Ex hisce sensibus tertius maximè genuinus videtur. nam quem rex hic filium Dei vocat, eumde ipse v.95. vocat angelum. Porro misit Deus angelum, qui appareret regi, ne rex putaret pueros in igne seruari illæsos per maleficium. Quocirca rex hic tria miratus est. Primo, quod quatuor sint; Secundo, quod soluti; Tertiò, quod in igne illæsi.

Exclamat meritò hic S. Chrysostom. homil. de tribus pueris: O quibus, inquit, triumphis te incorrupta fides extendis! Adest tibi amica maiestas, ut innocentia liberetur: patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari, & potest Dominum videre sacrilegus (Nabuchodonosor) sed non permittitur nosse, ut crescat gloria puerorum.

Difce hic quanm angeli Sanctis in tormentis orantibus adsint, eosque tueantur & corroborant. Ita S. Theodoro Martyri astitit angelus, eumque robori & sanitati restituit. Audi de eo rara & mira ex auctore Vitæ, quæ grauiter scripta exstat apud Surium 7. Februarij. Cum S. Theodorus dux exercitus in nomine Trinitatis draconē infensissimum interfecisset, & Imperatoris Licinij deos ex auro & argento conflatos confregisset, atque pauperibus distribuisset (qua ratione plurimi Christo nomina dabant;) Imperator cum accersitum omnibus inimicorum phalangibus ridendum exposuit. Beatus autem Theodorus dixit ei: Fremis, ô Imperator, sed ego rugio: Tu stertis, at ego exilio: Tu cum Deo pugnas, at ego de Deo dissero: Tu blasphemas, ego verò Deum hymnis laudo: Tu colis Deos mortuos, ego verò Deum vivum: Tu Serapin, ego verò cum qui est super Seraphim: Tu Apollinem, ego verò Dcum semper viuentem: Tu es carbo Thracijs, ego verò princeps Romanus: Tu Licinius ventilator, ego verò Theodorus donum Dei. Quaniobrem ne agrèferas, ô Imperator, neque calcitres: hec enim faciens, tuos ostendis cruciatus, asini enim & muli tenes figuram. Tunc multa ira plenus Licinius iussit boum neruis euna cædi, & plusquam mille plagas ei inferri. Deinde ferreis vngulis lacerari eius carnes, & lampadibus ignis vñculari eius vñcera, & acutis testis radis concretum sanguinem. Post hæc Martyrem ligno affixerunt per manus & pedes. Arbitratus autem impius Licinius cum esse mortuum, reliquit in ligno pendens.

VERS. 92. ET SPECIES QUARTI SIMILIS FILIO DEI] Id est similis Christo, de quo à Daniele rex aliquid inaudisse poterat, inquit Rupert. & Tertull. lib. 4. contra Marcion. 10. & S. August. in conc. ad catichum. Imò multi veteres, vt Tertull. Iustin. Hilar. & alij putant hunc quartum verè non angelum, sed Christum fuisse, qui iam tum ante sumptam humanam naturam, eius similitudinem induerat, & se quodammodo ad futurum redemptoris officium exercebat. Putant enim ipsi, apparitiones quæ in veteri testamento factæ dicuntur per angelos, factas esse per ipsummet filium Dei, qui est magni consilij angelus. De qua re dixi in Genesi c. 18. Atque ex horum sententia petita videtur Antiphona, quam huic hymno trium puerorum in Officio Ecclesiastico, ad Laudes præmittimus tempore paschali: Surrexit Christus de sepulchro, qui tres pueros liberavit de camino ignis ardentes, Halleluja.

Secundò, Dionys. Carthus. similis filio Dei, id est similis Apollini, inquit, Herculi, aut cui simili ex-

Filius Dei
gus?
Primò.

Secundò.

pendentem. Circa primam verò vigiliam noctis A adstant angelus Domini soluit eum, & reddidit eum sanum corpore, sicut prius, eumque salutauit, & dixit: *Gaudes & corroboreris in sapientia & gratia Domini nostri Iesu Christi. Ecce enim tecum est Dominus Deus: & cur dixisti, Recessisti à me? Consumma ergo cursum tue decertationis, & venies ad Dominum nostrum Iesum Christum, accipiens coronam immortalitatis.* Hæc cùm Martyri dixisset angelus, ab eo recessit. Sanctus autem Martyr Domino suo agebat gratias, & cœperit psallere: *Exaltabo te Deus meus, rex meus, & benedicam nomen tuum in seculum & in seculum seculi.* Audi & alterum non minus memorabile.

Cùm B. Constantium Perusinæ ciuitatis Episcopum Danabi in tormentis, à quibusdam Marci Imperatoris militibus ei inflictis, vires iam deficent, ad Deum toto corde conuersus, *Suscipe iam, orabat spiritum meum, Domine, requiescat in te, qui protege, te ipso iuuante, omni tempore laborauit.* Vix dum pias hasce voces emiserat, cùm ecce præstò est ei angelus Domini, afflictum his verbis confortans: *Noli timere, Constatni, ego sum angelus Dei: misit me Christus, ut plagis tuis curationem adhibeam, ac deinceps tibi adsim in omnibus vijs tuis.* & illico omnis plaga curata est. Tunc ille angelico solatio recreatus, *Gratias tibi ago, ait, Domine Iesu Christe, qui per angelum tuum me in angustijs positum confortasti, & curasti vulnera mea;* nunc vere scio, te quidem nunquam deserere sperantes in te. ita habetur in Vita eius apud Surium 29. Ianuarij. Auditum & tertium in virgine Itala admirabilius.

S. Christina in Deum credens deos aureos Vrbani patris sui prefecti contriuit, & pauperibus distribuit. Ob hoc iubente patre, alapis afflita, veteribus dilaniata, ferro onusta, in carcere coniecta est. Post hoc cùm diutissimè & crudelissimè dilaniaretur, decidua carnium frusta patri in faciem proiecit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille Gentiles interfecit. Iterum carceri tradita angelo visitante sanata est & refecta. Deinde cum magno faxi pondere in lacum Volsenum iactata, angelico praesidio liberata est. ita Ado Treuir. in Martyrologio 9. Cal. Augusti. Lacus & locus hoc martyrio celebris, non longè à Roma visitur in via Senensi, mihiique illac, dum in Vrbem contendrem, transiunt ostensus est.

VERS. 94. ET SARABALA EORVM NON FIVSSENT IMMVTATA] Sarabella (malè aliqui legunt sarabara) vox est Chaldaica, significans femoralia. Syrus & Arabicus retinent vocem sarabella, eamque dicunt denotare caligas superiores ex tela vel bysso, laxas & longas, scilicet porrectas ad talos, & crebro esse diuersorum colorum. Sic & Hieron. Sarabella, inquit, significat tum crura siue femora, tum corum tegumenta: vnde noster braccas vertit v. 21. Hinc Hispani vocant saraguellas.

Quare minus verisimile est quod Rabbini non nulli, & eos secuti recentiores censem, saraballa fuisse vestem extimam, putà chlamydem aut palium. Nam præter iam dicta, Symmachus, teste S. Hier. verit, αράξειδας, quem Hesychius & Suidas in Lexicis, Eustath. in 2. Iliad. S. Hieron. ad Fabiolam, interpretantur feminalia, seu braccas, id est crurum & femorū operimenta: quibus vestitum fuisse Cyrum, aliosque reges & principes Persarum (æquè ac Babyloniorum) docet Xenophon lib. 8. Pædia Cyri. Rursum Hesychius ἡλέας interpretatur crurum & femorum tegumenta, ea-

que à Parthis Sarabara (sic enim legendum videtur) vocari tradit. Et Suidas: Sarabara (sic enim lego) uestis est Persica: aliqui vocant braccas, Vnde & Persicam braccam vocat Ouidius lib. 5. Tristium elegia 11. Insuper Persas omnes braccatos fuisse & crura feminalibus texisse, docet Xenophon l. 1. Strabo lib. 15. Pollux l. 7. Onomast. c. 13. Herodotus lib. 5. & Dio Chrysol. orat. 72. Hinc & Medos braccatos vocat Persius satyra 3. Alexandrum quoque feminalibus vsum tradit Plutarch. in eius Vita. Denique Semiramidem & mulieres Babylonias crura velamentis texisse docet Curtius lib. 4. & Isidor. lib. 19. Origen. Multò magis ergo ijsdem uesti sunt viri Babylonij, quibus præerant hi tres Danielis socij, ideoque eorum habitu, putà feminalibus, inducebantur. Licet ergo regis furor vrgeret, vt statim in fornacem projicerentur, tamen uestis extima; B putà chlamys (si tamen ea induiti erant) in momento eius auferri poterat: alioquin enim commode funibus constringi, & in fornacem coniici non potuissent. Denique Pagnin. expresse saraballa vertit femoralia.

ET ODOR IGNIS NON TRANSISSET PER EOS] q.d. Ignis non perstrinxisset, nec uestulasset extimam eorum. Nota. Primo & genuinè, odor sumitur hinc metaphoricè pro afflatu incendi, q.d. Quod nec ab igne vel leuiter essent afflati, nec pili cutis aut uestium essent ambusti & rasi. Sicut enim res odo- rata remotè efflat odorem, ita ignis in corpora remota suam vim exserit, eaque afflat, quasi odoreatur ibi esse aliquod obiectum combustibile, sibi debitum. Sic de Samsonе dicitur Iudic. 16. 9. Qui rupit vincula quomodo si rumpat quiu filum de stupore tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit, id est, cùm igne fuerit afflatum. Et Sapient. 11. 19. Aut vaporē ignium spirantes, aut sumi odorem proferentes. Odor ergo ignis, est vapor & exhalatio vel ab igne emissā, vel ab igne producta & elicita ex materia combustibili, dum illa ignem eminus sentit; eoq; afflatur, antequam ardeat & conflagret. Secundò, propriè hinc odor ignis accipi potest: adustio enim suum haberet odor: vnde dicimus, Olfacio adustionem. Tertiò, odor ignis sumi potest pro indicio aut vestigio incendi. Sic ait Cicero ad Atticum lib. 4. epist. 85. Res fluit ad interregnum, & est nonnullus odor dictatur: odor, id est indicium, inquit Budæus. Sic lucri bonus est odor ex re qualibet, ait Iustinus. satyra 14. Et Cicero pro Cluentio: Camutio, inquit, perito homini, qui quodam odore suspicionis Stalenum corruptum esse sensisset, neque dum rem perfectam arbitraretur, placuit, &c. Hinc odor sèpè sumitur pro fama, vt cum ait Paulus: Christi bonus odor sumus, q.d. De Christo bonam famam vbiique spargimus, sanctæ vitæ exemplo, & quæ ac sanctæ doctrinæ prædicatione, 2. Cor. 2. 15.

Porro post hæc verba, Et odor ignis non transisset per eos, in multis Septuag. codicibus additur, & adoravit coram eis rex Dominum; quod tamen Latini codices non legunt, nec à S. Hieronymino, nec à Theodo reto agnoscitur.

VERBUM REGIS IMMUTAVERVNT J Id est, VERS. 75 contra regis imperium egerunt. ita Vatabl. Chald: est γνωστον, quod Secundò, verti potest, secundauerunt, secundò loco habuerunt, id est postposuerunt verbum regis legi Dei, scientes oportere Deo magis obedire, quam hominibus. Hinc patet hos tres pueri tres pueros esse Martyres, imò Martyrum quasi in igne illæ primicias, qui cæteris præluerunt, & fortitudinis fuerunt exemplar dedecunt posteris omnibus, præsertim Martyribus.

Christianis: quia ipsi ante Christum, sine exemplo, primi in lege veteri, pro vnius Dei cultū libertissimè & constantissimè ignes tyranni subierunt, sequē in certissimam mortem dederunt, eamque violentissimam re ipsa omnino obijsent, idque naturaliter & necessariō, nisi à Deo contra naturā cursū miraculosē fūissent conseruati & crepti. Simili de causa Daniel missus in lacum Ieonus, licet inde à Deo sit eruptus, censendus est Martyr. Nec enim conuenit, vt miracula virtuti sint damno, eiusque meritum & præmium minuāt, cū ad eam illustrandam adhibeantur: *Hec enim meritum confessionis (martyrij) non minuant, sed magnalia divinitatis protectionis ostendunt,* inquit S. Cyprian. epist. 58. quæ est ad Lucium Papam, S. Chrysoſt. homil. quod nemo leditur nisi a seipso. & saudet S. Hieron. in 20. Matth. & alij, ac disertè S. Athanas. serm. 3. contra Arrianos tres pueros vocat Martyres: Codex verò Vaticanus Basilij Porphyrogeniti Imperat. quem initio libri citauit, eos re ipsa tandem martyrium subijsse affirmat. Verū nil tale habent Epiphanius. Dorotheus, & alij, nec Martyrolog. Romah. in quo hi tres quasi Sancti consignantur, nulla martyrij mentione, 16. Decembr. sic enim habet: *Frum puerorum, Ananias, Azarias & Misaelis, quorum corpora apud Babylonem sub quodam specu condita sunt: postea translata Romam, in templo S. Adriani in foto boario sepulta, vt habeat ibidein marmorea inscriptio, religiosè coluntur.*

Denique quod ad eorum propaginem & posteritatem attinet, sunt hīc Romæ Iudei & Rabbini, qui se ab hisce tribus pueris prognatos esse iactant, ad eosque suam genealogiam cohtinua & longa auotum sere deducunt; ideoque ab eis nomen Ananias, &c. & cognomen *sforo* (ab eorum furno & fornace, inquam cotiecti sunt) assūmunt. Ita ipsi, fidelium, felicium & nobiliuni patrum infides, infelices & ignobiles filij. Addo fabulosi: hi enim tres pueri fuerunt virgines, ideoque ab igne illæsi, vt superius ex Damasc. docui. Dices, Tum fuerunt virgines, at postea duxerunt vxores, & procrearunt liberos. Respondeo hoc gratis dici, & esse improbabile. Quis enim credit eos suam virginitatem tam nobili martyrio & miraculo decoratam coniugio corrupisse, ac tantam maculam dedisse in gloriam suam? Grandæui iam tūm erant, & qui vñque ad eam ætatem vxore abstinerant, in ætate senescente, post tanta castitatis tropheæ, cam seruare nequievunt, vel noluerunt?

OMNEM DEVUM] vñlum deum: Hebrais enim non omnis idem est quod nullus.

VERS. 96. LOCUTA FVERIT BLASPHEMIAM] Rex hoc prodigio non videtur planè fuisse conuersus: nam non vetat coli idola, nec præcipit coli vnum Deum Hebraeorum, sed tantum vetat, ne quis cum blasphemet.

VERS. 97. PROMOVIT SIDRACH, &c. q.d. Rex non tantum tres pueros restituit in pristinam dignitatem, & in suas præfecturas; sed insuper status & præfecturas eorum adauxit. ita S. Hieron. Editio Sept. Rom. addit: *Et amplificauit eos, & dignos habuit ipjos, qui præsent omibus Iudeis, qui erant in regno suo.*

Vide hīc quid faciat constantia, virtus & sanctum paucorum exemplum, hoc enim tres pueri

A hi monarcham Babyloniorum ferocissimum & potentissimum conquererunt, vt Deum verum toto regno suo deprædicaret, sicut sequens cius docebit edictum.

Ita S. Pachomius cū adhuc Gentilis militaret in exercitu Constantini, videns Thebis charitatem Christianorum erga milites afflictos, quibus omnia necessaria liberaliter suppeditabant, hoc exemplo ad Christum contierunt, tantus etiam quantus in historijs celebratur. ita Baron. anno Christi 316.

Ven. Beda l. i. hist. Angl. c. 7. refert S. Albanum à paganismo per clerici cuiusdam, quem hospitio receperat, piam & sanctam vitam ad Christum fuisse conuersum, ac tandem Martyrem eualesce.

B S. Afra, vt habet eius Vita apud Surium 5. Augusti, à meretricia vita cum tribus suis puellis ad Christum est conuersa exemplo pietatis, grauitatis & castitatis S. Narcissi Episcopi, quem saeuiente persecutione receperat hospitio.

Rufinus l. ii. hist. cap. 9. de S. Gregorio Nazianz, ita scribit: Nazianzi in locum patris Episcopus subrogatus, haereticorum turbinem fideliter tulit. Redita verò pace, Constantinopolim ad Ecclesiam docendam venire rogatus, non abnuit. Vbi breui tempore tantum ad emendandum populum vetustis haereticorum infectum venenis profecit, vt tunc prium Christiani sibi fieri viderentur, & nouellam lūcem aspiceret, cū religionis doctor multa quidem verbis, plura tamen docebat exemplis: nec viderent ab eo discipulis aliquid imperari, quod non prius ipse fecisset.

C 98. Nabuchodonosor rex, omnibus populis, gentibus, & linguis, qui habitant in uniuersa terra, pax vobis multiplicetur.

99. Signa, & mirabilia fecit apud me Deus excelsus. Placuit ergo mihi prædicare.

100. Signa eius, quia magna sunt; & mirabilia eius, quia fortia: & regnum eius regnum sempiternum & potestas eius in generationem & generationem.

NABUCHODONOSOR REX] Est hīc noua nouæ VERS. 98. rei narratio: est enim hic titulus epistolæ regis quæ sequitur c. 4. qua narrat rex suam superbiam, humiliacionem, conuersionem in bestiam, & reductionem in regnum. Vnde ex hoc loco Theodor. Lyran. & alij inchoant caput quartum: cō enim hæc pertinent. Quocirca in nonnullis Græcis codicibus ante hæc verba inscribitur quasi titulus, ὁ γετεῖς εἰ, id est visio quinta Danielis.

REGNUM EIVS REGNUM SEMPITERNUM, ET VERS. 100. POTESTAS EIVS IN GENERATIONEM ET GENERATIONEM] Vox & idem est quod *idcirco*. Prius enim est ratio & quasi causa posterioris: quia enim Dei regnum est æternum, idcirco potestas eius se extendit ad omnia secula. Nam, vt ait Frisinegitus in Asclepio c. 11. Immobilis est æternitas, in quam omnium temporum agitatio remeat, vt ex eadem sumit exordium.

C A P V T Q V A R T V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Hoc caput continet epistolam Nabuchodonosoris, qua ipse Primo, narrat secundum suum somnium, de arbore magna ab angelo succisa. Secundo, v. 16. quod Daniel illud interpretatus sit de Nabuchodonosore è regno expellendo, & in bestiam commutando. Tertio, v. 30. se reipsa quasi bestiam regno expulsum, sed post septem annos sibi & regno restitutum, narrat. Vnde v. ultimo Deum agnoscit & glorificat.

V E R S . 1. **E**GO Nabuchodonosor quietus eram A domo mea, & florens in palatio meo:

2. Somnium vidi, quod perterrituit me: & cogitationes meæ in strato meo, & visiones capitum mei conturbauerunt me.

3. Et per me propositum est decretum ut introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & ut solutionem somnij indicarent mihi.

4. Tunc ingrediebantur arioli, magi, Chaldaei, & aruspices, & somnium narrari in conspectu eorum: & solutionem eius non indicauerunt mihi:

5. Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundum nomen Dei mei, qui habet spiritum deorum sanctorum in semetipso: & somnium coram ipso locutus sum.

6. Baltassar princeps ariolorum, quoniam ego scio quod spiritum sanctorum deorum habeas in te, & omne sacramentum non est impossibile tibi: visiones somniorum meorum, quas vidi, & solutionem earum narra.

V E R S . 1. **F**LORENS IN PALATIO MEO] Theodor, addit.

Regni sui 38. εν τῷ πατρὶ μετὰ μητρὸς, & pinguis in populo meo.

SOMNIVM VIDI] Queres, Quo anno hoc somnium habuit Nabuchodonosor? Respondeo, Anno regni sui 37. nā anno 35. regni, debellatā Ægypto factus est monarca, indeque anno 2. putā anno regni sui 37. qui fuit annus mundi 3379. vidit statuam illam quadridam de qua c. 2. ac mox eodem anno ob monarchiam adeptam superbia intumescens, vidit somnium huius cap. & iuxta illud deinde mense duodecimo, anno regni sui 38. regno vt bestia electus est; vt patet v. 26. in quo statu septem annos permansit: octauo demum anno menti & regno redditus, paulò post mortuus videtur anno regni sui 45. qui fuit transmigrationis Joachin 37. illo enim anno successit in regno Nabuchodonosori filius Eulmerodach, vt patet 4. Regum 25. 27. Vnde & deinceps nulla alia Nabuchodonosoris gesta narrantur. Qui sane tantæ mutationis & conuersionis suæ, multa alioqui monumenta reliquisset, & Iudeos è captiuitate liberos dimisisset, vt pote quorum Deum agnouerat.

Dices, Theodor. & Chrysost. sic legunt: Anno 18. vidi Nabuchodonosor somnium. Resp. annus hic regni eius 37. fuit 18. ab excidio templi & captiuitate Iudeorum. Nam anno 18. regni sui ipse vi-

A bem Ierusalem cum templo euerit: inde usque ad annum 37. regni eiusdem sunt 18. anni. Alij nonnulli censem hæc contigisse anno regni Nabuchodonosor 27. ita ut regno electus, ac post septennium restitutus, vixerit in pristina regni gloria per decem annos, scilicet ad annum regni sui 44. nec enim Deus videtur cum restituuisse, ut statim è medio tolleret. Sed prius quod dixi verius est, ut patet ex dictis Ezech. 26. v. 1. & c. 29. v. 1. & maxime v. 17. Nimirum voluit Deus misericorditer cum ex vita huius periculis eripere cum in bono esset statu, & ad meliorem vitam transferre; ne, si diutius viueret, rursus in tanta gloria superbiret & periret.

DONEC COLLEGA] τὸ collega non est in Græcis, ne Caraffæ quidem; sed est in Chaldaeo, fuitque in versione Aquile, Symmachī & Theodotionis, ut testatur S. Hieron. Perperam apud Theodor. pro ἐπίτιμος, id est socius, collega, legitur ἐπίτιμος, id est alias. Rex Danielem vocat collegam, quia participem eum fecerat imperij, cumque administrationi Babyloniarum præficerat c. 2. 20. & 48. idque ob explicationem præcedentis somnij, & ob admirabilem sapientiam & spiritum propheticum, quem in eo cernebat.

CVI NOMEN BALTASSAR SECUNDVM NOMEN DEI MEI] Daniel vocatus est Baltassar, vel, ut Chalda. est Beltsasar, non ex eo quod rex eum Balsafari, filio suo, coheredem vellet facere, ut vult Epiphanius de Vita Prophet. non etiam ex eo quod somnia regis, aliaque arcana interpretatus sit, ut vult Suidas & Ioseph. nam puer à præfecto eunuchorum ita vocatus est cap. 1. 7. Dictus ergo est Beltsasar, à בָּלְתַּסָּר Baal siue Bal, siue Bel, siue Belo (hæc tassar, id est enim omnia idem sunt) Deo Babyloniorum; & Belis the-בָּלִיס latus, id est acutus; & בָּלֵזֶר o:sar, id est the-saurus. q.d. Belis acutus thesaurus, id est Belis acumen & sapientia: eò quod præfectus eum, ut pote regio semine ortum, & nobili ingenio præditum, ideoque regi astitum, sapientissimum fore optaret & portenderet. Hinc nomen Baltassaris, vel Balsafaris, apud Chaldaeos regale erat & diuinum, ut patet ex historia huius libri. ferè enim reges Chaldaeorum nomina deorum sibi adaptabant: hinc ex Nebo, Bel, Mero, vocati sunt Nabonitas, Baltassar, Merodach, Eulmerodach. Merodach enim idem est, quod Mero מְרוֹדָך, id est tenuis, vel parvus. Eulmerodach idem est, quod princeps Merodach. Eul enim significat primum, & principem. Porro sicut Chaldaei à Baal deo, suos reges cognominarū Balsasar, Baladan, Belochus; ita ab eodem Tyrii suos vocarunt Itobaal, Abibaal, Balcazar; & ab eis descendentes Carthaginenses, ab eodem suos duces nuncuparunt Hannibaal, id est castrorum dominus, siue dux; Muthumbaal, id est mortis aliquorum dominus; Hasdrubaal, &c. ita Scaliger Chaldaei & Hebrews nomina deorum sibi indiderunt.

1.6.de Emendat. temp. & noster Serarius in cap. 2. Iosue quæst. 25. Sic Hebrei suos reges, Prophetas & viros illustres nomine Dei, putâ Iehoua, Ia, El, insignierunt. Iehoua, vt Ichosue, Iehoakim, Iehophat, Iehoia : Ia, vt Abia, Iosias, Ieremias, Zacharias : El, vt Daniel, Ezechiel, Michael, Gabriel, Raphael. Huc spectat illud S. August. quæst. 16. in lib. Iudic. tomo 4. Baal, inquit, Puni videntur dicere Dominum: unde Baalsamen, quasi Dominum c. Eli intelliguntur dicere. Samen quippe apud eos c. Eli appellantur, vtique ab Hebr. סָמֵן sciamim.

QVI HABET SPIRITVM DEORVM SANCTORVM IN SEMETIPSO] Theodotion teste S. Hieron. & editio Septuag. Rom. habent, qui spiritum Dei sanctum habet in semetipso. Hebr. enim Elohim, pro quo Chaldaei dicunt Elahin, tam Deum, quam deos significat, esto sit plurale, vt dixi Genes. 1.1. Et quia pluralis est numeri, additur ei pariter epithetum plurale ιεροποιητικόν, quod pari modo tam sanctum, quam sanctos, vel sanctorum verti potest. Porro spiritus hic Dei, vel deorum, est spiritus prophetæ. Diuinitatis enim propria est diuinitatio & prænotio futurorum contingentium, æquè ac arcatorum cordis.

VERS. 6. OMNE SACRAMENTVM NON EST IMPOSSIBILE TIBI] Græcè εἰ καὶ ἀδύνατο σὺ, aliij legunt σὺ, q.d. Non facit te impotentem, scilicet ad illud explicandum, q.d. Nihil superat tuam facultatem & intelligentiam. Sacramentum vocat sacram arcanum, putâ somnium à Deo sibi immisum, eiusque significationem.

7. Visio capitinis mei in cubili meo: Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.

8. Magna arbor, & fortis: & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat usque ad terminos vniuersæ terræ.

9. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.

10. Videbam in visione capitinis mei super stratum meum, & ecce vigil, & sanctus de cælo descendit.

11. Clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.

12. Verumtamen germen radicum eius in terra finite, & alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum foris pars eius in herba terræ.

Ait Matth. 3. 10. Iam securis ad radicem arborum posita est. arborum, id est hominum. Et psal. 1.3. iustus vocatur lignum (id est arbor) quod plantatum est secus cursus aquarum, & solium eius non defluet, & fructum datum in tempore suo. Aptè arbor radices habet in terra fixas, homo vero sursum: nam arbor ex terra, homo vero sursum, scilicet ex cælo, nutritur. Arbor ergo hæc significabat Nabuchodonosoris imperium, & gloria sublime, & amplitudine longè lateque patens, & viribus robustum esse. Sic Ezechiel c. 17. 23. superbum Sedeciam, & cap. 31. 3. regem Assyriorum comparat arbori excelsæ, & Psaltes psalm. 36. 35. Vidi, ait, impium super exaltatum & eleuatum sicut cedros Libani, transi, & ecce non erat. Nimirum toluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.

Simili arboris euersæ schemate præsignificata est, euersio Ecclesiæ Africanæ per Hunericum regem Arrianum. Rem narrat Victor Vicensis lib. 2. historiæ Wandal. Videl, inquit, venerabilis Paulus Episcopus arborem usque ad celos ramis florentibus extensem que etiam dilatatione sua omnem pannæ Africam opacabat. Et cum vniuersi eius magnitudine & speciositate gauderet, ecce fabitò venit asinus violentus, qui defrictans ceruicem suam super robur radicum eius, impulsu suo cum ingenti sonitu illam mirabilem arborem elisit ad terram. Arbor hæc erat Ecclesia Catholica: asinus eam per radices subruens erat Hunericus, eam vastans per Episcoporum & sacerdotum exilia ac martyria.

Hæc ergo arbor symbolum est prosperitatis & gloriæ humanæ, quæ mox prosternitur & ruit. Ita Lyran. Simili modo huic arbori nostræ comparati possit Adam, parentis generis humani: hic enim arbor genitus in paradiſo quasi arbor magna fuit, florens & affluens omnibus bonis; sed per superbiam & peccatum prostrata fuit in brutales concupiscentias & ærumnas, atque excisa usque ad radices, id est usque ad B. Virginem, quæ intacta germen protulit, scilicet Christum, qui arborem hanc suo flori restituit, imò florentiorem reparavit. Similis ergo fuit casus Adæ casui Nabuchodonosoris, sicut eidem similis fuit casus Luciferi: unde eidem illum comparat Isaías c. 14. 12.

Tropolog. Lyran. per arborem. hanc intelligit hominem virtuosum. Hec arbor, inquit, alta est per iustitiam; fortis per constantiam, frondosa per eloquentiam, magna per prudentiam que dirigit omnes virtutes, diffusa per misericordiam, fructifera per devotionis exuberantiam. Omnes pascuntur ex ea, per fraternalm edificationem: subter eam bestiæ, per sensuum exteriorum reservationem: in ramis eius volucres cæli, per motuum exteriorum moderationem. Hic homo si in peccatum cadat, contra eum inclamat vigil, id est Christus in Euangelio, vel Prelatus predicando: Succidite arborem, quantum ad desertionem charitatis, quæ est vita anime: præcidite ramos, quantum ad ablationem voluntatis bone: excutite folia, quantum ad desecrationem bone locutionis: dispergite fructus, quantum ad subtractionem bone operationis: fugiant animalia quæ subter eam sunt, quantum ad defectum debitis subjectionis: alligetur vinculo, quantum ad generationem male consuetudinis, eoq; ferreo, propter duritatem obstinationis: ejiciatur foras, quantum ad inuercundiam in omnibus malis, quia tunc facta est ei frons meretricis: cor eius ab humano commutetur, quantum ad omnem modum crudelitatis: septem tempora commutentur super eum, quantum ad peruersam opinionem totius legis. Huius arborei sententias percipiunt in somniis reges, principes, nobiles, diuites; quia frequenter in predicationibus audirent diuinam sententiam, sed non curant, ac si esset tammodo somnum. Hucusq; Lyranus.

MAGNA ARBOR ET FORTIS] Arbor hæc significabat hominem. Est enim homo arbor inuersa, inquit Aristot. nam caput, quod est radix sensationis, intelligentiae & motus, est sursum: rami vero, id est pedes, sunt deorsum. Vnde homo à Clemente Alexandr. in Adhort. vocatur planta celestis, quia cælum versus radicem habet. Hinc & Christus

A ET PROCRITAS EIVS CONTINGENS CÆ-
LVM] Est hyperbole, q.d. Altissima erat. Similis
est Deuter. 1.28. *Vrbes magnæ ad cælum usque munitæ,*
vel, ut Graeca habent, *muratæ:* & apud Poëtam, *Ferit*
aurea fidera clamor.

B ASPECTVS ILLIVS ERAT VSQVE AD TER-
MINOS VNIVERSÆ TERRÆ] Chald. *rami eius ad*
finem totius terre protendebantur; Septuag. *latitudo*
eius usque ad terminos terræ. Sic & Theodotion, inquit
S. Hieron. *vertit uōtē, id est latitudo (vitiosè enim in*
S. Hieron. *legitur altitudo, prolatitudo) quod ipse ex-*
plicat nōcēa, id est dominatio, q.d. Latissimè domi-
natur Nabuchodonosor, usque ad fines terra. Est
rursum hyperbole: nam Nabuchodonosor tan-
tum Asiam occupauit, non Europam & Libyam.

C VERS. 9. ESCA VNIVERSORVM IN EA] q.d. In hac ar-
bore copiofi erant fructus, ita ut ijs omnibus ani-
mantibus alendis satis essent: quod præter alia, quæ
mox afferam, indicabat potentiam & opes Nabu-
chodonosoris & Chaldaeorum esse tantas, ut ijs
poenè omnes homines ali & viuere possent.

Nota. Huius arboris, id est Nabuchodonosoris,
folia, erant pompa vestium, curruum, militum, au-
licorum: fructus, erant opes & tributa, ait Theod.
Cibus omnium erat in ea; quia omnes mercatores &
agricolæ sub eo pacifice & lautè viuebant; milites
verò & aulici splendide ab eo alebantur: subter
eam habitabant bestiæ, id est homines barbari; &
in ramis eius volucres cæli, id est homines mitiori,
actiori & altiori ingenio sub illius regis imperio &
fauore commode & decenter viuebant, sicque ex
ea vescebatur omnis caro.

D VERS. 10. VIDEBA M IN VISIONE CAPITIS MEI SVPER
STRATVM MEVM] videbar mihi per somniū videre.

ET ECCE VIGIL, ET SANCTVS DE CÅLO DE-
SCENDIT] Vigil hic est angelus, ut vertunt Septuag.
qui non obruitur somno ut homo, utpote carens
corpore. Angelus hic erat Babylonie præses & vin-
dex, ut patet v. 14. Nota. τὸν vigil significat Primo,
angelos esse incorporeos, ideoque numquam dor-
mine, sed semper vigilare, operique Dei intendere.
Hoc imitantur Sancti, præsertim Religiosi, qui
noctu peruigilant in oratione & laudibus Dei: ὑπὲ
τὸν nos, ait S. Hieron. crebris pernoctationibus imita-
mur angelorum officia. Et de Domino dicitur psal. 120.
Non dormitabit, neque dormiet qui custodit Israel. Se-
cundò, eos esse continuos in actione, & infatigibiles;
Tertiò, eos nostræ omnia acerrimè considerare;
Quartò, eos vigilantissimos esse gubernationis &
vindictæ diuinæ ministros & executores; perinde
ac ipsa iustitia & vindicta diuina vigilantissima est:
vnde ipsa Jeremiæ c. 1.11. ostensa est quasi virga vi-
gilans. Hinc notat S. Hieron. Chaldaum τὸν, ut id
est vigil, alludere ad irin, siue iridem, quæ per multi-
colorem arcum ad terras descendere dicitur, & per
eam subinde angeli, ut Apocal. 10.1. de angelo suo
ait Ioannes: *Et iris in capite eius.* Iris enim misericor-
diæ & vindictæ est symbolum. Vnde censet ab ir
Hebreo; quod hic retinent aliqui interpretes, &
græcè & latinè dictam esse irim siue iridem. Vtram-
que ostendunt & ostendent angeli, tum alias, tum
præsertim in iudicio & resurrectione, cum ipsi à
morte euigilare & resurgere facient homines; alias
ad gloriam, alias ad gehennam. Vita ergo angelorum
est vigilia: vita mortaliū vigilia sit oportet. Vigilate: ne-
scitis enim quando Dominus veniat, Marci 13.v.35.

E VERS. 12. GERMEN, &c. SINITE] stirpem ei relinquite, ut
possit crescere.

F ALLIGETVR, scilicet ille, qui per arborem hanc
significatur, putà Nabuchodonosor, VINCVLO
FERREO ET AREO, IN HERBIS QVÆ FORIS
SVNT] Id est, ut ex Chaldaeo vertit Pagninus, alli-
gatus vinculo & areo & ferreo, ponatur in herba agri.

Nota. Nabuchodonosor cum primò in amen-
tiam versus est, mox à suis, ne sibi & alijs noceret,
vinculis astricatus fuit & inclusus: sed deinde mou-
nitu Danielis solitus & dimissus, iuit ad filias, vi-
xitque cum bestijs per septem annos, ut patet v. 29.
ita tamen ut retinuerit vincula aliqua, putà mani-
cas fetreas in manibus, ne illæ coniungi possent,
néve ijs uteretur ut homo, sed ut ijs disiunctis re-
peret ad herbas agri quasi bestia. Hoc enim est
quod hic dicitur: Alligetur vinculo ferreo, &c. in her-
bi. Herbas ergo comedens erat ligatus.

G LYRAN. quem sequitur Fernand. vision. 22. com-
ment. 2. sect. 2. per vincula hæc accipit sententiam
& decretum Dei infrangibile, de Nabuchodonosor-
is electione è regno. Alij accipiunt durissimam
eius poenam & afflictionem, quæ fregit & domuit
eius superbiam. Sed hæc mystica sunt.

13. COR EIUS AB HUMANO COMMUTETUR,
& COR FERÆ DETUR EI: & SEPTEM TEMPORA
MUTENTUR SUPER EUM.

14. IN SENTENTIA VIGILUM DECRETUM EST,
& SERMO SANCTORU, & PETITIO: DONEC COG-
NOSCANT VIUENTES, QUONIAM DOMINATUR
EXCELSUS IN REGNO HOMINUM, & CUIQUE
VOLUERIT, DABIT ILLUD, & HUMILLIMUM
HOMINEM CONSTITUET SUPER EUM.

15. HOC SOMNIUM VIDI EGÓ NABUCHO-
DONOSOR REX: TU ERGO BALTAFFAR INTERPRE-
TATIONEM NARRA FESTINUS: QUIA OMNES SA-
PIENTES REGNI MEI NÒ QUEUNT SOLUTIONEM
EDICERE MIHI: TU AUTEM POTES, QUIA SPIRITUS
DEORUM SANCTORUM IN TE EST.

16. TUNC DANIEL, CUIUS NOMEN BALTAFFAR,
COEPIT INTRA SEMETIPSUM TACITUS COGI-
TARE QUASI VNA HORA: & COGITATIONES EIUS
CONTURBABANT EUM. RESPONDENS AUTEM
TEX AIT: BALTAFFAR, SOMNIUM & INTERPRE-
TATIO EIUS NON CONTURBENT TE. RESPONDIT
BALTAFFAR, & DIXIT: DOMINE MI, SOMNIUM
HIS, QUI TE ODERUNT, & INTERPRETATIO EIUS
HOSTIBUS TUIS FIT.

H COR EIUS AB HUMANO COMMUTETVR] Sy-
rus, cor eius ab hominibus transeat; Arabicus Antio-
chenus, cor eius diuertatur, vel amoueat ab homini-
bus: Arab. Alexandrinus, cor eius auferatur ab inter-
homines, & pro eo

I COR FERÆ DETVR EI] Hinc Origenes cum
suis docuit hanc non esse historiam, sed parabo-
lam, quæ sub nomine regis Nabuchodonosoris
symbolicè describatur casus Luciferi. Sed hæc est
hæresis: nam historiam esse patet ex simplici nar-
ratione totius capituli, & cap. sequ. v. 20. & sequ.
ita S. Hieron. & alij passim.

Quæres, An ergo Nabuchodonosor verè mu-
tatus fuit in feram aut bestiam? Primo, nonnulli
verè in be-
censem Iosephum id affirmare, sed falso hoc ei
tribuunt. *An Nabu-
chodonosor
mutatus.*

Secundò, Dorothœus in Synopsi & Epiphani, in
Prima sen-
tentia.

Vita Secunda.

Epiphany,
verè id fā-
tum.

Vita Danielis, censem Nabuchodonosorem interius habuisse formam hominis, scilicet animam rationalem, sed exteriū mutatum fuisse in figuram bouis anterius, & leonis posterius; ac consequenter videntur ei caput & cornua bouis, caudam vero & iubas leonis dare. Probant ex eo quod hic dicitur cor, non bestia, sed fera detur ei: bos autem est bestia, non fera: leo vero est fera, non bestia: ergo potius in leonis, quam in bouis formam mutatus fuit rex. Rursum, quia v. 30. Septuag. dicunt eius capillos creuisse in similitudinem leonum. Adde, rex hic crudelis & superbus fuit ut leo, unde & leonem comparatur cap. 7. 4. Verum in explicatione somnij Daniel nullam leonis, sed tantum bouis facit mentionem v. 29. & v. 30. eum boui similem factum esse narrat. Iam vero boues non tantum cicures sunt & domestici, sed etiam agrestes & feri, vti sunt vti Nabuchodo- & bisontes. Talis ergo factus videtur Nabuchodo- nos factus nos. Sic de Gyge & Minotauro fingunt poëtae, est instar vri eos partim fuisse homines, partim boues. Nam de vel bisontis. Gyge canit Ouidius l. 4. Trist. eleg. 6.

*Centimanumq; Gygen, semibouemq; virum.
de Minotauro vero:*

Semibouemq; virum, semiuirumq; bouem.

Tertiò, Michael Medina l. 2. de Fide c. 7. putat non veram, sed phantasticam fuisse regis transformationem in bestiam: idque aut per præstigias, quomodo nostri lycanthropi, cum sint homines & sagi, ope dæmonis ita perstringunt oculos intuentium, ut videantur esse lupi, gregesque ouium quasi lupi inuadere & occidere, ac mox strage peracta in humanam formam videntur reuerti. Similis transformationis meminit S. August. lib. 18. Ciuitat. 18. Aut potius, quia Deus circa corpus regis circumposuit figuram quamdam bestie, sub qua cum cerneretur ab alijs, bestia putabatur: sic enim mulier illa, quæ ad S. Hilarionem fuit adducta, per magicas artes apparebat esse iumentum, quæ Hilarioni mulier, vti reuera erat, videbatur. Testis est S. Hieron. in eius Vita. Verum hæc non sufficiunt, nec explent verba Scripturæ.

Quarta,
S. Thom. id
factum ait
in regis
imagine-
zione.

Exempla
Lemni &
aliorum.

Quartò, S. Thom. l. 2. de Regimine principum (virū docti, ut Bellarm. l. de Script. Eccles. negant hunc librum esse S. Thomas Aquinatis) c. vlt. ait regem transformatum esse in bestiam, non reuera, sed quia sua imaginatione vitiata & corrupta, sibi transformatus videbatur. Cuius rei multa & mira exempla refert Galenus, & post eum Leuinus Lemnius l. 2. de Complex. sub finem. Quidam, inquit, putabat nasum sibi excreuisse in immensum, ut elephatis proboscidem circumferre videretur. Medicus hunc ei morbi & phantasiam hac arte exemptit: longum farcimentum naribus admouit, arreptaque nouacula illud sensim abscidit, ac tandem extimans nasi partem perfinxit, ut sanguis deflueret; itaque imaginarium ei nasum auulsit: atq; præscripta ei saporifera potionē & salubri diæta eū plenē curauit.

Alius hypochondiacus, hoc est, cui præcordia humore melancholico ac flatibus turgabant, credebat ranas ac bufones interiora sua perterebrare. Medicus dedit ei potioriem, ac subdito clystere procurauit, ut aliquot ranas & bufones in subiectam ei peluum coniicerentur: quibus visis opinio illi hæc adempta est.

Tertius censem se membra posteriora habere ex vitro, unde semper stabat, metuens, ne si fuderet, ea quasi vitri fragmenta dissilirent.

Quartus nuper fuit, qui ex nimia capitis fatiga-

A tione, se mortuum esse dicebat, nec comedere volebat, vt pote mortuum se credens. Iamque instabat septimus dies, qui inedia confectis letalis esse solet. Ut eum morbo & morte eriperent, quidam personati hinc obioluti quasi mortui, conclave obscurum ingressi mensam instruere, ac liberaliter se reficere coeperunt. Æger autem hæc conspicatus, sciscitatur quid moliantur, & quod sint genus hominum & responsum est, mortuos esse se. Tum ipse, Ergo mortui comedunt & illi, Comedunt utique; veni, vide & gusta. Ille lecto exilit, cum mortuis commentitjs largè vescitur, indormit confecto ad id liquamine, experrectus sensim ad se redit & sanatur. Hæc omnia Lemnius.

Hinc multi fiunt stulti & deliri ex sola vehementi rei alicuius vel amabilis, vel odibilis, apprehensione: imò narrat Seneca Bibium Gallum Romanum imitando gestus stulti, eos ita phantasiae impressisse, ut inde stultus factus fuerit. Huc accedit Valef. id fā- Franc. Valesius de Sacra philos. c. 80. & Hier. Mer- dumputat curialis l. 6. Variar. lection. c. 20. qui hanc regis me- per melati- choliā. metamorphosim non aliud fuisse censem, quam morbum quem medici melancholiā vocant quo qui laborant insaniunt, & in aliorum subinde animalium formas mutatos se esse imaginantur, faciuntque & patiuntur omnia quasi reuera ita esset: alij in canes, & latranti: alij in gallos, & cantant, & concutiunt latera: alij in lupos, & excent noctu domo, queruntque sepulchra, & versantur libenter cum cadaveribus. Hinc enim Latinis vocatur melancholia canina, & lupina, Græcis Λυκαιοψια, Arribibus cutabut. Sic Bellerophon, ut animi ægredines & mentis dolores excuteret, captabat loca auiā & solitudines: de quo Homer. Iliade 3.

Nam miser in silvis mœrens errabat opatus,

Per campos solus latos, perq; auiā rura.

Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.

Hinc Rutilius Ethnicus monachos insulae Capriæ eodem morbo laborare falsò estimans, sic de eis scribit:

Sic nimis bilis morbum assignauit Homerus

Bellerophontis sollicitudinibus.

Similis fuit Timon Athen. qui μωρόπωτα est appellatus, quod genus humanum odisse videretur: Vnde quadam vice in concionem ascendens, silentio indicto dixit: Est mihi hortus, & in eo focus, ex qua multi ciues se suspenderunt. In codice nunc ego loco ædificare volo: quare vos publicè admoeno, ut, si quis se suspendere velit, muturet antequam arbor exscindatur. Eius epitaphium hoc fuit:

Hic sum post vitam miser amq; inopeimq; sepultus,

Nomen non queras: dī, lector, te male perdant.

Vnde mare quasi perolum hoc monstrum, dicitur exundando eius sepulchrum longè expulisse.

Hic modus verus est, sed non adæquatus; nec enim usquequa verbis Script. ipsique historiæ satisfacit: non enim potest morbus aliquis naturalis figuram hominis mutare, itaque temperamentum eius efferare, ut per septem annos cibo ferino quasi fera cum feris vivat.

Denique Pererius asserit regem non mutasse figuram, sed tantum phantasiam, complexionem & gestus: & Maldonatus censem in figura corporis nihil mutatum fuisse præter vngues & capillos, qui ma. Nabu- nisi sèpè rescentur, solent turpi ac ferina forma crescere. Verum

Dico Primò. Nabuchodonosor in hac transformatione verè mansit homo, Id patet; Primò ex to-

Quinta,
Maldonatus
putat regem
tandem ac-
cepisse lon-
giores un-
gues & ca-
pillos.

Concl. Pri-
ma. Nabu-
chodonosor
mansit ho-
mo.

Probatus
Primò.

Secundus. ta narratione v. 30. & sequent. Secundò, quia alio- qui anima rationalis debuisset ei adimi, & dari anima bouis: & sic non fuisset idem; nec rex qui peccauerat, fuisset punitus, sed bos. Tertiò, quia anima humana non potest informare corpus bo- uis; nec anima bouis corpus hominis. Mansit ergo idem omnino Nabuchodonosor, idem corpus, eadem anima; sed humanus tantum sensus quoad exercitium, putà humana sensatio, prælertim in gustu; ac rationis visus ei fuit ad tempus ablatus, & postea redditus.

Dico Secundò. Aliqua tamē ratione dici potest eum conuersum esse in bestiam, putà in vrūm aut bisontem; idq; pater Primò, quia, vt ait D. Thom. secundùm vitiatam suam imaginationem in vrūm sibi conuersus esse videbatur. Secundò, quia cor- dis & corporis eius temperamentum ita immuta- tum & efferatum est, vt esset simile feræ bestiæ, quantum fieri potuit circa humanitatis, siue natu- ræ humanæ amissionem. Tertiò, quia rationis visu priuatus & mente captus, tantum vtebatur phan- tasia, eaque ferina, qualis est viri; & hoc est quod hīc dicitur, Cor feræ detur ei, q.d. Priuetur sensu hu- mano, fiat amens & insanus; videatur sibi non esse homo, sed bestia.

Vbi Nota. Cor in Scriptura & hīc tria significat. Primò, mentem: quod enim cor est in corpore, hoc mens est in anima totoque homine. Iam be- stiæ non habent mentē, sed eius vice habent ima- ginationem: hæc enim regit eas earumque actus, vt mens regit hominis actus: cor ergo feræ est phantasia feræ. Secundò, cor idem est quod appetitus & voluntas: cor ergo feræ est appetitus feri- nus. Tertiò, cor propriè hīc sumitur. Cordis enim, indeq; totius corporis complexio in rege mutata fuit, vt ex humana fieret ferina. Crediderim tamē cum Maldonat. eum saltem per interualla aliquem rationis & pristinæ dignitatis sensum habuisse: hoc enim propriè erat regi & homini, qua talis est, pœnale, afflictuum & cōtristatuum. Huic senten- tiae fauet illud v. 22. Donec scias quod dominetur Ex- celsus, q.d. Donec ex tua pœna agnoscas Deum vin- dicem, ab eoque veniam poscas.

Quartò, quia habitus eius magis ferinus erat, quam humanus: nā incedebat semper nudus, roti, imbri, & alijs celi iniurijs vt fera obnoxius. Rursum facies eius ab humana erat diuersa & accedēs ad fe- rinā. Deinde adeò ei creuerant capilli, vt totū ferè corpus contegerent; vngues quoque creuerant ad similitudinem auium. Denique cute erat non molli, sed dura & ferina, pilosq; habebat crassissimos, vt referrent plumas auium, qui à copiosa fuligine crassissimæ melanholiæ oriebantur, inquit Vale- sius. Quintò, incessus eius & figura erat ferina; quia non erectus vt homo, & bipes; sed curuus & pro- nus, manibus & pedibus reptabat vt bestia, & quadru- des: pedes ergo eius, brachia, & manus callo- se & duræ, reliquaque membra cum tempera- mento ferinam induerant figuram, quantum salua humana natura facere poterat Deus. Vnde ipse rex iam sibi restitutus ait v. 33. Figura mea reuersa est ad me: ergo illa iam antè ei fuerat ablata. Vidi sub- inde bouina cornua regi nostro appingi, sed hæc pictor ei suo adiecit priuilegio: alij caudam ei adjiciunt; sed id minus necessarium est: & licet forte aliqualia cornua homini adnasci possent; nulla certè in natura vis est, quæ talem humano corpori appendicem possit adjicere. Addunt aliqui regis

Cornel. in Danielem.

A huius genuum vertebras inuersas fuisse, ita vt extorsum quadrupedum more prominerent, idque vt pari cum bobus celeritate curreret, & inæqua- lia loca transiliret: nam si genua eius introrsum humano modo plicata fuissent, fuisset ipse ad talē motum & saltum ineptus. Hæc opinio vide- tur congrua & probabilis. Nam hic situs ad ince- dendum more quadrupedum est naturalis, & pœ- nè necessarius adhuc, vt talis incessus continuari, diuque durare possit, vt patet experienti. **Sextò,** quia cum feris quasi fera versabatur in filiis, ea- qui a cum rumdemque victu, scilicet herbis & radicibus ve- feris herbas sciebatur; eaque ex imaginatione & appetitu feri- no (hunc enim significat cor feræ) & bouino sibi à Deo indito appetebat. Porro feræ non læserunt cum, quia putabant esse feram, licet nouam & monstrosam; & quia Deus eas auerit, illumq; per septem annos mirabiliter in hoc statu custodiuit & conseruavit. Simile narrat Aben Esra de homine quodam melancholico, qui in montes Sardiniae se- cessit, ibique cum cervis diu herbis vicititauit. Sic Arcades glandibus, Argæ pyris siluestribus, Æ- thiopes locustis, milio Sauromatæ, Persæ carda- mo, Eremitæ herbis, Ophiophagi serpentibus ve- scabantur. Mithridatem veneno ita astueuisse, vt eo occidi non posset, testantur historiæ. Feminam quandam Coloniæ araneis pasci vidisse se narrat Albertus Magnus. Non mirum ergo regem nostrū herbis tamdiu vicitasse. **Septimò,** quia cum men- tis visu etiam oris & linguae visum perdiderat, nec quia me- articulatas & humanas, sed inconditas & bestiales giebat ut voces dabat, mugiebatque vt bos. Ratio est, quia locutio sequitur imaginatiuam: prout enim homo, vel animal imaginatur, sic & loquitur, id est vocem dat: vbi ergo ferina est imaginatio, vti erat in re- ge, ibi & ferina est vox. ita S. Hieron. Theodor. Rupert. & Gregor. 5. Moral. 6. ac disertè Lud. Mo- lina 1. d. q. 111. & Delrio lib. 2. de Magia, q. 18.

Huius metamorphosis vix meminerunt Gen- tiles, præsertim quia prisci Chaldaeorum annales perierunt: insinuat tamen eam Alphæus apud Eu- seb. lib. 9. de Præparat. Euangel. dum narrat regem Nabuchodonosor in furorem raptum, prædixisse euersionem Chaldaeorum, moxque evanuisse è consilio hominum, dum scilicet quasi bestia fu- git ad bestias in filias.

Moraliter Nota hīc iustum & aptam poenam Iustè rex ferinæ superbiæ, tyrannidis, gulæ & vitæ: ob hanc bestialiter cogitationis se super homines extulit: ipsum, quem com- munem cum hominibus habuit, sensum hominis amisit, inquit S. Gregor. 5. Moral. 6. Ecce quam verum hīc est illud psalmi 48. Homo cum in honore esset, non intellexit; comparatus est iumentis insipientibus, & simi- lis factus est illis. Hinc finxit Homerus, quod Circe socios Vlyssis suis illecebris dementarit, & con- uerterit in porcos, boues, asinos; Vlyssen autem, cò quod ipse eius cantus & illecebras respuisset, ab ea dementari & cōuerti non potuisse. Hinc rur- sum nata est illa Pythagoræ sententia de anima- rum transitu in bestias, quam ipse μετεύχον- vocabat: quæ si literaliter intelligatur, falsa est, & absurdia; si symbolice capiatur & moraliter, vera est & accommoda. Verè dixit Euripides: Cum videris in sublime quempiam elatum, splendidis glorian- lempibus, ac genere supercilioso supra fortē suam fastuosum; illius celarem diuinitus expecta vindictam. Et Herodotus lib. 1. Vides eximia animalia vt fulminet.

Rrrrr

Dens,

Conclusio.
Secunda.
Fuit muta-
tus in be-
stiæ; Primò,
quia hoc
ipse imagi-
nabatur;
Secundò,
quia cōple-
xio eius fuit
effera-
Tertiò, quia
fuit amens.

Quared,
quia habitu
erat ferino;

Quintò,
quia repta-
bat ut fera;

An habue-
rit cornua,
& genua
ferina.

Deus, neque suis opinioneibus viti finat : exigua vero facile fert. Vides etiam ut in celsifica maxima semper, & celsissimas arbores caelestia tela ingruant. Solet enim Deus eminentia quenam castigare, ideoque sepe magni & superbi exercitus a paucis vincuntur. Non sinit enim Deum aliud prius se alium sapere. Alius : Ambitio est elementum malorum. Denique Socrates sapienter monet : Quaerius rex natus fueris, audi tamen ut mortalis. Quid tum, quod procul expuis? multas abundas pueras. Vestem elegantem fers? ait hanc ouicula prius habuit. Aurum geris? haec fortunae inconstans potentia. Opibus affluis? haec vis est iniqua temporis. Superbus? huiusmodi est stultitia iactantia, vel himitus. At si temperantiam secteris, diuinum donum est. Fit autem temperantia, si te ipsum metiri. Denique sapienter Seneca in Thyest.

Stet quicumque volet potens
Aule culmine lubrico,
Me dulcis saturat quies
Obscuro positus logo,
Leni perfruar otio,
nimis procul a Ione & fulmine. Humilis ergo qui
procul est a Ione, & procul est a fulmine.

ET SEPTEM TEMPORA MVTENTVR SUPER EVM] Per septem tempora Rabbi Abraham accipit septem hebdomadas, alij septem menses, alij septem anni tempora: annus enim in quatuor tempora diuiditur, scilicet in ver, aestatem, autumnum & hiemem: sic ergo septem tempora ferent biennium efficerent. Alij, quibus fauit Thedorus anni inquit, duo tempora sunt aestas & hiems: septem ergo tempora, sunt tres anni cum diuidio. Verum passim Latini, Graeci, & Hebrei septem tempora, interpretantur septem annos: annus enim temporum mensura est communissima & vulgatissima; præsertim in Chronicis regum. Sic tempora pro annis capiuntur c. 12.7. Vnde Arabicus Alexandri. vertit, & septem anni mutantur.

VERS. 14. IN SENTENTIA VIGILVM DECRETVM EST, ET (HIC EST) SERMO SANCTORVM ET PETITIO] q.d. Ita decernunt vigiles, id est angeli, iubente Deo ad sermonem & petitionem sanctorum. ita S. Hieronymus. Arabicus vertit, hoc est, quod decretum est in mandato angeli sancti; Chald. est, & in verbo sanctorum questio, q.d. Inferiores angeli querent: Quare ita Deus fecit? & respondebitur illis, Ut cognoscant viuentes quod dominet Excelsus.

ET HVMILLIMVM HOMINEM CONSTITVET SUPER EVM] putat super Nabuchodonosorem: aut potius super eum, id est super ipsum, scilicet regnum, ut habet Chald. Graeca, Vatabl. & alij. Porro multorum, quos Deus ex vili conditione ad regnum eucxit, exempla recensui Genes. 38. in fine.

VERS. 15. COEPIT, &c. TACITVS COGITARE] Graec, ἀπνιωθη, id est obstupuit, mansit attonitus. ita Vatabl. Alij, h. sitatit; Polychron. vertit, ἐξετασθη, id est consternatus est super mira nouitate rerum ostensarum, & cogitabundus factus est. Nam, ut ait Ptolemaeus initio Almagesti: Meditatio est clavis veritatis. Quocirca sapientes interrogati de casu, vel re difficulti, non statim respondent, sed tempus petunt ad cogitandum.

COGITATIONES EIVS CONTURBABANT EVM] quia scilicet dolebat Daniel, regi sibi tam amico, per hoc somnium tam dira portendit.

Symbolice Rupert. in Daniel. cap. 8. docet, per Nabuchodonosorem in bestiam conuersum significari, Primo, quod Deus stulta mundi eligens, stultam fecit sapientiam huius mundi per Eu-

gelium Christi. Secundo, victoram regni Dei, cuius potestatem rex recepto sensu confessus est. Propriam, inquit, reprobaude sapientie huius mundi imaginem superbi regis dementatio pretulit, in eo maxime quod solum ut bos comedit. Quidnam est solum bos huius pabulum, nisi multitudine carnalium; manè viventium, citè florentium, & citè nihilominus flore perditio arescentium? Omnis enim caro ut solum, & omnis gloria eius tamquam flos sani. Ergo descendente sancto & vigile, ad clamorem eius ex hominibus electus est Nabuchodonosor, solum ut bos comedit: quia descendente in hunc mundum virtute & sapientia Dei Christi, ad predicationem eius stulta facta est sapientia huius mundi, & electa ex hominibus diuinam rationem recipientibus: solummodo solum, id est homines superfluos, & super numerum pullulantes ex vito carnis devorare potuit.

B

17. Arborem quam vidisti sublimem atque robustam, cuius altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius in omanem terram:

18. & rami eius pulcherrimi, & fructus eius nimius, & esca omnium in ea, subter eam habitantes bestiae agri, & in ramis eius commorantes aues cæli:

19. Tu es rex, qui magnificatus es, & inualuisti: & magnitudo tua crevit, & peruenit usque ad cælum, & potestas tua in terminos universæ terræ.

20. Quod autem vidit rex vigile, & sanctum descendere de cælo, & dicere: Succidite arborem, & dissipate illam, atamen germe radicum eius in terra dimittite, & vinciatur ferro & æte in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutantur super eum.

21. Haec est interpretatio sententiae Altissimi, quæ peruenit super dominum meum regem:

22. Ejicient te ab hominibus, & cum bestijs ferisque erit habitatio tua, & secundum ut bos comedes, & rore cæli infundebitis: septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominet Excelsus super regnum hominum, & cumque voluerit, det illud.

23. Quod autem præcepit ut relinqueretur germe radicum eius, id est arboris: regnum tuum tibi manebit postquam cognoueris potestatem esse cælestem.

24. Quam ob rem rex consilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum. forsitan ignoscet delictis tuis.

REX CONSILIVM MEVM PLACEAT TIBI] VERS. 24. Chaldaicē מֶלֶךְ מִילָּקָה malca milki, id est rex, rex meus, vel regnum meum placeat tibi. ubi rex vel regnum vocatur consilium; idque eleganter, ait Marinus Brix. in Lexico, quia consilium est instar regis, & deliberationis ac sententiae est rex: & quia reges regere & regi debent consilio, ut regis rex sit

fit consilium. Vnde Pagnin. in Appendix vocum Chaldaic. Lexici, *milkī*, id est consilium, & quē ac *malca*, id est rex, deducit à *רְאֵב malach*, quod *רְאֵב iaats*, id est consulere, notat. Idem tradunt, & multis exemplis confirmavit Lexica Chaldaica & Syriaca. Sic ergo Chaldaei & Hebrei regem vocant à consilio, vt idem sit rex qui consilior, & regnaret idem quod consulere & pollere consilio, iuxta illud Platonis: *Beate sunt res publicae philosophi & sapientes regunt, aut ubi reges philosophantur.* Hinc illud Proverb. 31. 3. *Ne dederis mulieribus substitionem tuam, & dimitias tuas ad delendos reges;* Septuag. iuxta Romanam editionem vertunt, & *vitan tuam inseram consilij mutationem;* Theodot. in penitentiam. Et mox: *Noli regibus ob Lamuel, noli regibus dare vinum.* Septuag. pro *καὶ* al. id est non, legentes *καὶ* el. id est ad, cum, vertunt, *cum consilio omnia fac, cum consilio bibe vinum,* quasi idem sit consilium quod reges aut potius eadem vox *melachim* & reges & consilium significet: *Noster enim vertit reges,* Septuag. consilium. Hinc Emmanuelis regis nostri, cuius principatus super humerum eius. Isaías c. 9. 6. cognomen assignat *consiliarius*: quin & Homerus Agamemnonem regem cognominat *βασιλέων*, id est *consilio pollentem*, putā principem qui multis consulere debat. Audi eum Iliade *αἴτιος δέ της αρχόσαντος βασιλέων*, id est. *Vnus vero princeps vir consiliarius esto.* Præclarè Cicero: *Bonum ducent efficiunt, inquit, labor in negotiis, industria in agendo, in prouidendo consilium, & celeritas in conficiendo.*

PECCATA TUA ELEEMOSYNIS REDIME]

Pecatorum satis factio per eleemosynā contra Galuin. Pro redime, chald. est *רְאֵב peruc*, id est abrumpe, q.d. Resipisce, inchoa nouam vitam mutando crudelitatem in clementiam & misericordiam, inquit Caluin. additque, Ergo male Papistæ ex hoc loco probant actus suos pœnitentiae & satisfactio- nis. Verùm S. Hieron. Theodot. Vatabl. omnēs que alij vertunt, redime, & Chald. *perui* non tam abrumpere, sed & redimere significat: inde enim *רְאֵב peric*, vocatur redemptor; & *רְאֵב purkan* redemptio. Vide Lexicon Regium: idque patet ex serie orationis Danielis: *Vult enim ipse non futura, sed præterita regis peccata ab eo ita dirumpi, frangi (parac enim & literis & significatio idem est quod frago & frango) destrui & redimi, vt pro ijs ipse Deum placet per pœnitentiam & eleemosynas.* Vnde Caluinus veritate conuictus, tandem concedit posse sic verti, *peccata tua eleemosynis redime;* sed excipit, hanc redemptionem apud homines intelligendam esse, non apud Deū, q.d. Redde pauperibus, quæ illis per vim & iniuriam eripuisti, vt illis damnum sarcias & restituas. D Verùm hic est actus iustitiae: Daniel autem suadet actum misericordiæ. Subdit enim: *Et iniquitates tuas misericordijs pauperum.* Rursum Daniel non vult hominibus, sed Deo à rege satisfieri. Demum enim excelsum illi hanc plagam inflixisse, ideoque ab eo timendum, & placandum esse docuit v. 22. dicens, *Donec scias quod dominetur Excelsus super regnum hominum.*

ELEEMOSYNIS] Chald. est *בְּצִדְקָה betzida*, id est iustitia. Nota. Misericordia & eleemosyna h̄ic & alibi vocatur *iustitia*, quia est causa, pars, & signum illustre iustitiae & sanctitatis, vti dixi 2. Corinth. 9. 9.

Moraliter, docet h̄ic Daniel consiliarios, confessarios, concionatores principum, quām verè & sincrè eorum virtutia carpere, & contra ea fana con-

Cornel. in Danielum,

A filia & remedia suggerere debeant. Viderunt enim multos ijs adulari, crima excusare, itaq; se & ipsos perdere. Præclarè Seneca l.6. de Benefic. c. 30. Mœstrabo tibi, inquit, cuius rei inopia laborer magna fastigia, quid omnia possidētibus desit: scilicet, ille qui verum dicat, & hominem inter mentientes (adulatores) stupentem, iplaq; consuetudine pro rectis blanda audiendi, ad ignorantiam veri perductum, vindicet à consensu concentuq; falsorum. Non vides quē admodum illos in preceps agat extingua libertas, & fides in obsequium seruile submissa, dum nemo ex animi sui sententia suader dissuaderet, sed adulandi certamen est, & unum amicorum omnium officium, una contentio, quibus blandissimè fallat? Et mox: hinc perpetua credunt, que in summi perducta maximè nutant. Ingentia super se casara regna frigerunt, nec intellexerunt in illa scena & vanis & cito diffluentibus bonis resolute, ex eo tempore ipsos nihil non aduersi expectare debuisse, ex quo nihil veri audire potuerunt. Subdit exemplum Xerxis, cui Græcos inuasuro omnes assentabantur, quasi mox eos tantis copijs obrueret: solus Demaratus dixit, *Illam ipsam qua sibi placeret multitudinem indigestam & grauem, metuendam esse ducenti: non enim vires, sed pondus habere: immoda numquam regi posse, nec diu durare quidquid regi non potest:* paucos Græcos occipitatuos Thermopylarum angustias, & Persis omnibus restitutos. Itaque accidit, stratūsque per totam Graciām passim Xerxes intellectus, quantum ab exercitu turba distaret, at pudore quamdamno miseror, Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet. petit ille, vt Sardeis maximam Asie ciuitatem currat vectus intraret, rectam capite tiaram gerens. Et Augusti Cæsar, qui filiæ suæ Iuliæ stupra indignans publicauit: inde pudore suffusus & gemens, Horum, inquit, nihil mihi accidisset, si aut Agrippa aut Mecenas vixisset. Concludit: *Plenas aures adulacionibus aliquando vox vera intret.* Da consilium utile. Queris quid felici prestare possis? Effice, ne felicitati sue credat, vt sciat illam multu & fidis manibus continentiam: *mobilia esse quæ dedit casus, & maiorem cursu fugere quam veniunt.* sepe inter fortunam maximam & ultimam nihil interesse.

REDIME] Arabicus Antioch. vertit, *peccata tua eleemosynis inuolue, vel operi.* Arabica vox propriè dicitur de sindone, qua sepeliendi inuoluuntur, vt peccata cum caduere, eleemosynæ cum sindone conferantur. Arab. Alexandr. vertit, *remissionem pro peccatis tuis postula eleemosynis, & operi, & miseratione super (erga) infirmos, pro iniquitatibus tuis.* Hinc S. August. lib. 21. Ciuit. 37. ait, *quosdam sine eleemosynis non posse saluari; quia peccatis aut cupiditatibus suis ita irretiti sunt, vt nisi pauperum precibus ordinaria gratia maiorem & potentiore obtineant, ab ijs se expedire non possint.*

Par modo Zeno Imper. per eleemosynam punctionem Dei euasit. Audi Ioansem Moschum in Prato spirit. cap. 175. Narravit, inquit, nobis quidam Patrum de Zenone Imper. dicens, quod mulierem quandam in filia ipsius iniuriosè tractauerit. Hec autem uocabat in templo Domine nostra S. Dei genitricis, orans & deprecans, & cum lachrymis dicens: *Vindica me de Zenone Imper.* Cum ergo multis diebus hoc faceret, apparuit ei sancta Dei genitrix, dicens: *Crede mihi mulier, uolent tuam sepe facere volui, sed manus eius prohibet me.* Erat enim valde misericors, & eleemosynas faciens. Merito ergo ait Eccles. c. 3. 33. Ignem ardente extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis. In quem locum scribens S. Ambros. comparat eleemosynā aquæ baptisini. Eleemosyna, inquit, quodammodo est aliud animalium

Iuuacrum, ut, si quis forè post baptismum humana fragilitate deliquerit, superfit ei, ut iterum eleemosynis emundetur. Concionator ergo, quasi alter Daniel, crebro peccatoribus suadeat & inculcat eleemosynam. Nam vt ait S. August. homil. 29. inter 50. Sacrificium Christianorum est eleemosyna in pauperes: hinc enim Deus fit peccatis propitius. Vide ea quæ de eleemosyna annotauit Deuter. 26. sub finem cap.

Audi testamentum Petri Domini Soræ & Artini, eiusque coniugis Dodæ anno Domini 1030. apud Baronium. *Capimus*, inquit, cogitare intra nos metipos qualiter in peccatis concepti & nati sumus, & qualiter ab infantia nostra, die noctisque horis & momentis innumerabilia peccata commisimus, & qualiter in illo terribili iudicio de omnibus factis nostris & cogitationibus Deo rationem reddituri sumus; & qualiter ab illo equissimo iudice unusquisque recipiet secundum opera sua: & rursus dum cogitare cœpimus, qualiter impij & peccatores, qui hic peccata redimere negligunt, in illam paucam partem perpetuò cum diabolo damnabuntur, & qualiter iusti & electi Dei in illa eterna beatitudine cum Domino gloriantur; subito reflexit nos diuina pietas, & compunctum est cor nostrum cum tremore & astuione cordis: & cœpimus cogitare & querere consilium à sacerdotibus, & religiosis viris, qualiter innumerabilia peccata nostra redimere potuissent, & ab ira eterni iudicis & à pena eterna evadere. Accepimus consilium ab eis: præterquam renuntiare seculo, nihil esse melius, quam eleemosynarum virtutem, & de proprijs rebus & substantijs monasterium construere, & ibidem cœtus monachorum Deo famulantum coadunare, & ibi secundum regulam & normam beati Benedicti laudem Deo resonare, & vota persoluere, & omni tempore pro animabus nostris incessanter orare. Hoc consilium ab eis lumbenter & ardentissimo amore accepimus. Igitur construximus ecclesiam in honorem Domini nostri Iesu Christi, & sancte Dei genitricis & virginis Marie, & tradidimus eam in manus viri venerabilis Domini Dominici sacerdotis, & Abbatis, & ibi eum Abbatem constitutimus, ubi monasterium construxisset, & cœtus monachorum Deo famulantum eō aduocasset, &c.

Eleemosyna redimit peccata. Primò, quia peccatorem disponit ad gratiam, & ad peccati remissionem, eamque instar orationis à Deo emeretur & impetrat.

Secundò, quia remissa culpa, meretur ex condigno remissionem poenæ reliquæ.

Tertiò, etiamsi non mereatur semper culpæ & poenæ æternæ, tamen temporalis poenæ remissionem ferè meretur, vt scilicet Deus plagas suas talibus in hac vita non immittat: idque hic etiam appositum est, nam S. Hieron. & alij putant Nabuchodonosorem fecisse eleemosynas, ideoque ad duodecim menses dilatam esse Dei contra eum sententiam, donec rursus bonum clementia amissit malo superbie v. 27. Vnde pro eo quod nos habemus, forsitan ignoscet delictis tuis; chaldaicè est, forsitan prolongatio erit paci & prosperitati tue.

25. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor regem.

26. Post finem mensium duodecim, in aula Babylonis deambulabat.

27. Responditque rex, & ait: Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?

28. Cumque sermo adhuc esset in ore

A regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonosor rex: Regnum tuum transibit à te,

29. & ab hominibus ejicient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua: fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quod dominetur Excelsus in regno hominum, & cuicunque voluerit, det illud.

B 30. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum ut bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est: donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.

31. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuavi, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viuentem in semipiternū laudaui, & glorificaui: quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generationem & generationem.

32. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt: iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli quam in habitatoribus terræ: & non est qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti?

C 33. In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decoremque perueni: & figura mea reuersa est ad me: & optimates mei, & magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitus sum: & magnificientia amplior addita est mihi.

POST FINEM DVODECIM MENSIVM] Distulit VERS. 26. Deus sententia sua in regem latæ executionem ad duodecim menses, vt ei daret spatium poenitentiae. ita Theodor.

D AIT, NONNE HÆC EST BABYLON?] Dixit hæc VERS. 27. rex ingenti fastu, cum obliuione & contemptu Dei, vnde ait: Quam ego ædificavi, non Deus. Videtur ergo somnium, & somnij interpretationem oblitus esse, aut parui peditisse, ac rediisse ad ingenium, suamque arrogantiam. Nota. Turris Babel, & Babylon vrbis condita fuit à Nemrod, siue Belo, qui fuit pater Nini, aucta est à Semiramide, sed postea euerla, restituta est à Nabuchodonosore, & magnificentissimis operibus adornata. Habetab enim Babylon, teste Herodoto l. 1. in ambitu murorum stadia 480. muri crassi erant 50. cubitos, alti 200. cubitos: in his erant centū portæ æreæ. Addit Diodorus l. 3. vrbis Babylonis muros adeò latos fuisse, vt per eos sex currus simul procedere possent, & Aristot. l. 3. Politic. 2. tantam ait fuisse Babylonem, vt vrbe ab hostibus captâ, per triduum incolæ alterius partis vrbis eam esse captam non senserint. Babylon ergo habita fuit orbis miraculum, & vnum ex septem mirabilibus mundi, de quo Martialis in Amphitheatro epigram. 1.

Babylon amplitudo.
Barbara pyramidum fileat miracula Memphis,
Aſſiduus iactet nec Babylon labor.

CVM.

VERS. 28. CVMQVE SERMO ADHUC ESSET IN ORE REGIS, VOX DE CAELO RVIT] Vide hic quām Deus excretetur superbiam, quamque subito superbos ē cælo sideret & fulminet. Ita Saulus tumens & saeuiens in Christianos percussus & percussus cœlesti voce : *Saule, Saule, quid me persequeris?* Durum est tibi contra stimulum calcitrare ; vietas manus dedit Deo, Actor. 9. Sic superbis Iudeis à Deo proster-nendis ait Isaia cap. 66. 6. *Vox de templo, vox Domini, reddentis retributionem inimicis suis.* Et de superbo Sennacherib c. 30. 31. A voce Domini p.uebit Assur virga percussus. Et c. 33. 3. A voce angelii fugerunt populi. Et Ioel c. 2. 11. Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui. *Magnus enim dies Domini, & terribilis valde, & quis sustinebit eum?* cùm scilicet in die iudicij superbos sua voce , Itc maledicti in ignem eternum, adiget in tartara. Nam vt ait David 2. Reg. 22. 14. *Tonabit de celo Dominus, & Excelsus dabit vocem suam.* Sic Ioan. Apocal. 8. audiuimus vocem angelii , quasi aquile volantis per medium celi, dicentes vox magna: *V.e, v.e, v.e habitantibus in terra.*

VERS. 30. EX HOMINIBVS ABIECTVS EST] Cùm Nabuchodonosor tamquam amens & infanus ciectus fuit, tunc regnum Chaldaeorum per septennium administravit Eulmerodach eius filius, vel optimates , qui iuxta vaticinium Danielis per septen-nium expectarunt , vt Nabuchodonosorem menti restitutum reciperent, vt indicatur v. 33.

DONEC CAPILLI EIVS IN SIMILITUDINEM AQVILARVM CRESCERENT] Pro aquilarum, Septuag. habent λεότων, id est, leonum: vnde Epiphan. & Doroth. hauserunt suam sententiam de rege in leonem transformato , vt dixi v. 13. Verum Chald. & Latina habent aquilarum, non leonum.

Quærcs , Quomodo capilli eius in similitudinem, non bouis, sed aquilarum creuerint? Primò, Maldon. censem in rege nihil præter vngues & capillos fuisse immutatum : sed hæc sola ferinum in morem excreuisse. Verum contrarium est verius, vt dixi v. 13.

Secundò, Lyranus, τὸ in similitudinem aquilarum, exponit, q. d. In longitudinem alarum aquile. Verum alarum hic nulla est mutatio , nec rectè capilli hominis alis, sed capillis aquilæ comparantur.

Tertiò, melius Vatabl. explicat & vertit, vt pilorum copia aquilis , & vnguis similis euaderet volucribus: Chaldaea enim ad verbum habent, donec pili eius multiplicarentur instar aquilarum. Pilis ergo aquilæ potius quam bouis (cui incessu & forma similis erat) comparantur eius pili ; Primò, ob copiam & densitatem aquila enim toto corpore pilis est den-sa, iisque quasi inuoluta, vt leo suis iubis, præsertim ea quæ dicitur Offisfraga: sic erat & rex. Secundò, ob colorem: sicut enim pili aquilæ sunt nigri admodum, ita erant & regis; idque fiebat ex copia melancholie, quæ crassissimam fuliginem exhalat, ex qua pili hi generabantur, vt ex Valesio dixi v. 13. Tertiò, ob prolixitatem & formam. Sicut enim pilis in capite aquilæ, putæ cristæ, sunt prolixæ, erectæ, crispæ, horridæ & minaces; sic erant & capilli regis semper crescentes, & numquam detonsi.

Porro aptè pilos habuit aquilæ rapacis , & vngues auium rapacium : quia hæc fuit pena & sym-bolum eius rapacitatis, qua omnes gentes, earumque regna & opes diripiuit : vnde à Ieremias c. 4. 7. vocatur prædo gentium, & ab Ezechiele c. 17. 3. aquila grandis magnarum alarum, &c. Rapacitas autem hæc notatur in pilis. Nam aquilæ pilos & pennas esse

Cornel. in Danielum:

A rapaces & voraces , docet Ulysses Aldrouandus lib. i. Ornitholog. c. de aquila pag. 24. vbi de aquila sic scribit : *Pennas habet firmitate ac duritate insigni, que (vt experientia multorum & auctoritate didici) pennas aliarum avium, præsertim anserum & columbarum, permixte absunt, idq; forsan ob latenter quamdam, qua predite sint, vim. Avis enim ipsa dum vivit, reliquis omnibus volucribus infestata est, itaq; deriuari vim illam animalem in res quoque eius examines, per sympathie contagione, non improbandum est: vt rei eventus docuit etiam in interemptis, super quos patrator scleris vel casu, vel ad testam entam conscientiam adductus fuerit: presente enim homicida, corpus ab eo occisum cruentum emitit;* de quo dixi Deuter. 21. 1. & sequent.

VIVENTEM IN SEMPER NVM LAUDAVI] VERS. 31. Chald. viuentem seculorum, quem Syri vocant gigantem seculorum, vt dixi Isaiae 57. 15. Huc alludit S. Ioannes Apocal. c. 10. 6. & alibi, vbi Deum vocat viuentem in secula seculorum.

IN VIRTUTIBVS CÆLI] Chald. בְּחַלֵּב bechel, VERS. 32. id est in exercitu , vel robore, scilicet stellarum & angelorum cæli.

IN IPSO TEMPORĒ SENVS MEVS REVER- VERS. 35. SVS EST AD ME] Dorotheus in Synopsi, & Epi-phanius in Vita Danielis, tradunt septem annos sup-plicio regis à Deo præfinitos, per preces Danielis contractos fuisse ad septem menses : ergo septem mensibus cum vixisse vt bestiam, reliquis vero sex annis , & quinque mensibus , cum menti restitutum fuisse, non tamen regno; sed egisse poenitentiam , eaque meritum fuisse vt restitueretur in re-gnum. Verum ex hoc versu patet hanc esse fabella, hic enim dicitur quod eodem tempore rex si-mul restitutus sit menti, & regno; scilicet postquam septem annos egisset cum bestijs. Idem comminatus ei fuit Deus v. 22.

Moraliter Tertull. lib. de Pœnitentia in fine, ex hoc loco hortatur peccatores ad pœnitentiam, di-cens : *Mutare anime medicinas sibi diuinitus attributas agnoscunt. Cervus sagitta transfixus, vt ferrum & irre-ruocabiles moras eius de vulnere expellat, seit sibi dictam-no medendum. Hirundo si excrucierit pullos, nouit illos oculare rursus de sua chelidonia. Peccator restituendo sibi institutam à Domino exomologesit sciens, preteribit illam, quæ Babylonium regem in regna restituit?* Diu enim pœnitentiam Domino immolarat, septemni squalore exomologesit operatus, vnguum aquilinum in morem efferatione , & capilli incuria horrorem leoninum præse-rente. Præ male tractatione ! Quenam homines perhorre-bant, Deus recipiebat. Rutsum disce hic prospera ho-minibus, præsertim principibus, eripere mente, aduersa reddere. Hinc Zeno dicebat, se tum prospere nauigasse posteaquam naufragium fecerat. lapsus enim casusque docent cautelam & sapientiam. Ita vide-mus homines opibus & luxu diffuentes, ad frugem redire, si Deus illis opes eripiat, & ad manticam re-digat. Sapienter Artabanus, suadens modestiam Xerxi, Gattdet, inquit, Deus eminentissimi: quæque depri-mere; quia neminem alium quam seipsum finit de se ma-gnifice sentire. Sic Deus, ait Claudian. in Epigramm.

Ingentes quercus, annosas fulminat ornos.

Et Seneca in Agamemnon.

Turris pluuo vapulat Austro.

Quidquid in altum levat testudinem, vt eam ex al-

tiore loco saxo illidens, magis frangat & exenteret. In Nabuchodonosore vera extiterū tria illa aurea Rrrrr 3 Ptol.

Ptolemæi axiomata, quæ in eius Vita habetur initio Almagesti. Primo, *Inspiens est qui sui ipsius ignorat quantitatem*. Rex enim hic multò maiorem se æstimabat, quām reuera erat. Secundo, *Cum aliquis sibi placet, ad hoc deductus est, ut ira Dei sit super ipsum*. Tertio, *Qui in dignitate sua multum extollitur, in amissione eius multum deprimitur*. Pulchrè & verè Auctor serm. ad Fratres in cromo, letm. 12. apud S. August. tom. 10. *O sancta, ait, humilitas, quām dissimilis es superbie!* Ipsa superbia, fratres mei, Luciferum de celo deiecit; sed humilitas Dei Filium incarnavit. Ipsa superbia Adam de paradiſo expulit, sed humilitas latronem in paradiſum introduxit. Superbia gigantum linguas divisit, & confundit; sed humilitas cunctas congregavit dispersas. Superbia Nabuchodonosor in bestiam transmutauit; sed humilitas Ioseph principem Ægypti constituit. Superbia Pharaonem submersit; sed humilitas Moysen exaltauit. Et Sapiens Proverb. 11. 2. *Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia*. Et Christus: *Qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur*. Narratur de S. Francisco in Chron. Ord. Min. p. 1 lib. 7. c. 5. quod, cùm S. Ägidius narraret lapsum fratris Eliae, qui vir doctus, fuerat Minister Generalis Ordinis sui, & iam erat apostata, & excommunicatus, quia adhærabat Frederico II. Imp. hosti Ecclesiæ; proiecerit se in terram, illamque arcte stringens dixerit: *Volo descendere quantum possum, quia Elias cecidit, eo quod altius ex quo voluit ascendere*.

34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico regem cæli: quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

VERS. 34. NVNC IGITVR EGO NABUCHODONOSOR LAUDO, &c. REGEM CÆLI] Hinc probabile est Nabuchodonosorem hac septennali poena seriò ad Deum verum fuisse conuersum, totoque corde fuisse contritum, & humiliatum, ac proinde iustificatum esse, & cùm paulò post obierit, saluatum videri. ita Ioseph. Dorotheus in Synopsi, Epiphan. in Vita Danielis, Lyranus, Carthus. & fauet Theodor. & S. August. epist. 122. Audi Doroth. in Vita Danielis: *Cum, inquit, Nabuchodonosor, peccatorum suorum remissionem adeptus esset, dedit Prophetæ regnum suum, & nec panem, nec carnem comedit, nec vinum bibit, Domino confessus*. Nam hoc illi Daniel preceperat, ut leguminibus & herba vescens Dominum placaret. Additumque, *Volebat eum (Daniel) coheredem constituere suorum suorum*. Sed vir sanctus dicebat: *Propitius sis mihi Domine, ne deseram hereditatem patrum meorum, & adhuc eam hereditati incircumcisorum*. Eadem habet Epiphan. in Daniele, scilicet quod post pœnitentiam, veniam & restitutionem in regnum, carne & vino abstineret, ac leguminibus vixerit. Secus fuit de Pharaone, qui per flagella & miracula Dei magis obduruit, & in sua obdurate mortuus est, ac mersus in mari rubro, ideoque damnatus. Hæc sunt dispara iudicia Dei: nam, vt ait S. Paulus, Deus cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Rursum ecce Nabuchodonosor rex, qui tota vita impiissime vixerat, in fine vitæ conuertitur & saluatur: è contrario Salomon, qui à puero piè & religiosè vixerat, in senio à mulieribus depravatus idola co-

A luit, ideoque multi putant cum esse damnatum. Dices, *De rege Babylonis dicitur Isaiae 14. 11.* Obiecto. *Detracta est ad inferos superbia tua: ergo Nabuchodonosor est damnatus in inferno*. Respondeo Pr. Resp. Primò, Isaiam loqui de excidio Babylonis, ac proinde ma. loqui non tam de Nabuchodonosore, quām de Balsasare (sub eo enim & cùm eo excisa est Babylon) idque sub specie & typō Luciferi: Lucifer enim qui voluit in cælum descendere, propriè competit tibi detracta est ad inferos superbia tua. Respondet Secundò, Pererius, ista de Nabuchodonosore dici non absolutè & propheticè, sed cominatoře: aut si quis absolutè ea dici velit, quod verius videtur, symbolice accipienda esse, ac tantum significare summam regis abiectionem & miseriā; sicut per eiusdem ascensum in cælum noctis propriè ascensus iste, sed symbolice summa eius gloria & fastus significatur.

Dices Secundò, *Hic v. 5. Nabuchodonosor obiecto iam conuersus Belum adhuc vocat suum Deum, secunda: ergo non videtur planè abiisse Belum, nec plane fuisse conuersus*. Respondeo, *Rex ibi narrat Responsis: tantum quod Danieli puer olim dederit nomen Baltassar, secundum nomen Dei sui; putà quod à Baal, vel Bel, quem tunc colebat, vocat eum Baltassar: non autem dicit se etiamnum Belum coleare*. Similiter quod ibidem Daniel spiritum sanctorum deorum habere asserit, tantum commemorat sua verba, quibus ipse compellauit Daniel ante suam conuersionem, putà ante somnij interpretationem. Fateor tamen hæc argumenta dubiam facere conuersionem & salutem Nabuchodonosoris, præsertim cùm non legatur idola abiisse, Iudæos è captiuitate dimisiſe, tyrannicè occupata restituisse, aliaque veræ pœnitentiae signa edidisse, illud tantum legimus, quod Euilmerodach mox vt in regnum successit, exaltauit Ioachim regem Iuda in Babylone captiuum, idque fortè quia pater moriens hoc & alia ei commendauit. Denique vis simile somnium? Accipe.

Constans Imp. nepos Heraclij Imp. Monothe-Somnium lita, qui Martinum Romanū Pont. per Calliopam Constantius Romæ dolo cepit, & in exilio ærumnis confecit, Imp. omnium persequente eum Dei vindicta, anno Christi 654. bælo nauali cum Mahuua Saracenorum principe decertatus, nocte vidit visum, nam cùm esset in Lycia, visus est sibi esse Thessalonicae. Expergefactus narravit somnium coniectori cuidam. Qui ait: *O Imperator vtinam nec dormisses, nec somnium aspexisses*. Nam esse Thessalonicae, Jésus Christus vñlos, innuit, quod interpretatur, alteri cede victoriā, id est, ad inimicum tuum victoria vertitur. Ita factum: nam inito prælio Constans succubuit, & vix mutata ueste effugit, inquit Theophan. anno 13. Constantis Imper. b.

Idem Constans sceleribus scelera iungens, fratre suum Theodosium interfecit: imperfectus ipsi Constanti crebro per quietem visus est habitu Diaconi, poculum sanguine plenum porrigen, atque dicens: *Bibe frater*; ac si diceret: Inebriate fraternali sanguine quem fudisti. Quare quasi alter Cain cogitauit Constans in Siciliam fugere: fugit, atque Syracusis in balneo occisus est à quodā Andrea Troili filio, vti ex Anastasio, Paulo Diacono & Theophane narrat Baron. anno Christi 668.

C A P V T Q V I N T V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Balsasari temulento, & sacra vasa profananti appareat manus scribens in pariete. Secundò, v.13. vocatus Daniel scripturam legit: mane, tekel, phares; docetq; per ea exitium regi portendi. Tertiò, v.30. occiditur Balsasar, succedit ei Darius.

Nota. Hoc caput secundum ordinem temporum ponendum erat post cap. 7. & 8. sed Propheta, ut dixi canon. 3. sepè non seruant ordinem. Nec sit ergo Daniel hoc caput precedenti, ut historiam, & finem similem regum Babyloniorum, scilicet Nabuchodonosoris patris, & Balsasaris filii, perteat. Daniel enim hic primo historias omnes simul enarrat usque ad caput septimum: inde usque ad cap. 13. visiones suas & prophetias simul ordine prosequitur.

vers. 1.

Balsasar rex fecit grande conuiuum optimatibus suis mille: & unusquisque secundum suam bibebat ætatem.

2. Præcepit ergo iam temulentus ut afferrentur vasa aurea & argentea, quæ alportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, ut biberent in eis rex, & optimates eius, vxoresque eius, & concubinæ.

3. Tunc allata sunt vasa aurea & argentea, quæ asportauerat de templo, quod fuerat in Ierusalem: & biberunt in eis rex, & optimates eius, vxores & concubinæ illius.

4. Bibebant vinum, & laudabant deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneosque & lapideos.

vers. 1.

BALSASAR REX FECIT GRANDE CONVIVIUM] anno ultimo regni sui, quo & euersa Babylone, ut monarca cœpit regnare Cyrus: fuit ergo hic annus primus monarchiæ Cyri, quo etiam ipse Iudeos è Babylone liberos dimisit.

Quis fuit
Balsasar.
Resp.
Prima.
5. Hieron.

Quæres, Quis fuit hic Balsasar? S. Hieron. ex Berolo apud Iosephum, Eusebiō & Megasthene, putat in Babylone post Nabuchodonosorem regnasse filium Euilmerodach, post hunc filium Ningissar, post hunc filium Labosordachi: deinde huius filium Balsasar. Verum non potuerunt esse tot generationes tam paucis, putat 34. annis: tot enim tantum interfluxerunt à morte Nabuchodonosoris, usque ad mortem Balsasari. Falsum ergo est quod scribit Ioseph. 11. Antiq. 12. Nabuchodonosorem, cum post euersam Ierusalem regnasset annos 25. reliquæ regnasse annis octodecim: post hunc Ningissar filium annis 40. post hunc Labosordach filium nouem mensibus hujus successisse Balsarem, ctius anno 17. Cyrtis expugnat Babylonom, Iudeosque inde liberarit. Collige enim horum annos, inuenies centum, quibus necesse est dicere durasse captiuitatem Babyloniam; cum ex Ieremia cap. 27. & ex Daniele cap. 9. 2. constet eam tantum durasse 70. annis.

Secunda.
Prima:

Secundò, Pererius, Maldon. Hugo & alij, cœsent Balsarem fuisse filium Euilmerodach, qui fuit filius Nabuchodonosoris, cuius proinde ne pos fuerit Balsasar. Probant id Primò, quia Nabuchodonosori successit Euilmerodach, vt patet 4. Reg. 25. v. 27. Ergo Balsasar post Euilmerodach

A regnauit, ac consequenter fuit eius filius. Secundò, quia Ierem. 27. v. 7. dicitur, quod Nabuchodonosori seruent omnes gentes, & filio eius, & filio filij eius. Quis est filius eius, nisi Euilmerodach? quis filius filij, nisi Balsasar? vnde Franciscus Ribera & alij sic computant annos 70. captiuitatis Babylonicae: Nabuchodonosor, inquit, regnauit 45. annis: Euilmerodach 22. Balsasar tribus: qui simul iuncti faciunt 70. Verum dici posset ad Ierem. 27. 7. ibi patrem esse Nabuchodonosorem senorem, filium esse Nabuchodonosorem iuniorum, qui & Magnus est dictus, filium filij esse Balsarem: nam hæc verba dicta sunt Ieremiæ initio regni Ioakim; quando adhuc regnabat Nabuchodonosor senior, nam iunior regnare cœpit anno quarto Ioakim.

Tertiò, alij cœsent Balsarem hunc esse filium, non nepotem Nabuchodonosoris, esseque ^{Tertia &} verior, eumdem cum Euilmerodach. Hæc sententia valde conformis est verbis Danielis: Primò, quia Daniel in chronicis hisce reguna Babyloniorum, post gesta Nabuchodonosoris, transit statim ad Balsar; ergo hic ei proxime succedit. Secundò, quia ^{Balsasari} ^{fuisse Euil-} ^{merodach.} ^{Probatur.} Secundò, semper hic vocat eum filium Nabuchodonosoris, vt patet v. 11. 13. & 18. Idem facit Baruch c. 1. 11. Tertiò, quia à Ieremia cap. 50. 2. Balsasar ^{Tertiò.} vocatur Merodach. qui idem esse videtur cum Euilmerodach: idem à Berofo & Iosepho vocatur Labonitus, & Nabonitus: nam literæ L & N communantur, sicut L & R, vtpote affines, & liquidæ. Hinc pro Belial alij dicunt Beliar, pro Nebuchadneser (id est Nabuchodonosor) in Hebræo legitur Nebuchadneser. Iuxta hanc sententiam Balsarem, siue Euilmerodach, dandi sunt anni regni 34. (anni enim quos alij seorsim dant Euilmerodach, adiungendi sunt annis Balsasari, cum fuerit unus idemque rex) hos enim si addas ad annos 36. Nabuchodonosoris, explebis annos 70. captiuitatis, qui incipiunt ab anno 11. Ioakim, qui fuit 8. Nabuchodonosoris, & terminantur in ultimo anno Balsasari, qui fuit primus Cyri. Nabuchodonosor enim vniuersim regnauit annos 44.

CONVIVIUM] Chald. lechem, id est panem, hoc est epulum. Sic enim panis in Script. per synecdochen significat quælibet cibos & epulas: Græcè δεῖπνον, id est cenam. Veteres enim non prandebant, sed cœnabant, vt patet ex Athenæo in Dipnosophistis, siue de cœenis sapientum. Hinc conuiuum quodlibet vocatum est cœna. Nota hæc Balsasari miram recordiam, vel præfidentiam, quod hōste vicino, & vrbē ab eo circumfessa crapulæ indulget, cum omnibus suis, vnde Rrrrr 4 iuste

iustè in poenam ebrietatis & sacrilegij, quo sacra vasa mensæ suæ adhibendo profanauit, eadem nocte & regno & vita spoliatus est. Multi censem Balsasarem præfisum suis viribus & copijs, ac virbis munitioni, obsecsum à Cyro & Peris induluisse genio & agitasse conuiua, vt ostenderet se Persas non timere, nec curare: quomodo Epaminondas obsecus ab hostibus sibi insultantibus, iussit milites conuiujs & ludis vacare, vt ostenderet se hostium sanitas contemnere. testis est Diodorus lib. 12. Idem fecisse Viriatum Lusitanum à Romanis obsecsum, narrat Florus.

VNVSQVISQVE SECUNDVM SVAM BIBEBAT
ÆTATEM] Quia quisque secundum ætatem accumbebat, & cyathum prius vel posterius accipiebat, putat digniores & seniores prius, iuniores posterius. Erant enim ordine per mensas & classes ita distributi, vt rex singulis classibus ordine praebibere & propinare posset. Videntur enim hi satrapæ officio & dignitate fuisse pares, ita vt inter eos dignior tantum esset is, qui erat senior. Simili enim modo Darius regnum diuisit in 120. satrapias, & satrapas æquales, vt videtur. Nam eis omnibus tres Tristatas præfecit, cap. 6. 1. & 2. Septuag. Pagninus, Vatabl. & alij vertunt, *coram mille* (magnatibus & ducibus) bibebat *vinum*: erat enim rex solus in una mensa, è regione illorum mille qui in altera mensa accumbeant. Nam Chald. αλφα, & mille significat, & cum qui melior est, dignior, præcipuu; & sic accepit Noster. vnde sic ad verbum *vertas*, bibebat quisque secundum quod erat alpha, id est senior & dignior. Porro Scholast. explicat q.d. *Cuiusque ipsorum mille erat crater vini, & pincerna proprius. Hoc enim apud Persas solemne est.*

VERS. 2. PRÆCEPIT ERGO IAM TEMVLENTVS J. Tra-
dunt Hebrei, ait S. Hieron. huiusmodi fabulam: usque ad septuagesimum annum, quo Ieremias captiuitatem Iudeorum dixerat esse soluendam, imperio suo timuit Bala-
sas; sed eo expleto irritam putans Dei pollicitationem, versus in gaudium, fecit grande conuiuum, insultans quo-
dammodo spei Iudeorum, & vasim templi Dei; sed statim vltio consecuta est, dum in hoc conuiuio peremptus est Bala-
sar, & Babylon capta.

Morale, de
damnis e-
brietatis.
Primò.

Vide hic quonam Balsasarem deduxerit temu-
lentia. Audi S. Basilius homil. de ebrietate: Aqua ignem extinguit, vinum extinguit rationem: aqua maris naues, vinum vitis homines submergit. Ebri-
orum animæ vino submersæ sunt. Vigilantia & so-
brietas facit homines, ebrietas ex hominibus facit belliæ. Hinc ait Isaías cap. 28. 7. Absorpti sunt à vi-
no. Absorbent ebrij vinum, sed absorbentur à vi-
no. Et Sapiens Proverb. 23. 34. Eris quasi sapitus gu-
bernator amissu clavo. Ebrius enim rationis clavum amittit.

Secundò, ebrietas vti rationis usum extinguit; ita prauas animi cupiditates excitat. Isaiae 5. 11. Ve-
qui consurgitis manæ ad ebrietatem sectandam, & po-
tandum usque ad vesperam ut vino effuetis. Septuag.
vertunt, *vinum enim succendet vel comburet eos. Vide ibi dicta. Vnde S. Basilius ebrium vocat dæmonem voluntarium, Dæmone ergo peior est ebrius, quia voluntarius est dæmon, cum dæmon inuolunta-
riè sit dæmon. A dæmone torquentur dæmoniaci, sed inuiti & coacti: at ebrius ebrietate torquetur, quia placet.*

Tertiò, ebrietas os, oculos, nares, omniaque sensuum organa facit amarissimas & foedissimas voluptatis cloacas, ita vt ebrij non homines sed

A fues sint, imò suibus teriores. S. August. serm. 23. de Tempore, ebriosos ait similes esse paludibus sordidis, in quarum aqua sordida serpentes, ranæ, vermesque nascentur.

Quartò, S. Paulus ad Ephes. 5. 18. *Nolite, ait, inebriari vino, in quo est luxuria.* S. Hieron. libr. 2. contra Iouianum cap. 6. Esus, ait, carnium, & potus vini, ventrisq; saturitas, seminarium libidinis est: nam sine Cerere & Baccho friget Venus. Audi exemplum horribile, quod refert auctor serm. ad Fratres in eremo, apud S. August. serm. 33. Ecce, inquit, *hodie ebrietatem perpeccus matrem pregnantem nequiter oppresit, sororem violare voluit, patrem occidit, duas sorores vulneravit ad mortem.*

Quintò, quo magis repletur venter, eo magis *Quintid.* sensus mentis obtunditur, homoq; hebecit. Nam ex crasso ventre subtilis sensus gigni non potest. Rursum, vt ait S. Chrysost. homil. 1. ad popul. Non ita terra natura vexata aquarum superabundantia continue dissoluitur, vt corporis vis mollescit, difficit, & exilis redditur vini potu continuo ingurgitata.

Sextò, S. August. suprà, Considerat, inquit, ebrijs, *sensu-*
si non peiores animalibus iudicandi sint. Cum enim anima-
lia amplius quam eis opus est, bibere nolint: illi & duplum
& triplum quam expedit eis potum accipiunt.

Septimò, ebrij ex crapula continuò dormitant, capite grauantur, oscitant, oculis caliginem, stomacho nauicam præ se ferunt. Et, vt ait S. Basilius, Eos videre licet oculis lumentibus, cute sub pallida, spiritu graui, lingua balbutiente, voce demissa & confusa, pedibus puerorum more infirmis & titubantibus. Quare Ancharsis censuit optimum remedium ebrietatis esse, ebriorum indecoros & fœdos mores intueri; qui tales sunt, vt S. Chrysost. hom. 1. ad popul. ebrietatem vocet humani generis opprobrium. Hinc Laz-
cedæmones pueris ostendebant seruos temulentos, vt viderent quam deformè sit spectaculum homo ebrius, quamque is insanienti sit similis.

Octauò, Athen. libr. 11. magnum poculum ap-
pellat argenteum puteum, in quem scilicet cadit ebrius, animam & rationem suffoceans, sequie & sua omnia demergens. Et S. August. suprà ebrietatem vocat puteum inferni. Vide plura de ebrietate no-
tata Genes. 19. in fine.

5. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aula regiæ: & rex aspiciebat articulos manus scribentis.

6. Tunc facies regis commutata est, & cogitationes eius conturbabant eum: & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.

7. Exclamauit itaque rex fortiter, vt introducerent magos, Chaldaeos, & aruspices. Et proloquens rex ait sapientibus Babylonis: *Quicumque legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manife-
stam mihi fecerit, purpura vestietur, & torque auream habebit in collo; & ter-
tius in regno meo erit.*

8. Tunc ingressi omnes sapientes regis, non potuerunt nec scripturam legere, nec interpretationem indicare regi.

9. Vnde

9. Vnde rex Balsasar satis conturbatus est, & vultus illius immutatus est: sed & optimates eius turbabantur.

10. Regina autē pro re, quæ acciderat regi, & optimatibus eius, domū conuiuij ingressa est: & proloquens ait: Rex in æternū viue: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.

11. Est vir in regno tuo, qui spiritum deorum sanctorum habet in se: & in diebus patris tui scientia & sapientia inuentæ sunt in eo: nam & rex Nabuchodonosor pater tuus principem magorum, incantatorum, Chaldaeorum & aruspicum constituit eum, pater, inquam, tuus, ô rex:

12. quia spiritus amplior, & prudentia, intelligentiaque & interpretatio somniorum, & ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inuentæ sunt in eo, hoc est in Daniele: cui rex posuit nomen Baltassar. nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.

13. Igitur introductus est Daniel coram rege. Ad quem præfatus rex ait: Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iudeæ, quem adduxit pater meus rex de Iudeæ?

14. Audiui de te quoniam spiritum deorum habeas: & scientia, intelligentiaque ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te.

15. Et nunc introgredi sunt in conspectu meo sapientes magi, ut scripturam hanc legerent, & interpretationem eius indicarent mihi: & nequiuerunt sensum huius sermonis edicere.

16. Porro ego audiui de te, quod possis obscura interpretari, & ligata dissoluere: si ergo vales scripturam legere, & interpretationem eius indicare mihi, purpura vestieris, & torquem auream circa collum tuum habebis, & tertius in regno meo princeps eris.

17. Ad quæ respondens Daniel, ait coram rege: Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi rex, & interpretationem eius ostendam tibi.

VERS. 5. IN EADEM HORA APPARVERVNT DIGITI QVASI MANVS HOMINIS] Lyranus ex voce quasi autumat manum hanc verè non extitisse, sed tantum in phantasia regis, vnde ab alijs non esse vi-sam. Verum vtrumque falsum est. Nam Script. ait hanc manum scripsisse in pariete mane, tekel, phares; ibique hæc scripta legisse Danielem; cùm cæteri literas viderent, sed eas legere & interpretari nequirent. Dicit ergo quasi manus hominis, quia verè non erat manus hominis, sed ei similis formata ex aëre condensato, & assumpta ab angelo, qui per eam scribebat in pariete.

SCRIBENTIS CONTRA CANDELABRVM] vt

A scilicet ex lumine vicini candelabri legi posses hæc scriptura: in cœna enim nocturna, candelabro & lumine erat opus. ita S. Hieronymus. Porro manus scribentis apparuit, non ipse scribens, vt rex videret sibi parari insidias, & necem strui; at auctorem omnino ignoraret: & sic articulos tantum videret, manum non agnosceret, ait Pineda in Job 17. v. 10.

AVLA REGIA] Jvt sciret rex, & coniuantes hæc scripturam ad se pertinere, inquit S. Hieron. Hic verum fuit illud vulgare proverbiū: *Vbi uber ibi tuber, vbi mel ibi sel,* quod Plautus in Amphitryone hisce verbis declarat: *Ita dijs placitum est, vt ab eodem culmine voluptas & ei comes maror sequatur.*

NON POTVERVNT NEC SCRIPTVRAM LE- VERS. 8. GERE] Quæres, cur? Respondent aliqui Hebræi, *Cur Chal-*
B *quia hæc scriptura erat Hebraica, non Chaldaica,* *dei non potuerint scripturam legere.* *Repond.*
vnde à Chaldaeis legi non poterat: sed vt demus fuisse Hebraicam, quis credat neminem Chaldaeorum sciuisse hebraicè? præsertim cùm Hebraica & Chaldaica tantum dialecto differant, sicuti *Ant. Primò.* *Datica & Dorica. Secundò,* respondet Rabbi Sa- *Secundò.* dias, non potuisse eos legere, quia literæ erant mutatae, aut transpositæ; sed hoc vti singitur, ita reiicitur. *Tertiò,* alij respondent, peregrinas hasce *Tertiò.* fuisse literas, extraordinarias & insolentes. ita Pineda lib. 5. de Rebus Salom. cap. 13. *Quartò,* alij, à *Quartò.* Deo fuisse impeditos Chaldaeos, vt Danieli hæc gloria seruaretur. *Quintò,* verisimilius Maldon. & *Quinto.* Anton. Fernand. vision. 23. scđt. i. censem tatum literas initialessingulorum verborum fuisse scriptas, scilicet M. T. P. Sic enim typographi Hebræi initio operis versiculum aliquem psalmi, per literas tantum initiales ascribunt, & sic conflatum est *Macha-bi,* id est Machabæus, ex initialibus literis Exodi 15. 11. *Mi canocha baelim iehoua,* id est, quis similis tui in fortibus Domine? Hoc enim emblema, quasi insigne belli & victoriæ, castris suis prætulerunt Machabæi.

C Ita & Valens Imper. sciscitatus à necromantico, quis post se regnaturus esset? Respondit magus, fore illum cuius nominis primitæ literæ sunt THEOD (indicabat dæmon Theodosium Imper.) Quare Valens omnes qui Theodori, vel Theodosij, vel Theoduli vocabantur, occidi iussit, ait Socrates l. 4. c. 15.

Ita & Mauricio Imperat. (è quod S. Gregorio restitisset, eique & Romæ ab Aistulpho oblesæ non succurrisset) diuinitus reuelatum est, eum occidendum fore, & priuandum imperio ab eo cuius nomen à PH. inchoabatur. Quia de causa Philip-picus sororis Mauricij maritus in suspicionem affetti imperij adductus est. Sed mox in somnis per visionem intellexit Mauricius, sc̄ cum vxore & filiis à Phoca occidendum esse. Phocas ergo ex milite creatus Imperator trucidavit Mauricium, sed patientem & gratias agentem Deo, quod se in hac vita potius quam in altera castigaret. Vnde ad singulorum filiorum in conspectu suo trucidationem, exclamabat: *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* ita Cedrenus, Nicephorus, & ex ijs Baronius anno Christi 602.

Sic vrbi cùm Gentilis esset, quasi propheticè inditum est nomen Roma, in signum quod auaritia à Christo esset destruenda. ROMA enim si per singulas literas explicetur, idem est quod, Radix omnium malorum auaritia, inquit Alexander An-gelus Doctor Theolog. in Summa p. 6. c. 33. Christus enim urbem & orbem Gentilem, & bonis terræ

terræ inhiantem euertens & conuertens , docuit A & inspirauit contemptum terrenorum , & amorem cœlestium, fecitque nos ciues cœli , hospites & aduenas terræ.

Sexto &
genuinè.

Sexto & genuinè, Chaldæi & Hebræi scribant solas literas consonantes sine punctis , sine vocalibus. Vnde Chaldæi nesciebant quæ puncta hic essent substituenda, scilicet an legendum esset mane , an mina , an meno ; an tekel, an tokel, an takel. Rursum licet possent singulis punctis aliqua substituere, itaque ea legere ; tamen non poterant ea inter se connectere , vt sensum aliquem commodum & certum elicerent , præsertim quia singula verba per integrum sententiam explicanda erant, vti explicat Daniel v.26.

VERS. 10. REGINA, &c. INGRESSA] putà mater Balsasari, sive Laboniti , quæ sapientissima fuit femina, inquit Herodotus. ita Origen. Theodor. & alij. Secundò, Iosephus ait, regiam hanc fuisse auiam regis. Tertiò, alij censem , reginam hanc fuisse vxorem regis. loquitur enim quasi regina , id est quasi vxor.

Dices. Vxor assidebat regi in conuiuio v.2. quomodo ergo hic ingressa dicitur domum conuiuij ? Respond. separata fuisse in hoc conuiuio de more triclinia feminarum & virorum. Vxor ergo hæc non assidebat regi , sed ex triclinio feminarum surrexit , & ingressa est triclinium regis & viorum, in quo apparuerat manus scribens in pariete.

Prima sententia videtur verior. Loquitur enim de gestis Danielis sub Nabuchodonosore , quasi senior & sapientior Balsasare , & quasi eorum testis & conscientia. Nam vt ait S.Hieron. Nouit preterita que rex ignorat. Erubescat ergo Porphyrius , qui eam Balsasaris somniat vxorem ; & illudit eam plus scire quam maritum. Porro matres regum, quæ ante eos fuerunt reginæ, etiam filijs regnantibus vocari solent reginæ.

VERS. 11. EST VIR IN REGNO TVO] scilicet Daniel. Dices, Daniel hic quasi incognitus inducitur. Hoc autem non videtur verum , nam erat notissimus ipse ex oraculis & somniis declaratis c.2.3.4. imò à Nabuchodonosore præfensus fuerat toti Babyloniam. Resp. Iam ab eo tempore elapsi erant 34. anni, quibus oraculorum illorum irrepit obliuio : præsertim, quia mortuo Nabuchodonosore , Balsasar succedens alios sibi familiares prouexit , præfecitque Babyloniam. Vnde Daniel tunc videtur hac præfectura fuisse defunctus. Id colligimus ex v.16. vbi rex promittit Danieli, quòd faciet eum tertium in regno principem , si scripturam legere possit: ergo tum non erat princeps. Fuit tamen Daniel ob sapientiam , & ob statum quem sub Nabuchodonosore habuerat , apud Balsasarem in honore, fuitque eius conuiva , & honoratus super omnes amicos eius , vt dicetur c.14.v.1. huic tamen ultimo & fatali regis conuiuio non interfuit : quia se subduxit præuidens hanc manum , & infelicem eius exitum. Itaque disposuit res suas , deditque se orationi, vt cladem quam auertere non poterat, saltem mitigaret : atque ad excidium Babylonis , nouorumque regum , scilicet Darij & Cyri , aduentum se comparauit. Notus itaque erat Daniel Balsasari, non vt Propheta , sed vt vir prudentissimus, qui sub Nabuchodonosore patre suo rexisset totum imperium. Hic ergo regina eum vt Prophetam regi innoscere facit.

VERS. 12. LIGATORVM] secretorum, & explicatu diffi-

ciliū : quæ enim ligata sunt, cognosci & peruidiri nequeunt , nisi dissoluantur & explicitur. Hinc S.Chrysost. in psal.95. Danielem vocat spiritualem scripturarum librum , eò quòd ad literas & res occultas explicandas non indigeret studio & lectione librorum ; sed ipse in se ea contineret , & legeret quasi in libro.

MVNERA TVA SINT TIBI] Ita Sancti munera, & omnia terrena contempserunt , vt ostendere non nisi Deum & diuina spectare. Ita Elius noluit accipere munera Naaman , quem à lepra curarat , 4. Reg. 5.16.

*Sandimura
con-
tempserunt.
Exempla.*

Ita captiuā mulier Christiana inter Iberes, cùm Christi virtute Iberum reginam à morbo curasset, à rege donis remunerati iussa , se diuitijs minimè indigere respondit , pietatem se habere pro diuitijs afferens , regemque munus amplissimum recepturum , si Deum quem illa colebat , vellet agnoscere. Hæc locuta, dona remittit. ita Socrat. l.1. histor. cap.16.

Ita fecit S.Hilarion: Orionus enim vir primarius , & ditissimus urbis Ailæ , possessus à legione dæmonum , post aliquot menses à S. Hilarione, non sine miraculo curatus est : non post multum temporis cum vxore & liberis venit ad monasterium , plurimam quasi gratiam redditurus , dona afferens. Cui Sanctus , Non legisti , inquit , quid Giezi , quid Simon paſſi sint ? quorum alter accepit pretium , alter obtulit , vt ille venderet gratiam Spiritus sancti , hic mercaretur ? Cumque Orionus flens diceret , Accipe & da pauperibus ; respondit : Tu melius potes tuus distribuere , qui per urbes ambulas , & nosti pauperes : ego qui mea reliqui , cur aliena appetam ? multis nomen pauperum occasio avaritie est : misericordia vero artem non habet. Nemo melius erogat , quum qui sibi nihil reseruat. Tristi autem & in terra iacenti, Noli , inquit , contristari fili : quod facio pro me , & pro te facio. Si enim hæc accepero , & ego offendam Deum , & ad telegio reuertetur. Alius dæmoniacus ab Hilarione curatus , simplicitate rustica decem auri libras offerens , ab eo panem hordeaceum accepit , dicente. Qui tali cibo aluntur , aurum pro luto ducunt. ita D. Hieronymus in Vita S.Hilarionis.

Quum in Sicilia de primoribus quidam , tumultu mens morbo intercutis , eodem die quo ad Hilarionem venerat, sanatus esset, postea ei offerens infinita munera, audiuit ab Hilarione dictum Salvatoris ad discipulos : Gratis accepistiis , gratis date. D. Hieronymus ibidem.

Quum Eusebius eunuchus auri summam vim Liberio Pontifici Romano , à Constantio Cæsare exulare iussò , eiusdem Cæsar mandato , causa commeatus attulisset, recusavit Liberius , addens : Tu ecclesiæ orbis terra expilasti , & iam mihi ut damnato & egenti affers eleemosynam ? Abi primum , & Christianus ipse fas. ita Theodoretus Eccles.histor.lib.2. cap.16.

Cum Christi virtute domum quamdam à peste liberasset S.Martinus , centum argenti libras pro honorario munere obtulerunt : quas cùm recipere detrectaret, discipuli eius id ægrè ferentes , sive dicebant in opia ea pecunia succurri potuisse , nec temere tantum munus egenis fuisse abiiciendum. At quæ respondit ille : Ecclesia Christi nos vestit , & pascit. Gratis accepistiis , gratis date. ita Seuer. Sulpitius dialog.3.

Rursum Daniel hic exemplum dedit consiliariis principum , vt munera contemnant. Felices prin-

principes qui tales vel habent, vel asciscunt consiliarios. Plato nullum præstantius prædiorum genus principibus esse dicebat, quām familiaritates eorum qui cauponari nescirent.

18. O rex, Deus altissimus regnum & magnificentiam, gloriam & honorē dedit Nabuchodonosor patri tuo.

19. Et propter magnificentiam, quam dederat ei, vniuersi populi, tribus, & linguae tremebant & metuebant eum: quos volebat, interficiebat: & quos volebat, percutiebat: & quos volebat, exaltabat: & quos volebat, humiliabat.

20. Quando autem eleuatum est cor eius, & spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de solio regni sui, & gloria eius ablata est:

21. & à filijs hominum ejectus est, sed & cor eius cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio eius: fœnum quoque ut bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum est, donec cognosceret quod potestatem haberet Altissimus in regno hominum: & quemcumque voluerit suscitabit super illud.

22. Tu quoque filius eius Balsasar, non humiliasti cor tuum, cum scires hæc omnia:

23. sed aduersum Dominatorem cœli eleuatus es: & vasa domus eius allata sunt coram te: & tu, & optimates tui, & uxores tuæ, & concubinæ tuæ vinum bibistis in eis: deos quoque argenteos, & aureos, & æreos, ferreos, ligneosque & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque sentiunt, laudasti: porro Deum, qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti;

24. Idcirco ab eo missus est articulus manus, quæ scripsit hoc, quod exaratum est.

VERS. 21. COR EIVS CVM BESTIIS POSITVM EST] habuit cor, id est phantasiam, & appetitū non tam humanum, quām bestiale, ideoque fugiebat homines, & appetebat versari cum bestiis, vnde de facto ad eas exiuit, cum ipsique versatus est.

VERS. 23. QVI HABET FLATVM (halitum, spiritum vitalem, ipsamque vitam) TVVM IN MANV SVA] Quis ergo non timeat Deum, in cuius manu est halitus, vita, anima, æternitas, salutatio & damnatio nostra?

VERS. 24. IDCIRCO AB EO MISSVS EST ARTICVLVS MANVS] Hoc est, manus cum digitis & articulis se mouentibus & scribentibus, vt dicitur v. 5.

Nota: Chald. est נְנָפַת נְנָפַת pasa di ieda, id est particula, vel, vt Pagnin. vertit, palma manus, scilicet truncata à brachio. ita Vatabl. Alij per articulum manus accipiunt digitum, quasi in pariete non tota manus, sed solus digitus apparerit scribens. Vnde Syrus vertit, in eadem hora egressi sunt digitii manus hominis, & scribunt contra lucernam; & Arabi-

cus Alexandr. in illa hora egressi sunt digitii manuum è pariete, contra lucernam super calice, rege vidente ad palmam hominis scribentem. Vbi tamen ultimis verbis indicat fuisse integrum palmam & manum; idque vti concinnius, ita & verius videtur: idque disertè asserit Arabicus Antioch. in illa hora inquit, exiit palma manus, & digitii hominis è pariete, scribens ex adverso lucerne. Idipsum clarè dicitur v. 5. Et rex aspiciebat articulos manus scribentis. Nota, quod Syrus & Arabicus dicunt, hos digitos & manum egressos è pariete aulae & cœnaculi, in quo rex in sacris vasis potabat: inde enim egreditur poena, vbi committitur culpa. Vnde & Arabicus Alexandr. addit, super calice, &c. scribentem.

Nota. Hæc manus significat iustitiam Dei, quæ Manus vigil cuicunque peccatori intendit & incumbit, atque symbolum Balsarem vita, viribus & regno truncavit: hæc iustitia & vindicta enim omnium operum hominis est conscientia, iudex vindictæ & vindicis, nihilque iniustum relinquit, & tarditatem supplicij grauitate compensat. Symbolicè, manus est synderesis, per quam Deus in cuiusque conscientia propria peccata & pœnas ita describit, ut velit nolit ea videat. Quām verum fuit in Balsare & Nabuchodonosore illud: Fortuna virtus est, dum splendet frangitur!

25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est, MANE, THECEL, PHARES.

26. Et hæc est interpretatio sermonis. MANE: numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.

27. THECEL: appensus es in statera, & inuentus es minus habens.

28. PHARES: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.

29. Tunc iubente rege induitus est Daniel purpura, & circumdata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo quod haberet potestatem tertius in regno suo.

[QVAE DIGESTA EST] Chald. quæ exarata est, ac VERS. 25. consequenter ordinata, vt vertunt Septuag.

MANE, THECEL, PHARES] Syrus vertit, Mno, tekal, & pharsin. Hec est interpretatio verbi (sermonis) Mno: numerauit Deus ipsum regnum tuum, & tradidit illud. Tekal, appendit: appensus es in statera, & inuentus es deficiens. Phras, diuisit: diuisum est (scissum est) regnum tuum, & datum est Medie & Persidi. Posset quoque verti phras, id est expandit, & prædæ hostiū expositū. Vaticanus codex legit, Mno mne, id est numerauit riumeratum, quod Hebrei dicunt, numerando numerauit regnum tuum, ita vt ipsum omnino sit numeratum; nihilque ex eo numerandum supererit. Sic etiam hæc vox Mno, in Arabico textu semper duplicatur & repetitur. Vnde Arabicus Antioch. sic habet, Compatu numeratum est, & pondere appensum est, & diuisum est. Et hæc modo est interpretatio: Numerando computatus est numerus; quia Deus comprehendit regnum tuum, & tradidit illud. Et pondere appensus es in statera, & inuentus es deficiens. Diuisum est: Diuisum est regnum tuum, & datum est Medie & Persidi. Arabicus Alexandr. sic habet, Numerauit, numerauit Deus regnum tuum, Appensum, Numeratum. Et hæc est modus interpretatio. Numeratū equidem iam Deus tulit regnum tuum,

tuum, & tradidit illud alijs præter te. Appensum verò: **A** quia appensus es in statera & inuentus es minus habere de bono. Diuisum est regnum tuum, & datum est Media & Persidi. Porro ipsa originalis scriptura Chaldaica, sive ipissima scripture verba sic habent: **לְמִנְהָה מִנְהָה מֵלֶךְ** mene mene, tekel, vpharsin; numerauit, numerauit (id est, exactissime & certissime numerauit) appendit, & diuidentes, scilicet sunt, id est, diuidunt regnum tuum Persæ & Medi. Pro vpharsin v. 28. habetur **פֶּרֶס** peres, id est diuisit, hoc est, iam iam certò diuidet Deus regnum tuum, hoc quæ aptius respondet duobus alijs præteritis. Notat Fernand. vil. 23. **τὸ numerauit**, innuere breues fore dies regis: ea enim quorum est copia, non solemus numerare, sed ea quorum est paucitas & inopia. Hinc illud, **Pauperis est numerare pecus**.

Secundò, verti potest per imperatiuum, **numerare**; **appende**, & **diuidentes** scilicet sint. hæc enim manus dictat sententiam Dci. Vnde imperat dicens: **Numerare, appende, diuide**. Verum quia sententia Dei est efficax, & mox sua iussa exequitur, hinc numera idem est quod numerauit; appende, id est appendit; diuide, id est diuisit.

Nota. vpharsin verti potest Primò, & diuidentes; Secundò, & Persæ: pharsin enim sunt Persæ, q.d. Persæ instant tibi ò Balsasar, qui cum Medis diuidit regnum tuum. ita Arias Mont. Sic filius Iudæ, frater gemellus Zaræ, ab obstetrico vocatus est Phares. **Dixit enim eo nascente ante Zaram: Quare diuisa est propter te maceria?** Gencl. 38.29.

VERS. 26. **N**UMERAVIT DEVS REGNUM TVVM, annos scilicet regni tui & imperij Chaldaeorum, eosque numerando **C**OMPLEVIT]. id est Primò, comprehendit esse completos: hic enim est septuagesimus & vltimus annus imperio Chaldaeorum præstitutus à Deo, per Ieremiam c. 29.10. Secundò, **complevit**, id est suo decreto statuit, viam compleantur & finiantur.

Audi similia portenta. Iudex quidam Antiochenus pridie quam periret Julianus, Apostata, iuxta prætorium excubans, vidit congeriem stellarum quæ literas in hanc sententiam exprimebant, **Hodie Julianus in Perside occiditur.** ita Zonaras.

Supra limen Adrianopolitani palati inter alia signa hieroglyphica, inuentus est versiculos qui significaret quædam ex Palæologorum familia brevi moritum. Michael Andronici Imp. filius, paulò post ibidem mortuus est. ita Gregoras l.7.

Rursum, quod hoc propriè pertinet, Dario Hyrcaspis Babylonem obsidenti, cùm eam expugnare non posset, Zopyri mula peperit. Vnde Zopyrus omen capienda vrbis accepit: audierat enim à quodam Babylonio, vrbem expugnandum, cùm mula pareret. Mutilauit ergo se fedè, itaque transfigit ad Babylonios, mentiens se à Dario ita mutilatum: quare dux exercitus & murorum custos ab eis creatus, vrbem Dario tradidit. ita Herodot. l.3.

Xerxe cum tot copijs Græciam inuadente, equa leporem enixa est, quod facile erat ad coniectandum: fore enim ut Xerxes exercitum aduersus Græciam cum maximo strepitū, & ambitiōsime duceret, rursumque pro se ipso solitus ad eundem locum fuga recurreret. Alterum ei quoque prodigium Sardibus exhibitum est: mula enim mulum edidit, inquit Herodot. l.7.

Ita Nero in Oedipode fabula, quam nouissimam recitauit, in hoc versu decidit:

Θερέτρῳ μὲν ἀγωγεῖ σύγκαμος, μητής, πατής.

Insit mori me mater, vxor, & pater.

Nam & Oedipus patrem occiderat insciens, matrem vxorem duxerat: ita Nero sciens Claudium patrem occiderat, matrem constupratam interficerat, & Octauiam vxorem indignis modis trastauerat. ita Sueton. in Nerone.

Simile est, sed felicius quod narrat Plutarch. in Reg. apopheth. de Dionysio tyranno, quòd, cùm magistratus per literas forte crearentur, & ipsi contigisset litera **μ**. dicenti cuidam per iocum **μωρολογίστης**, id est **stulta efferves Dionysi**; Imò, inquit, **μοναρχήσω**, monarcha ero, & adeptus magistratus protinus electus est Imperator à Syracusanis. Magni animi erat, quòd illo ioco non offenderetur, contentus omen literæ secus interpretari, hocquæ viam ei ad imperium stravit.

Simili modo, sed significatione & sorte melio- **Viso S.**
Bre, S. Henrico Bauariæ Duci, marito S. Cunegundi, apparuit S. Wolfgangus, ac in pariete ei scriptum ostendit, **Post sex**. Henricus putans post sex dies, deinde post sex hebdomades, deinde post sex menses, demum post sex annos se moritum, parabat se ad mortem. Verum eventus declaravit felicius aliquid ei portendi, scilicet imperium: nam post sex annos creatus est Imperator. ita habet Vita S. Henrici cap. 2. quam edidit noster Gretser. in Sanctis Bambergensisibus.

T E K E L] Hebraei dicunt **sakal**, id est appendit, **V E R S. 2** ponderauit: vnde dictus est siclus. Veteres enim monetam appendebant ad pondus, vt siclus habebat pondus quatuor drachmarum. Chaldaeū enim in multis nominibus Hebraicis pro **schin** substituunt **tau**, scilicet pro s, ponunt t: vt pro **sekel** dicunt **tekel**, pro **schelas telas**.

A P P E N S U S E S I N S T A T E R A, E T I N V E N T U S E S M I N V S H A B E N S] Minus scilicet dierum, quam ætas naturaque tua postulabat: ante diem enim naturalis mortis, in robore ætatis violenta morte abripiens, inquit S. Hieron. & Maldonat. Verum hæc ætas iuuenilis non solet à Deo appendi in statera.

Dico ergo, alludit ad monetam leuioris pondoris, quæ rei ciui solet, q.d. Appensa sunt in statera, & vt chakd. est, in bilance diuinæ iustitiae & examini, opera tua, bona & mala, ò Balsasar, atque inuentus es habere minus probitatis & bonorum operum; plurimum verò habere superbias, crapulæ & iniquitatis; ergo non mereris amplius regnare, aut viuere. Vnde Arabicus Alexandr. vertit, **inuentus es minus habere de bono**.

Notat Theodor. nihil esse apud Deum, quod non ponderetur, adeoque Dei misericordiam & lenitatem, certo pondere & mensura hominibus adhiberi. vnde dicitur Sapient. 11.21. **Omnis in mensura, & numero, & pondere dispositus**. Propriè verò Deus in statera iudicij sui, bene & male facta appendit. Vnde Iob c. 6.1. **Vt in am, ait, appendentur peccata mea quibus iram merui, & calamitas quam patior, in statera.** Vide & Matth. 23.32. Sic Virgil. l.12. **Æneid.** Iouem de Æneæ & Turni fatis ac fortibus ita iuste iudicantem inducit:

Iuppiter ipse duas sequato examine lances
Suffinet, & fata imponit diversa duorum;
Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.

Iam in statera hac Dei sola virtus habet pondus. **In statera**
Neque enim Deus ponderat, vel estimat aurum, **Dei sola** argenteum, principatus, prælaturas, &c. quæ apud **virtus ha-**
homines sunt in pretio, ab ijsque ponderantur, **bet pondus**
sed

sed solum ponderat iustitiam, id est virtutes & bona opera: haec enim aeternum gloriae pondus operantur. Vnde Proverb. 11. dicitur: *Spirituū ponde-rator est Dominus.* In hac appendi optabat S. Iob dicens c. 31. v. 6. *Appendat me in statera iusta, hebr. iu-stitia, & sciam simplicitatem meam.* Quocirca Balsafar caret iustitia & virtutibus, in statera Dei cum omni sua pompa & gloria appensus, inuentus est minus habens, id est leuis & vanus. Hinc regno & vita exclusus audiit: *Divisum est regnum tuum,* quia ipse per impietatem a Deo se diuiserat. Vnde psalm. 61. v. 10. dicitur: *Mendaces filij hominum in statenis, vt decipient ipsi de vanitate in idipsum;* vel, vt, alii vertunt, *mendaces filij hominum si ponantur in statenis, ipsi pariter leniores sunt vanitate, q.d.* Illa est mortalium & mundanorum vanitas & fallacia, vt si in altera lance constituentur ipsi, in altera vero ipsissima vanitas & inanitas, ea fine dubio praeponderabit.

Aequitatis hieroglyphicum.

Rursum statera haec symbolum est exactae aequitatis & iustitiae: hinc apud veteres Romanos aequitatis imago erat virgo quædam, tenens sinistra hastam, dextera iustum stateram, vt videre est in nummis Galbae, Vitellij & Vespasiani. Hi enim Imperatores, vt significarent se esse aequitatis studiosos, eam in nummis suis sculpi curarunt. Sic ante Romanos Graeci veteres pingebant iustitiam quasi virginem, quæ sinistra bilancem, dextra gladium tenebat, quasi violatae iustitiae vindicem. Vnde Orpheus in hymnis apud Stobæum sic eam alloquitur: *O iustissima dea mortalibus beata, optabilis, quæ semper iustis hominibus propter bonitatem gaudes, veneranda, felicissima, gloria iustitia, quæ pura semper digna cuique distribuis, vt integra conscientia fruens: semper autem comminuis omnes, quotquot stateram tuam non subeunt, sed ultra ipsam lancibus duris inexplorabiliter declinant.* Hoc est quod ait Sapiens Proverb. 16. v. 11. *Pondus & statera iudicia Domini sunt.* Et Isaías cap. 28. 17. *Ponam in ponde-re iudicium, & iustitiam in mensura.* Et cap. 27. v. 8. *In mensura contra mensuram, cum abiecta fuerit, iudica-bis eam.*

Deus ergo iustissimam & fidelissimam habet stateram, in qua Balsafaris vitam & merita ponderavit, atque omnium nostrum ponderabit. Hinc Abbas Georgius apud Sophronium in Prato spirituali. v. ait, nobis fratres, quia nullam habemus compunctionem, sed in negligentia vivimus, cum ira Dei comprehendat nos, & in trutinis sumus ut iudicemur: ac sequenti die apparuit ignis in celo, index & minax hu-ius trutinæ.

Sic Petrus Telonarius æger in somnis vidit omnes actus suos in statera appendi a Mauris & Candidatis; cumque Mauri in unam lancem omnia eius peccata, quæ à iuuentute commiserat, & quorum erat ille oblitus, imponerent; Candidati nihil inuenientes aliud, unum panem, quem ipse indigans pauperi dederat, in alteram lancem imposuerunt; itaque aequalitas facta est: tuncque dixerunt ei: *Vade & auge ad panem hunc; nam verè Æthiopes isti apprehendent te.* Vnde euigilans mutauit vitam, & ex auaro factus est summus eleemosynarius, vt etiam proprio corpori non parceret. ita habetur in Vita S. Ioannis Eleemosynarij scripta à Leontio.

Sic merita S. Henrici Imp. qui fuit maritus S. Cunegundis, cum eaq; cælebs vixit, post mortem appensa sunt in statera inter angelos & dæmones, Cornel. in Daniel.

A cumque lances alternatim attollerentur & depri-merentur eius meritis & demeritis, superuenit S. Laurentius, qui item direxit; Nā domo ab Henrico accepta, & suæ ecclesiae collata, in lancem alteram meritorum eius imposuit: quo factum est vt illa grauior effecta, alteram in altum efficeret, ei-que præponderaret, atque hoc modo angeli vi-ctores euaserunt, animamque Henrici dæmoni-bus exceptam in suum consortium abduxerunt. Res hæc fuse narratur in Vita S. Henrici c. 28.

B Sed audi Caroli Magni merita in statera ap- & Caroli pensa. Reni narrat Ioannes Turpin. Archiepisc. Magni: Rhemens. in Vita Caroli cap. 32. Cum, inquit, apud Viennam in ecclesia ante altare, die quadam raptus in ecstasi, precibus insisterem, tetrorum agmina immu-nabilia militum ante me preterire, ac versus Lotharingiam tendere agnoui. Qui cum omnes pertransirent, intuitus sum quemdam illorum Æthiopi consimilem, re-trò lento gradu alios insequentem. Cui dixi: Quid ten-ditis? Aquisgranum, inquit, ad Caroli mortem tendimus, vt eius spiritum ad tartara rapiamus. Cui dixi, Adiuro te per nomen Domini Dei nostri Iesu Christi, vt peracto itinere tua dispositionis, ad me reuerti non re-nuas. Tunc modicum commorati, vix expleto psalmo, eodem ordine ad me redierunt, & dixi nouisimo, cui prius locutus fueram: Quid egisis? & demon, Gallicanus, inquit, sine capite, tot ac tantos lapides ac ligna ba-silicarum suarum in statera suspendit, quod magis ap-penderunt bona, quam eius mala, & idcirco eius animam à nobis abstulit. Et his dictis demon evanuit. Itaque in-tellexi eadem die Carolum ex hac luce migrasse, & subi-dijs B. Iacobi, cuius ecclesiæ multas edificauerat, ad super-na merito regna subiectum. Subdit deinde visionis confirmationem. Transactis post eius mortem diebus quindecim, per nuntium didici, ab ipso tempore, quo ab Hispania recesserat, usque ad diem mortis sue illum as-diue agrotasse, atque eadem die & hora, qua visionem ego rideram, scilicet quinto Kalendas Februarij, anno Do-minii 814. ab hac vita migrasse, & apud Aquisgranum in B. Marie basilica rotunda, quam ipse edificauerat, honori-ficè sepultum fuisse. Ita Auctor hic, penes quem sit fides: nam inscribit se Turpinum Rhemens Archiepiscopum, ut pote quem constat ante Carolum Magnum esse defunctum. Quocirca Papyrius Massonus censet, libellum hunc ab homine etiolo esse conscriptum in gratiam iuuentutis, pau-lò post Carolum Caluum: eius tamen versio ser-uatur in Bibliotheca regia in Gallia. Hinc & Cardin. Baronius anno Christi 814. agens de morte Caroli Magni, Anton. Possevius in Biblioth. in nomine Tulpinus, & alij, cum vocant fabulosum, imò mendacij insimulant.

D DIVISUM EST REGNUM Tuum] iam iam, pu-ta hac nocte: regnum tuum à te separatum & ab-latuum, dividetur inter Medos & Perls. Audite hæc ebrij, audite temulenti, qui assidetis mensis, gaudetis, ridetis, canitis, potatis, omnia yobis læta sunt, omnia iucunda: & non videtis extentam Dei manum super vos. Mane, numerauit Deus vi-tam tuam, & breui complebit illam, forsan in hac hora, forsan in hac ebrietate tua. Deus ab aeterno decreuit tibi diem & horam mortis; di-xit, Ita hora, isto momento morieris: forte hæc ipsa est hora tua fatalis. Tekel, appensus es in statera, & inuentus es habere minus sobrietatis, minus rationis, minus virtutis; multum vero crapulæ, multum amentiae, multum vitiorum. Phares, divisum est regnum tuum, divisus es ipse

SSSS

tu;

tu; corpus tuum dabitur vermis deuorandum, anima dæmonibus bona tua rapient vel heredes peruersi, vel executores cupidi, vel Superiores iniqui. Vide quibus corpus tuum saginasti; vide quibus tanto labore opes per fas & nefas coaceruasti.

*Tropologicè
mane est
mors, tekel
iudicium,
phare infernus.*

Tropologicè, hæc tria, inquit Pererius, sunt peccatoribus horrenda; Primò, *mane*, scilicet mumerus vitæ, id est mors; Secundò, *tekel*, id est iudicium; Tertiò, *phares*, id est infernus, quo à Deo, cælo, Sanctis & vita æterna, in æternum diuidimur & separamur.

Hæc tria imminent ceruici cuiusque: interim cæci homines comeduntur, luxuriantur, saltat, trispudiant; & hunc gladium capiti suo incumbente non timent, quia non vident. Narrat Gregor. Turon. l.5. histor. Franc. in fine S. Saluium sibi dixisse: *Videsne super hoc teatum que ego suspicio? cui ego: Video super tegulum quod nuper rex poni precepit. At ille alta trahens suspiria, ait: Video ego euaginatum iræ diuinæ gladium super domum hanc dependentem. Nec eum visio fessellit: nam post dies viginti, duo filii regis, quos superius mortuos scripsimus, obierunt.*

*Gladius
Damoceli
incombens.*

Refert Cicero. Tuscul. quod Dionysius tyrannus. Damocli assentatori illius beatam fortunam sèpè commemoranti, declarauerit, quantus terror semper regibus & tyrannis, etiam si felicissimi esse videantur, impendeat, hac ratione: collo cari iussit hominem in aureo lecto & pulcherrimis stragulis, abacosque complures ornauit argetito auroque cælato: tum ad mensam eximia formam pueros delectos iussit consistere, eosque illi ad nutum ministrare, aderant vnguenta, corone, incendebantur odores, menœ conquisitissimis epulis extriuebantur. Fortunatus sibi Damocles videbatur. In hoc medio appasatu fulgentem gladium è lacunari, seta equina appensum demitti iussit, ut impenderet illius beati ceruicibus. Tum illi expauescere, & totus in gladium intendere: iam nec pulchros ministros aspiciebat, nec plenum attis argentum, nec manum porrigebat in mensam ipsæ coronæ defluebant. Demum exoravit tyrannum ut abire liceret, quod iam beatus esse nollet. Hoc sibi applicent omnes voluptuarij, cumque in medijs sunt epulis & luxurijs, rhomphæam diuinæ iustitiae ac gehennæ sibi impendentem intueantur: itaque discant voluptates noxias aspernari, & frænare.

Denique ex eo quod Daniel *mane, tekel, phares*, sic est interpretatus, ut singula verba per singulas exponeret sententias, videntur Rabbini princi cabalisticum interpretandi & scribendi modum ad inuenisse, quo non tantum integras S. Scripturæ sententias explanant, sed etiam syllabas, & linguas quasque literas separatim expendunt, quasi in singulis lateat aliquid mysterij; ita ut cabala sensim in superstitionem & odium abierit. Rursum modum scribendi per *ræsc tebot*, id est, per initia dictiōnum, ut v.g. בְּבֵא, idem sit, quod beresci *bala elohim*, id est, in principio creauit Deus. Hinc ab Hebreis idem accepisse Romanos, scilicet modum scribendi per notas (quibus notarij in tribunalibus scribebant singula dicta iudicium & Martyrum) censet noster Raderus in l.14. Martial. epigr. 202. & alij. non ergo Cicero, nec Mæcenas, ut aliqui volunt, sed longè ante eos Hebrei huius scriptio[n]is fuere inuentores.

VERS. 29.

INDUTVS EST DANIEL PURPURA] Purpura

A & torques aurea erant olim insignia regum, ut patet ex libris Machab. Honorat adeò Danielem rex, licet mali diei nuntium, vel quia putabat hanc cladem remotam, & diu differendam esse; vel ut per Danielm Deum placaret, clademque auerteat. ita S. Hieron.

QVOD HABERET POTESTATEM TERTIVS IN REGNO] Scilicet primus in regno erat rex, secundus regina, tertius Daniel, inquit Maldon. Aliter S. Hieron. q.d. Fecit, ut Daniel esset tristata, siue triumvir, putâ ut esset unus è tribus regni principib[us]: sic enim paulò post Darius Medus tres toti regno præfecit, ut patet c. 6. 2.

30. Eadem nocte imperfectus est Balsasar rex Chaldæus.

31. Et Darius Medus successit in regnum annos natns sexaginta duos.

EADEM NOCTE] Non anni eiusdem, sed sequentis, inquit ex Gueuara Alcazar in Apoc. 16. v. 12. not. 2. Quippe eadem nocte quotannis conuari consuerant Chaldæi, per uigilium agentes cuiquam deorum; quale Liuit. l. 23. Campanos celebrasse commemorat, cum Gracchus eos inuasit simul omnibus portis. Verum contextus ipse innuit, mox eadem nocte eiusdem anni captam esse Babylonem. Id enim eadem nocte referendum est ad Mane, Thekel, Phares, q.d. Eadem nocte eiusdem conuiuij, qua rex vidit manum vindicem, contra scribentem sententiam mortis, imperfectus est. Nec enim solet sententia, præscriptum ad eum efficax & miraculosa, ad annum differri, nec verisimile est Cyrum cum tantis copijs per totum annum & amplius, obsedit Babylonem. Nec obstat, quod prædicatum sit de eo (Daniele,) quod potestatem haberet tertius in regno suo (Balsasaris.) Id enim inter magnates, qui mille in contiuuo aderant, ibidem eadem nocte iussu regis prædicatum & proclamatum est. Solent enim exemplares castigationes Dei, præsertim circa sacrilegos (qualis hæc erat) esse subitæ & repentinæ.

INTERFECTVS EST BALSASAR] capta à Cyro Babylone. Falsum ergo est quod ex Berozo scribit Ioseph. l. 1. contra Apion. Cyrum capta Babylone, regem Balsasarem (quem ipse Nabonnedum vocat) benignè accepisse, eiisque ad habitandum Carmania assignasse.

Tradit Xenophon l. 7. & Herodot. l. 1. & ex eis Rupert. hic c. 18. S. Thom. opus de Regim. principi. l. 3. c. 7. Perer. hic, Gueuara in Habacuc c. 2. 7. Alcazar Apoc. 16. 12. & passim interpretes, Cyrum obſidentem Babylonem circa eam multas fossas fecisse, & eo die quo sciebat Babylonios festum aeturos, & se inebriaturos, subito de nocte, componatibus & bacchantibus Chaldæis, in eas fossas deriuasse Euphratem, qui Babylonem interluit, itaque per siccum iam Euphratis alueum Persas in urbem penetrasse. Non præcauerunt id Babylonij, putantes hoc factu esse impossibile. Nam, ut ait Xenophon, Euphratis latitudo est plus quam ad duo stadia, & profunditas tanta, ut nec duo viri alter super alterum stantes, super aquam emineant. Et alia parte Babylone innumerabilis erat propugnatrum multitudo: muri autem ipsi quinquaginta cubitos in latitudinem, ducentos in altitudinem patabant. Videns ergo Cyrus urbem terra esse inexpugnabilem, per flumen eam aggressus est die fe

*Cyrus cepit
Babylonem
diuertendo
Euphratē.*

Ro & conuiuali. Quocirca potentes Chaldæos præuidens & irridens Isaia c.21.5. ait: *Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes, surgite principes, artipite clypeum, hostis adest, Cyrus urbem ingreditur.* Addit Xenophon, duos fuisse transfigas Babylonios apud Cyrum, Gadatam & Gobriam, quorum ductu Cyri milites in regiam noctu ducti sunt, imperfectis quicunque occurrebat. ijs tantum seruatis, qui syriacè loquerentur (Iudeis) trucidatisque primum regis custodibus, ipsum deinde regem interemisse. Ita cecidit Babylon illa inclyta, fuit Troës, fuit Ilium, & ingens gloria Teucrorum.

Captia est Babylon anno primo monarchiae Cyri, qui fuit annus mundi 3417. illo ergo anno Balsasar fecit hoc conuiuum, vidi manum scribentem, occisus est, &c. Porro Cyru ob hanc Danielis de se prophetiam præsentem, & aliam præcedentem ab Isaia c.45. 1. ante 200. annos de se editam, inquit Iosephus. Iudæos è Babylonica captiuitate liberavit, I. Esdræ 1.1.

Nota. In hac urbis clade seruatus est Daniel, tū Dei prouidentia; tum quia eius virtus & sapientia iam vbiq; erat celebris, vt patet Ezech. 28.3. (Sic enim M. Marcellus in Syracusarū expugnatione. Archimedem nobilissimum mathematicum seruari præcepit) tum quia illic percrebuit eius vaticinium de nece Balsasaris, nec dubium quin id statim Darius & Cyrus intellexerint: iusserunt ergo eum quasi vatem suum seruari, sicut Nabuzardan iussit seruari Ieremiam c.40. cō quid Iudæorum excidium per Chaldæos prædixisset.

Denique Aristoteles in Politicis l.3. c.2. sic ait: *Captia cum esset ab hostibus Babylon, ferunt partem aliquam eius ciuitatis tercia die nondum aliquid sensisse.* Idem accedit Cayro, siue Memphi, sacerculo præcedenti, cùm à Selymo Turcarum rege expugnata est: quin & Selymus eam, licet captam, ingredi non est ausus.

Vide hīc quantum peccatum sit sacrilegium, quamque Deus puniat profanatores rerum sacra- rum, & cultui suo dicatarum: ob hoc enim Balsarē hīc puniuit vitæ, urbis & monarchię excidio.

Quocirca piè & sanctè S. Stephanus Papa (qui vixit tempore S. Cypriani, & sub Valeriano gloriosum obiit martyrium anno Domini 260.) lanxit, vt vasa & vestimenta sacrata non nisi à sacratis hominibus ferantur, idque confirmat hoc Balsasaris exemplo. Sic enim decernit de consecr. dist. 1. c. Vestimenta. Vestimenta Ecclesiæ, in quibus Domino ministratur, & sacra debent esse, & honesta: quibus alijs vībus non debent frui, quām Ecclesiasticis & Deo dignis officiis: que nec ab alijs debent contingi aut offerri, nisi à sacratis hominibus; ne vltio que Balsasar regem percussit, super hoc transgredientes veniat, & corrueat eos ad inā.

Alleg. Rupert. in Daniel. c.9. docet, quid per Babylonis excidium significetur destructio totius ciuitatis diaboli, futura in die iudicij, de qua dicitur Apocal. 18. Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmoniorum, &c. quia de vino ira & fornicationis eius biberunt omnes gentes, & reges terræ cum illa fornicati sunt.

VERS. 13. ET DARIUS MEDVS SVCESSIT IN REGNVM] Darius, scilicet cum Cyro nepote suo. ita omnes Graeci historici; Daniel tamē hīc, & Isaías c.13.17. & Ierem. c.51. v.11. id tribuunt vni Dario, & Medis; quia Darius erat dignior, eratq; auun-

culus Cyri, tuncque Medi erant potentes; Cyrus autem sub eo Persis præerat, sed ætate, animo & viribus pollens. ita S. Hieron. Perperam Massoretæ, historiarum Gentilitum imperiti, pro Darius punctarunt Dariaues, & pro Cyrus Cores, Darius perficere idem est quod ἐρέπεις, id est coercitor, ait Herodotus l.6.

Quæres, quis fuerit hic Darius Medus? Respondet Primò, Theodor. fuisse Nabuchodonosoris ex filia nepotem. Secundò, Ioannes Antius, & Ioannes Lucidus post suum Megasthenem, putant fuisse Darium Hystaspis. Tertiò, alij dicunt fuisse Cyrum. Quartò, Scaliger l.6. Emend. temp.

putat fuisse Nabonitum, qui, inquit, ex communi principum consensu suffectus fuit Labosordach, nepoti Nabuchodonosoris ex filia Nitocride. Hunc enim Labosordach celerit fuisse Balsasar, quo imperfecto, à populo electum creatumque esse regem Nabonitum, hincque esse Darium Medium, qui 17. annis regnarit, donec Cyrus eum regno Babyloniae exutum, in Carmaniam relegauit. Verum Darium Medium vñā cū Cyro expugnasse Babylöhem, & occidisse Balsarem, ac cōlequeriter Medos & Persas non per successioni, nec per electionem, sed per viri simul occupasse imperium Babylonis, docet Daniel hīc v.28. *Divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis.* Et v.30. *Eadē nocte imperfectus est Balsasar,* vtique à Medis & Persis paulò ante nominatis. Vnde mox subdit: *Et Darius Medus succedit in regnum.* Idem docet Isaia c.13. & c.21.2. Ascende, ait, *Ælam; obside Babylonem Mede.* Et v.7. Et vidit currum duorum equitum, ascensem asini, & ascensem cameli, putat Cyrum regem Persarum, & Darium regem Medorum. Et v.9. *Ecce ille venit ascensor vir biæ equitum* (putat Cyrus Medo-perses) & respondit & dixit: *Cecidit, cecidit Babylon.* Idem docet Ierem. cap. 51. & communiter interpretes. Quintò, Eusebius putat fuisse Astyagem, auum Cyri: huic sententiæ fauet c.13. v. vlt. Verum dico hunc Darium fuisse filium Astyagis: nam Astyagem præter filiam Mandanem, quæ fuit mater Cyri, etiam filium habuisse, licet Herodotus & alij negent (fortè quia cum non habuit ex regina, sed ex secundaria vxore; aut quia, vt vult Torniellus, adoptiuus eius, non naturalis fuit filius): docet tamen id ipsum Xenophon in Cyri pædia, qui hunc filium vocat Cyaxarem, aitque eum ultimum fuisse regem Medorum. Hic sanè videtur esse Darius Medus, dictus à Xenophonte Cyaxates; à Septuag. Artaxerxes. ita Torniellus in Chronol. Perer. Maldon. & alij passim, sequentes S. Hieron. & Iosephum l.11. Antiq. cap. 12. Consequenter verius est, quod ait Xenophon, Astyagem naturaliter obiisse, Cyro adhuc existente puero; quām quod Herodotus assertit, eum à Cyro vi-ctum, & regno expulsum esse. Ex hoc enim loco patet, Cyrum cum auunculo Dario, ac consequenter cū familia Astyagis valde fuisse coniunctum. Porro Darius, vel, vt Ctesias, Δαρεῖος, quod propius accedit ad nomenclaturam Persicam, id est quod ἐρέπεις, id est coercitor, qui alios premit & coerget; sicut Xerxes, idem est quod bellator, Artaxerxes, magnus bellator, ait Herodot. l.6. & ex eo Scaliger l.6.

ANNOS NATVS SEXAGINTA DVOS] Tradunt Hebrei in Seder olam, id est in chronologia mundi, & ex eis Genebrardus in Chronol. hunc

Darium natum esse eodem anno quo Nabuchodonosor vastauit Ierusalem & templum, ut huius sceleris esset vltor & vindicta, ac Babylonem cum monarchia euerteret. Quod intellige de anno quo Nabuchodonosor coepit obsidere Ierusalem, qui fuit annus regni eius 16. biennium enim illam obsecdit, ac tandem eam expugnauit anno regni sui 18. vt patet Ierem. c. 2. v. 4. & 29. Id ita esse patet. nam annus 62. Darij fuit pariter 1. Cyri, quo soluta est captiuitas Babylonica, ac proinde idem eiusdem captiuitatis fuit 70. & ultimus. Potro hi 70. anni inchoantur ab anno 8. Nabuchodonosoris, quo ipse occidit Ioakim, eique substituit Joachin filium, quem post tres menses abduxit in Babylonem, vti dixi Ierem. c. 25. & 29. Ia ab anno 8. Nabuchodonosoris usque ad 16. eiusdem, quo natus

A est Darius, intercedunt anni octo, quos addit ad 62. Darij, & praeceps habebis annos 70. captiuitatis Babylonicae.

Vbi Nota, quam oculus diuinæ prouidentiae sit sublimis & peruigil, ut delinquenti illic tortorem creet & destinet. Ita notarunt Chthonologi, eodem die quo in Anglia natus est Pelagius haeresiarcha, in Africa natum esse S. Augustinum, qui Pelagio a Deo parabatur antagonist & debellator. Ita eodem anno 1521. quo Lutherus publicè haeresin professus est, S. P. N. Ignatius Pompeiopolis vulneratus nuntium saeculo reuisit, sacramque militiam inchoauit, quem Deus ducem Societatis Iesu contra Lutheranos decertarur destinabat. ita Ribaden. in eius Vita lib. 2. cap. 18.

C A P V T S E X T V M. S Y N O P S I S C A P I T I S.

Satrapæ inuidentes Danieli præfecturam, ei dolum struunt per edictum regis. Vnde Daniel v. 16. quia Deum adorat, in lacum leonum mittitur, sed manet ille sus: hinc rex v. 24. accusatores Danielis in eundem lacum coniiciunt, sancitq. ut omnes paueant Deum Danielis.

Vers. 1.

Placuit Dario, & constituit super regnum satrapas centum viginti, ut essent in toto regno suo.

2. Et super eos principes tres, ex quibus Daniel unus erat: ut satrapæ illis rediderent rationem, & rex non sustineret molestiam.

3. Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas: quia Spiritus Dei amplior erat in illo.

4. Porro rex cogitabat constituere eum super omne regnum: vnde principes & satrapæ querebant occasionem ut inuenirent Danieli ex latere regis: nullamque causam, & suspicionem reperire potuerunt, eò quod fidelis esset, & omniscipit & suspicio non inueniretur in eo.

5. Dixerunt ergo viri illi: Non intuenimus Danieli huic aliquam occasionem, nisi forte in lege Dei sui.

6. Tunc principes & satrapæ surripuerunt regi, & sic locuti sunt ei: Dari rex in æternum viue:

7. consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus, & satrapæ, senatores, & iudices, ut decretum imperatorium exeat, & edictum: Ut omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque deo & homine usque ad triginta dies, nisi à te rex, mittatur in lacum leonum.

8. Nunc itaque rex confirmat sententiam, & scribe decretum: ut non immittetur, quod statutum est à Medis & Persis, nee prævaricari cuiquam liceat.

B 9. Porro rex Darius proposuit edictum, & statuit.

VT ESSENT IN TOTO REGNO SVO] distributi per suas satrapias & prouincias. Notat S. Hieron. ex Iosepho, Darium vieta Babylone redisse in Mediam cum Daniele, ibique haec que sequuntur esse gesta. eodem anno mortuus est Darius, vnde Daniel ex Media mox videtur remigrasse Babylonem, & ad Cyrum iam monarcham factum, se contulisse.

ET SVPER EOS PRINCIPES TRES] Olim apud Medos & Babylonios, Egyprios, & alios, summi post regem erant פָּרַשׁ scaliscim, id est tristatae, siue triumviri, putare tres principes, qui omnibus alijs minoribus principibus præerant: inter hos unus à Dario Medo constitutus fuit Daniel, aequè ut à balsasare constitutus fuerat c. 5. 29. ut esset tertius in regno.

SPIRITVS DEI AMPLIOR ERAT IN ILLO] spiritus, tum sapientiae, tum prudentiae, tum prophetiae, tum orationis, tum iustitiae, tum zeli, aliarumque virtutum. Tales querant reges & principes, quos prouincijs præficiant: præses enim & rector sine sapientia & spiritu, est quasi sol sine luce, quasi avis sine pluma, quasi gubernator natus sine gubernaculo. Hinc Sapiens c. 6. v. 22. O reges populi, inquit, diligite sapientiam, ut in perpetuum regnetis. & paulo post: Rex sapiens populi stabilitatem est.

VT INVENIRENT DANIELI EX LATERE REGIS] Ita legunt Romana; sed Chaldaica habent מְלִיכָתָן maluta, id est regni. Iam Primo, Hebrei crassè, latus regis, inquiunt, est regina, quæ ad regis latus recumbit, quasi hi satrapæ Danielem apud regem suspectum de adulterio cum regina efficere conati sint. Querebant ergo occasionem, si in sermone, tactu, nutu, internuntio accusare possent Danielem. Sed nullam causam & suspicionem reperire potuerunt: quia eunuchs erat; vnde eum in stuprum argueret.

arguere non potuerunt, inquit ex mente Hebreorum S. Hieron. Qui & subedit: Pro suspicioneum Theodotus & Aquila αὐθαίρεται interpretati sunt, que chaldaicē dicitur effattha, aut potius scita: cumq; ab Hebreo quererem quid significaret respondit vīm verbi sonare δέλεατ, quā m nos illecebram, siue ζφάλμα, hoc est errorem, dicere possumus. Porro Euripides in Medea αὐτολαχίας per το, & non per β. αμαρτίας, id est peccata, appellat.

Secundū. Secundū, Hector Pintus sic exponit, q.d. Quæsierunt occasionem ut Danielem remouerent, & eijerent à latere regis. Vnde aliqui codices hīc legunt: quærebant occasionem ut auferrent Danielem ex latere regis.

Tertiū. Vatābl. ex latere, inquit, id est ex parte regni, ut scilicet accusarent Danielem, ut reum læse maiestatis, quasi malè administrasset regnum, & edicta regia violasset. ita & S. Hieron. aut quodd. mala fide regiam pecuniam tractasset, inquit Maldonatus.

Quartū. Genuind. Verūm dico esse hebraismum: nam esse ex latere, idem est quod insidiari; ex insidijs, qualis à latere, aliquem aggredi & prosternere, qui enim insidiantur alteri, ad latus se collocaunt, ut alterum non aduententem occulte feriant, capiant, vel supplantent. q.d. Hi satrapæ quærebant occasionem, ut inuenirent modos insidiandi Danieli, eumque apud regem calumniandi, & præfectura hac regni deiiciendi. Vide hīc quām virtutis comes sit inuidia, ferantque summos fulmina montes. Rursum quām verūm sit illud: Omnes qui pīe volunt vivere, persecutionem patientur.

Vers. 5. NON INVENIEMVS DANIELI HVIC ALIQVAM OCCASIONEM, NISI FORTE IN LEGE DEI SVI] Nota hīc miram integratatem Danielis, qua ita circumspecte, fideliter & perfecte regni gubernacula tractabat, ut eius æmuli nihil in eo vel in speciem possent calumniari. Quare Abbas Pastor in Vitis Patrum rogatus à quodam, Quomodo debet homo conuersari? Respondit: Vidi mus Danielē, quia non est inuenta accusatio eius, nisi de servitio quod exhibebat Deo suo. Rursum vide hīc in Daniele, quām in aulis regnet æmulatio, præsertim in eos quos princeps euehit. Exempla hoc saeculo multa vidiimus, imò hoc anno 1618. apud omnes ferè reges, príncipes summos gratia & gradu suo excidisse cernimus. Quocirca recte Pythagoras hoc suis documentum dedit: Quæcumque inuidiam pariunt, vitanda putato. Ita habent aurea eius carmina, quæ edidit & explicuit Hierocles eius discipulus. Rursum in Daniele verum est illud. Publij: Fortunam citius reperias quam retineas. Sapientes sunt, qui præstant illud S. Hieron. ad Heliodorum: Nepotamus, ait, primam curam habuit, ut humilitate superaret inuidiam: inter coæquales primus in opere, extremus in ordine. Aulicus ille rogatus, Quomodo in aula consenisset? Omnibus, ait, cedendo. & iniurias quilibet tolerando, imò gratias iniuriabit agendo. Præclarè monet Ausonius Exhort. ad modestiam.

Fortunam reuerenter habe quicunque repente

Dives ab exili progrediere loco.

Quocirca sapiens ille dicebat, accedendum esse ad reges & principes, sicut accedimus ad ignem, moderate nimis. Si enim proprius ad ignem accedas, ab eo adurēris: si remotius consistas, non calesies. Hac de causa Ptolemæus Mathematicorum princeps, inuitatus à rege ad prandium, excus

Cornelius Daniel;

A hīt se, dicens: Regibus contingit ferè quod considerantibus picturas, que cum videntur eminus, placent; propinquè vero non dulcescunt. Ita refertur in eius Vita, quæ habetur initio. Alimagesti.

SVRIPVERVNT REGI] וְשָׁבַע regas hebraicè significat tremere; chaldaicē vero, significat Prīmō, astare, congregari, vnde Septuaginta & Vatablus vertunt, congregati sunt ad regem; Syrus & A- rabicus, accesserunt ad regem. Secundū, tumultuari; Tertiū, fremere: vnde Ioannes & Iacobus vocantur Boanerges, id est filii fremitus, siue tonitrii, Marci 3.v.17. Quartū persuadere, præsertim dolosè & insidiose, quod est surripere. Surripuerunt ergo, id est insidiose suggesterunt regi. Perperam ergo Pintus pro surripuerunt, corrigendum vult surrepserunt.

Dicant hīc reges & principes benè examina-

*B re, penetrare & peruidere, tum suorum consilia- Morale, dī
riorum animos, consilia & intentiones; tum leges
& decreta, quæ illi suggerūt, an sint iusta & utiles
bono, non suggesterentis, sed publico; nec credant
ijs, qui ob priuata commoda vel odia, suggestur
ea, quibus regi dedecus, alijs perniciem creant.
Dicant vicissim consiliarij, malum consilium co-
sultori esse pessimum. ita hi satrapæ in Danielē
hanc fabam cudentes in scipios eamē cuderunt.
Dicant viros probos & quietos nō impune tangi.
Cane quiete sedentem in aule, inquietabat Sfortia, qui
& hoc in insigni gestabat: Quietum nemō impune la- Quietum
cessit. Aurea est Plinij vox in Panegyr. Traiani. Di- nemo impa-
scimus, inquit, experimento, fidissimam esse custodiā
principis ipsius innocentiam. Hec arx inaccessa, hoc inex-
pugnabile munimentum munimento non egere. Frustra
se terrore succinxerit, qui septus charitate non fuerit:
armis enim arma irit. Denique audiant consiliarij id, quod Alfonsus Aragon. rex dicebat, si sibi
contigisset nasci temporibus Romanorum, se constructum fuisse contra curiam templum Ioni pos-
titori, in quo priusquam venirent in senatum Pa-
tres conscripti, odium, amorem, ac priuatos omnes
affectus deponerent: hi enim sunt qui urbes, re-
ges & regna euertunt ac pessum dant. ita Panormi
in Alfonso.*

*VT OMNIS QVI PETIERIT ALIQVAM RETI- VERS. 7
TIONEM A QVO CVM QVE DEO, &c. NISI A TE
REX] Nota adulationem, vt iniustum & impium decretum à rege extorqueant. Suadent enī regi, ut diuinitatis nomen & munus sibi atroget, ut Deo omni excluso, ipse quasi Deus solus supplicum vota excipiat, nec patiatur alium Deum adiri vel inuocari. Iuris enim naturæ est,*

D vt quisque, præsertim egens vel afflitus, Deum inuocare possit, imò debeat; & barbarum, imò diabolicum, esset hoc vetare. Dum ergo alium Deum hīc inuocari prohibent, ipsum regem pro Deo colendum & inuocandum censem. Sic Deus habet voluit Domitianus Imper. quem irridens Philostratus: Cum, ait, alius propterea se accusatum quereretur, quod Tarenti, ubi dominabatur, sacrificans, publicis precibus non addidisset, Domitianum Palladis filium esse: At enim, inquit, arbitraris fortasse, Palladem non peperisse cum semper habita sit virgo. Ignorabat autem (vt opinor) deam ipsum draconem, quandoque Atheniensibus peperisse. Nimis draco erat Domitianus. Idem narrant Quintil. lib. 3. cap. 9. Sueton. in Domitiano cap. 4. Martialis Læpè, & alij, cum illud eius solitum programma irrident: Edictum domini Dei, nostri.

10. Quod cūm Daniel comperisset, id A
est constitutam legem, ingressus est domum suam: & fenestris apertis in cenaculo suo contra Ierusalem tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo, sicut & antē facere consueuerat.

11. Viri ergo illi curiosius inquirentes inuenierunt Danielem orantem, & obsecrantem Deum suum,

12. & accedentes locuti sunt regi super edicto: Rex numquid non constitisti, vt omnis homo, qui rogaret quemquam de diis & hominibus usque ad dies triginta, nisi te, rex, mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex, ait: Verus est sermo iuxta decretum Medorum atque Persarum, quod præuaricari non licet,

13. Tunc respondentes dixerunt corā rege: Daniel de filijs captiuitatis Iuda, nō curauit de lege tua, & de edicto, quod constitisti: sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.

14. Quod verbum cūm audisset rex, satis contristatus est: & pro Daniele posuit cor ut liberaret eum, & usque ad occasum solis laborabat ut erueret illum.

15. Viri autem illi intelligentes regem, dixerunt ei: Scito rex, quia lex Medorum atque Persarum est, ut omne decretum, quod constituerit rex, non liceat immutari.

VERS. 10. CONTRA IERUSALEM] Hoc, ait S. Hieron. est Dei præceptum Deut. 12. 11. & Salomonis consilium 3. Reg. 8. 44. qui contra templum orandum esse admonuit. Sic Ezechias Isaiae 38. v. 2. Conuerit faciem suam ad parietem (qui erat versus templum) & oravit ad Dominum. Sic Dauid, psalm. 62. 3. in terra, ait, deserta, inuia & inaquosa; sic in sancto (sicut in sanctuario & templo) apparui tibi, q.d. Egō Dauid in deserto profugus, ex eo te Domine in templo habitantem contemplor, & ad templum conuersus te in eo præsentem & præsidem adoro. Ergo videtur Salomon fabricans templum in Ierusalem (quaे in medio terræ habita-
tæ erat sita, vt ait Ezechiel c. 5. 5) Deum quasi centrum mundialis sphæræ, & omnium animorum constituisse, vt lincae & orationes ab hominibus ducerentur in templum, ubicumque ipsi existarent; & Deus in templo tamquam in centro præsentem se exhibens, singulorum precibus intendebat, audiens, exaudiens, vt notauit noster Pienda lib. 5. de Reb. Salomon. c. 5. num. 35. Templum ergo erat quasi centrum orbis, vt Deus centrum est mundi, hominum & angelorum. Vide hic & imitare constantem pietatem & libertatem Danielis, qui pro ea statum & vitam periculo fidenter expoluit. Meritò Aristot. I. Ethic. 10. hominem constantem vocat quadratum, quia ad omnem fortunæ iactum impulsumque firmus solidusque in sapientia & virtute consistit, cūm alij leues rotentur ut globi.

TRIBVS TEMPORIBVS IN DIE FLECTEBAT GENVA] Tria tempora quibus Deo flectenda sunt genua, tertiam, sextam, & nonam. Ecclesiastica traditio intelligit, eaque colliguntur ex Acto, 2. v. 15. &c. 3. v. 1. &c. 10. v. 9. Tribus horis, inquit Pintus, orabant Iudei in die, scilicet hora tercia, ta & nona sexta, & nona. Tertia, quia tunc data est lex in Sina: & eadem hora orat Ecclesia; quia tunc datus est Spiritus sanctus in Pentecoste. Sexta, quia tunc creatus fuit serpens enemus in deserto: eadem orat Ecclesia; quia tunc crucifixus est Christus. Nona, quia tunc petra dedit aquas in Cades; vti & Christilatus in cruce tunc perforatum, sanguinem dedit & aquam.

Addit noster Lorinus in Acto. 3. v. 1. Iudeos orasse hora sexta, quia tūc lapsus est Adam, vt colligitur ex eo, quod Dominus post meridiem venisse dicitur, vt puniret Adam. Addunt Hebrei, quia tunc perambulat dæmonium meridianum, quod hominem ad intemperantiam & cholera feruente sole sollicitat, vnde in meridie Iudei solent contra illud recitare psalmi. Qui habitat in adiutorio Altissimi, vt ab illo liberentur, scilicet ab incursu & dæmonio meridianio, vt dicitur v. 6. illius psalmi.

Audi & S. Hieron. Daniel regis iussa continebans, & in Deo habens fiduciam, non erat in humili loco, sed in excelso: & fenestras aperit contra Ierusalem, ubi erat visio pacis. Tria autem sunt tempora, quibus Deo flectenda sunt genua: tertiam, sextam & nonam. Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tercia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sexta volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cenaculum. Nona Petrus & Iohannes pergebant ad templum. Verum de his alibi. Audi & S. August. in Sententijs nu. 203. Vigor, ait, fidei Christiana tribus temporibus initiatur, vespera, manè, meridie. Vespera enim Dominus in cruce, manè in resurrectione, meridie in ascensione: unum ad patientiam occisi, aliud ad vitam resuscitati, tertium pertinet ad gloriam maiestatis, in Patris dextera considentis. Et S. Cyprian tract. de Orat. Domini per ternarium horarum putat designari SS. Trinitatem, quam totidem horis colimus & adoramus.

Porrò tercia, sexta, nona, computantur ab ortu Solis. Hebrei enim diem, vti Romani noctem, diuidebant in quatuor horas, & quasi vigilias. Prima erat ab ortu Solis usque ad tertiam: durabant ergo hæc horæ tres nostras horas. Prima enim incipiebat ab hora quinta vel sexta (sequor hic computum Belgarum & Transalpinorum) & durabat ad horam nostram nonam: horâ nostrâ nonâ incipiebat earum tercia, & durabat usque ad nostram duodecimam: tunc enim incipiebat eorum sexta, quæ durabat usque ad nostram tertiam promeridianam; à qua incipiebat nona eorum, & durabat usque ad vesperam. Vnde Lyr. per tria tempora, intelligit manè, meridie, & vespera.

INTELLIGENTES REGEM] regis voluntatem & intentionem; Chald. est, congregauerunt se supra regem, id est, quasi facta manu omnes simul regem aggressi sunt, ac penè tumultuati contra eum: hoc enim est regas, de quo dixi v. 6.

Moraliter vide hic in Daniele, quād difficerit seruire aulæ terrestri simul & cælesti; placere principi & aulicis, & non dispiacere Deo & angelis. Nemo, ait Christus, potest duobus dominis seruire. Et non potestis Deo seruire & Mammona, Matt. 6. 24. Script.

psit Aeneas Silvius, qui postea creatus Pontifex, vocatus est Pius II. ad quendam aulicum librum de Misericordia curialium, id est aulicorum, in quo ostendit quanta in aulis sit vanitas, ambitio, inuidia, hypocrisia, impuritas: quot curae, distractiones, seruitutes, sollicitudines, metus: quanta inconstans, mutabilitas, casus, ruine, pericula corporis & animae. Ac tandem ita concludit: *Quae cum ita sint, relinquamus hoc pelagus inquietum, nosq; in aliam vitam redigamus. Nam si pacem capimus, si otium diligimus, si nobis vivere voluntus, si salutem anima querimus; su- gienda nobis sunt atria regum, & aulici tumultus, in quibus nec requies, nec bonarum artium exercitatio, nec vir- tutis amor, aliquis regnat: sed avaritia tantum, libido, crudelitas, rapula, inuidia & ambitio, dominantur. Qui- bus vitijs qui su deditus, nullo se poterit argumento tueri, quoniam apud viros doctos malus esse convincatur & statuit. Vale vir, nisi ex curialibus unus essem, meo iudicio prudens. Amo salutis 1445. Praeclarè Polybius l. 5. Sicut, ait, calculi magno erei sunt, modo aurei: sic & aulici ad natum regis nunc beati sunt, nunc miseri.*

Quocirca Agrippa de duobus admonebat vi-
rum, qui in aula saluus vivere cuperet. Primo, ut
difficultatem rerum ipse suscipiat. Secundo, ut
gloriam alijs concederet. ita Dion. l. 49.

Notissima est vox eius, qui rogatus, quomodo
rarissimam rem in aula consecutus esset senectu-
tem? *Iniurias, inquit, accipiendo, & gratias agendo.* ita
Seneca l. 2. de Ira c. 34.

Diogenes audiens Callisthenem beatum dic-
quod esset amicus Alexandri: *Imo, ait, infelix est qui
cum prandet ac cenat, cum Alexandro videtur.*

Constantinus Imp. eunuchos, similesq; aulicos
vocabat tineas & sorices palatij, ait Niccph. l. 8. c. 14.
Sicut enim, muscae ad mel, ita isti ad opes & deli-
cias aularum aduolant.

Quocirca sapienter Horatius libr. 2. Carm. o-
de 10.

Auream quisquis mediocrita rem

Diligit, tutus caret obsoleti

Sordibus testi, caret inuidenda

Sobrini aula.

Et Ovid. l. 13. Tristium eleg. 4.

Vive tibi, quantumq; potes prelustria vita:

Seum prelustrum fulmen ab arce venit.

Seneca in Hippolyto:

Fraus sublimi regnat in aula.

Et in Thyestes:

Stet quicumque volet potens

Aule culmine lubrico;

Me dulcis saturet quies.

Obscuru positus loco,

Leni persuasori.

Martial. Epigramm. lib. 9.

Nemo suos (hec est aule natura potens)

Sed domini mores Cesareamus habet.

Prudenter ergo monet Aeneas Silvius l. 1. de Ge-
stis Alfonsi: illi, ait, aulici plurimum sapient, qui
accepto aliquo beneficio vel mediocri, aulae vale-
diciunt. Ostendunt enim animum suum expletum
esse, & periculo se subducunt; in quod curiales fre-
quenter incidunt, qui, veluti fues, vbi saginati sunt,
in cœnam domini mactantur. *Est apud Indos, inquit*
Plinius, herba quedam precipui odoris, reserta minuta
serpentibus, quorum ietu protinus moriendum sit. Ita ha-
bent principium aule quod alleget, sed occultant lethali
venenum in caueas. Rursum: Indice testudines meri-
diano tempore blandiente, gaudent tota dorsi per tran-

A quilla fluitare, donec oblitis sui, Solis vapore facietur cor-
tex, ut mergi nequeant, iamq; inuite natent oportune ves-
tantum pred.e. Ita quidam spes rerum magiarum alle-
gi, in principum aulas se se coniuncti, & adeo delinuen-
tur aule delicijs, donec imprudentes ed redigantur, ut non
possint etiam si velint, in suum otium se recipere. ita Pla-
nius l. 9. c. 10.

Extrat emblemata Alciati numero 86.

Vana palatinos quos educat aula clientes,

Dicitur auratis noctere compedibus.

Ita lusus & ludibrium fortunæ fuerunt, in aula
Daulis Ioab, Saulis Abner, Artaxerxis Aman,
Tiberij Seianus, Constantini Ablauius, Theodo-
sij Russinus, Arcadij Eutropius, Honorij Stilico.
Denique Antonius in Melisa serm. 59. Sicut, ait,
qui valde febricitant, appetitum & robur amittunt: sic
qui principum aulas inhabitant, mentem & bonos mores
perdere solent, nisi frequenter animo repetant hoc dictum:
Nosc teipsum.

B 16. Tunc rex præcepit: & adduxerunt
Danielē, & miserunt eum in lacum leonum.
Dixitque rex Danieli: Deus tuus,
quem colis semper, ipse liberabit te.

17. Allatusque est lapis unus, & positus
est super os laci: quem obsignavit rex an-
nulo suo, & annulo optimatum suorum,
nequid fieret contra Danielem:

18. Et abiit rex in domum suam, &
dormiuit incœnatus, cibique non sunc-
allati coram eo, insuper & somnis rece-
C sit ab eo.

19. Tunc rex primo diluculo consur-
gens, festinus ad lacum leonum perrexit:

20. appropinquansq; lacui, Danielem
voce lacrymabili inclamat, & affatus
est eum: Daniel serue Dei viuentis, Deus
tuus, cui tu seruis semper, putasne valui-
te liberare à leonibus?

21. Et Daniel regi respondens ait: Rex
in æternum viue:

22. Deus meus misit angelum suum,
& conclusit ora leonum, & non nocue-
runt mihi: quia coram eo iustitia inuenta
est in me: sed & eotam te, rex, delictum
non feci.

D 23. Tunc vehementer rex gauisus est
super eo, & Danielem præcepit educi de
lacu: eductusque est Daniel de lacu, &
nulla læsio inuenta est in eo: quia credi-
dit Deo suo.

LIBERABIT TE] Dicit hoc rex Danieli, tum ut
eum consoletur, tum ut se excusat: sperabat ergo
Deum illi affabre, uti assuerat tribus eius socijs in
fornace Babylonica. Quocirca Rabbini in Midras
Tehillim int illud psalmi 63. xaudi Deus orationem
meam, cum deprecior: à timore inimici eripe animam
meam, de hac Danielis tutela dicunt: Venit leo, &
liberabit leonem de ore leonis. Leo enim est Deus, de
quo Amos 3.8. Leo rugiet, quis non timet? Hic libe-
ravit leonem, id est Danielem, qui descendit ex
Iuda, de quo dixit Iacob. Genes. 49. Catulus leonis
Iuda ita refert Galatin. l. 5. c. 8.

VERS. 17. QUEM OBSIGNAVIT REX ANNULO SVO, ET ANNULO OPTIMATVM, NE QVID FIERET CONTRA DANIELEM] Chald. & Septuag. ne mutaretur res in Danielem; Vatablus, ne mutaretur voluntas in Danielem, id est, ne rex mutata voluntate Danieli e lacu extraheret. Vtrumque videtur verum, scilicet Primo, quod rex obsignavit lapidem annulo suo, ne optimates mutata voluntate Danieli occiderent, præsertim si viderent leones ei parcere, quod futurum timebant. ita S. Hieron. & Theodor. Secundo, quod optimates quoque obsignarint lapidem annulo suo, ne rex Danieli e lacu eriperet.

VERS. 22. CONCLUSIT ORA LEONVM] Notat ex Att. Leo non nocet homini in sex casibus. Plinio & Gellio Perierius, leonem naturaliter homini non nocere, Primo, si leoni irruenti caput aut oculos pallio aut ueste cooperiat. Secundò, si leo sit satur. Tertiò, si sit cœcur. Quartò, si in eum fueris beneficus. Quintò, si supplex & prostratus iaceas. Adde Sextò, si ei ignem aut flamnam ostentes: hisce enim percellitur leo. Causam affert Nicolaus Leonicus Quæst. natural. quæst. 20. Leonum, ait, vis omnis in oculis esse creditur: quam obrem leui etiam cuiusque panni coniectu operto, capite, tanta illa feritas torpescit illic, deuiniciturq; non repugnans. Quo etiam modo à Lysmacho Alexandri iussu simul inclusu strangulatum fuisse leonem ferunt. Ignis autem splendore suo, cum omnium peculiariiter perstringit & hebetat oculos, tum eorum maximè qui eos calidores scioresq; habent, cuiusmodi sunt leones. Denique leonem terrent rotarum orbes circumacti, currusq; inanes, & gallinariorum crista cantusq; ait Plinius lib. 8. c. 16. Perinde ut visa vipera fugit ceruus, audita voce porci fugit elephas, ait Horus hierogl. 82. & 83. l. 2. Hinc Megarenenses porcos pice oblitos, & mox igne flammatos, in Antipatri elephantos immiscerunt, ait Älian. l. 16. c. 36. Ita res magnæ à paruis percelluntur, humiliante eas Deo, & terribiliphantiam edomante. Verum quod Danieli non nocuerint leones, fuit miraculum, quia, ut hic dicitur, angelus conclusit ora leonum, & rectum, ait S. Hieron. & yngues; scilicet Primo, vi sua ea continendo & comprimendo, ne Danieli mordere possent. Sicut Raphael ligauit in deserto Ägypti Asmodæum, scilicet viam aliquam detentiuam ei imprimendo: sicut enim corpori aut dæmoni imprimi potest vis motu, quæ eum è loco suo protrudat & expellat; sic & detentiuam quæ cum in loco suo detineat, ei quæ quasi alliget & affigat. Secundò, continuuit angelus ora leonum, admendo eis famem, & cibi Danielis que fastidium in eis cœcitando. Tertiò, mutando leonum phantasiam, ut apprehenderent Danieli quasi amicum, vel ut quid formidabile: sicut Aristoteles & Plinius docent, leones terreri ad totas, & sonitum curruum, ad galli cristas & cantum; & maximè ad fulgētes ignes. Ecce hic in Daniele verum est illud Hebr. 11. 33. Ob: urauerunt ora leonum. Hoc miraculum caritati Danielis ascribunt & acceptum referunt S. Hieron. contra Iouianian. Epiphan. & Doroth. in Vita Danielis, & Damasc. licet S. Basil. illud attribuat eius ieunio, ut dixi in procemio. Danielis corpus virginitate ita obduratum est, ut ferarum dentes ei infigi nequiverint, inquit Damasc. lib. 4. de Fide c. 25.

Ita leæna S. Malcho eius speluncā ingredienti, ob pudicitia pepertit, imò pro eo dimicauit contra eius herum & seruū, eum persequentes, vtrum-

A que occidēdo. Testis est S. Hieron. in Vita S. Malchi, qui ait, cum pudicitæ tantum conscientia promoto fuisse septum, ne à leæna laederetur: ut sciant virgines & casti, inter gladios, & inter deserta, & bestias, pudicitiam numquam esse captiuam; & hominem Christianum posse mori, non posse superari.

Ita hyæna Pachonem castum seruauit & circumlinxit. testis est Pallad. in Lausiaca c. 29.

Ita S. Daria vxor S. Chrysanthi in lupanar destruta, à leone propugnata est, vt habeat eius Vita 25. Octobris.

Ita S. Thecla tauris, serpentibus, alijsque feris obiecta, ab omnibus illæsa permisit, tutante eam, & feras mansuefaciente, eius castitate. Ita plurimæ aliae virgines leonibus & feris obiectæ, intactæ ab ijs euaserunt. Castitas ergo leones, æquæ ac ignem, domat & cicurat. Quocirea meritò de B. Thecla virgine ignes & leones superante, ita canit S. Gregor. Nazianz. in Praecep. ad virt.

Quis Theclam necis eripuit flammæq; periculo?

Quis validos yngues vinxit rabiemq; ferarum?

Virginitas. O res omni mirabilis suo!

Virginitas fuluos potuit sopire leones.

Et S. Ambros. l. 2. de Virgin. Thecla, inquit, copulari fugiens nupriadem, & sponsi furore damnata, naturam etiam bestiarum, virginitatis veneratione mutauit. Namque parata ad feras, cum aspectus quoque declinaret viroram, ac vitalia ipsa seu offerret leoni, fecit ut qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes bestiam, cubitare humi muto testificantem sono, quod sacram virginis corpus violare non posset. Audi maiora. Adorabat ergo prædam suam bestia: & proprie oblitera nature, naturam induerat quam homines amiserant. Videres quadam natura transfusione, homines feritatem indutos, sevitiam imperare bestie: bestiam exosculantem pedes virginis, docere quid homines facere debarent. Tantum habet virginitas admirationis, ut eam etiam leones murentur. Docuerunt religionem, dum adorant martyrem; docuerunt etiam castitatem, dum virginis nihil aliud nisi plantas exsculantur, demersis in terram oculis, tamquam verecundantibus ne mas aliquis vel bestia virginem nudam videret.

Denique missus est Daniel in lacum leonum anno primo Darij, eigo Daniel tunc, erat annorum 98. Patet ex dictis c. 1. v. 1. & 4.

QVIA CORAM EO (Deo) IVSTITIA INVENTA EST IN ME] Nota hic, in Daniele fuisse iustitiam veram: talis enim est, qua est coram Deo, siue in oculis Dei, qui lucidissimi sunt; non falsam & impunitam, qualis est Nouantium. Respondent illi, iustitiam hic non generalem, sed particularem accipiendam esse, q. d. Daniel: Ego nihil defraudaui, sed summa fide pecuniam & negotia regis tractavi. Verum hanc iustitiam non hisce, sed sequentibus verbis statuit Daniel; ait enim. Sed & coram te rex delictum non feci. Huc alludit Ezechiel c. 14. v. 16. cum ait, quod Noë, Job & Daniel in iustitia sua liberabunt animas suas.

QVIA CREDIDIT DEO SVO] quia confisus fuit VERS. 23 Deo, cuiusque prouidentiæ & omnipotentiæ se totum commisit. Alij, quia fidelis fuit Deo suo. Verè S. August. tract. 8. in epist. S. Ioan. tom. 9. Subdere, inquit, ei qui supra te est, & infra te erunt illa quibus prepositus es. Quia vero per peccatum homo deseruit eum ub quo esse debuit, subditus est eis supra quæ esse debuit. Sintendite quid dicam, Deus, homo, pecora: supra te Deus, infra te pecora. Agnosce enim qui supra te est, ut agnoscant te quæ infra te sunt: ideoq; cum Daniel agnouisset supra

Angelus conclusit ora leonum tripliciter.
Primo:

Secundo.

Tertiò.

je Deum, agnoverunt illum supra se leones. & autem non agnoscis illum qui supra te est, superiorum contemni, subderis inferiori. Propterea superbia Aegyptiorum vnde dominata est de ratis & misericordiis, Exodi 8. Sed Daniel agnoverunt leones, quia ille subditus Deo erat: agnouit ignis seruos Dei, tres viros, quos non viserit, quorum nec vestimenta corrupti, Daniel. 3.

- Ita S. Pothentius Martyr sub Antonino Imp. Spoliati obiectus leonibus rugientibus, orans cum Christo illud psalm. 21. Salua me ex ore leonis, ut enarraret nomen tuum, eos cicuravit, ut ei blandirentur: ac deinde ecclaeos, flagra, carceres, longam inediam, agnes illae superauit, dicens: In Domino confido, non timebo quid faciat mihi homo. Ita habent eius Acta 19. Iauuarij. Hac de causa Gentiles olim contra Christianos iudicibus fucclamabant: Ad lenorem, non leonem damnetur virgo Christiana: sed illa eadem spe & ope Dei qua leones, etiam lenores superarunt, teste Tertull. in Apolog. & testes sunt S. Agnes, Lucia, Dorothea, Susanna, aliaeque plurimae.

24. Iubente autem rege adducti sunt viti illi, qui accusauerant Danielum: & in lacum leonum missi sunt, ipsi, & filii, & uxores eorum, & non peruererunt usque ad paumentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia ossa eorum comminuerunt.

25. Tunc Darius rex scripsit vniuersis populis, tribubus, & linguis habitantibus in vniuersa terra: Pax vobis multiplicetur.

26. A me constitutum est decretum, ut in vniuerso imperio & regno meo tremerciant & paucent Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens & aeternus in secula: & regnum eius non dissipabitur, & potestas eius usque in aeternum.

27. Ipse liberator atque saluator, faciens signa & mirabilia in celo & in terra: qui liberauit Danielum de lacu leonum.

28. Porro Daniel perseverauit usque ad regnum Darij regnumq; Cyri Persae.

VERS. 24. IVBENTE REGE] Rex hic exercet talionis poenam, quae omni iure aequissima est. Re enim examinata, intellexit rex hostes Danielis sibi imposuisse, & dolosè edictum extorsisse, vt Danielum sibi fidissimum & utilissimum è medio tollerent.

VXORES ET FILIOS] Quia hi parentes & illæ maritos ad scelus excitarant, adiuuerant, aut consenserant, inquit Pintus: alias enim barbarum hoc fuisset regis edictum. Solus enim Deus filios innoxios, ob peccata parentum morte punire potest: vnde solos barbaros id olim fecisse, & etiam nū facere legimus.

Addit Ioseph. 10. Antiq. 11. Danielis accusatores regi dixisse leones fuissent saturos, ideoque à Daniele abstinuisse, regem vero, cum plurimum carnis leonibus datum esset, præcepisse ut illi eis obijcerentur, vt non alieno, sed suis corporibus

A experientur, an leones saturitate retardati, an diuinæ potētia impediti, à Daniele abstinuissent. Verum nil tale habet Script. vnde videtur Iosephus more suo, suæ gentis historiam narratione, si non vera, verisimili faltem exornare voluisse, inquit Maldon.

DONEC] Id est, priusquam ita Chald. Vatabl. & alij.

LINGVIS] nationibus: singulæ enim nationes VERS. 25. singulas habent linguas.

PAVEANT DEVM DANIELIS] Hinc videtur VERS. 26. Darius verè ad Deum fuisse conuersus: plus enim præcepit, quam præceperit Nabuchodonosor c. 3. v. 98. Ille enim tantum vnuuit, ne quis Deum Hebreorum blasphemaret. ita Maldon.

IN CAEO ET IN TERRA] Qui enim miracula VERS. 27. B facit in terra, potest similia facere in celo: hoc enim miraculo ostendit se esse Deum, ideoque dominum celi & terræ.

PERSEVERAVIT VSQVE AD REGNUM DARII] VERS. 28. Chald. est διάβολος hatflach, prospere egit, id est, in magno honore fuit, quiamdiu Darij & Cyri regnum durauit, quamdiu regnarunt Darius & Cyrus. ita Chald. Septuag. Vatabl. & alij. Dicit hoc Daniel, vt historiæ finem faciat, ordiaturque prophetiam: nam hæc sex prima capita magis historica sunt quam prophetica: quæ vero cap. 7. & deinceps sequuntur, propriæ prophetica sunt.

Vide hic quam felices & gloriose officiat constatia in fide & cultu Dei. Ita enim felix & gloriis euasit hic Daniel, & tres pueri c. 3. Eleazarus Machabæi, 2. Machab. 6. & 7.

Moral. quam gloriosas sit constantia in Dei cultu.
Exempla S. Basili.

C Inter Christi athletas eminuit S. Basilis. Cum enim Praefectus quidam Valentis Imperatoris cum hortaretur, vt tempori cederet, neque tot Ecclesiæ adduceret in disserimen exquisitione dogmatis, promittens illi amicitiam, & multa beneficia; diuinis ille vir adolescentilis congruere tales sermones respondit. nam hos & his similes inihiare huiusmodi rebus: qui vero essent immutriti diuinis litteris, eos nullam syllabam illarum in disserimen venire pati posse, solebant, si res poscat, nullum genus mortis pro illis subeundum recusare. Imperatoris quidam amicitiam magni se pendere cum pietate: qui remota perniciosa esse. Erebat hoc ægre Praefectus, aiebatque eum despere. Tunc Magnus Basilis: Utinam sempiterna, inquit, haec meas sit desipientia! Post hoc colloquio occurrit Imperatori Praefectus, exponitq; regi quid dixisset Basilis, & quia esset virtute, ac animi praestantia. Sed Imperator tacuit, & veniens in yrbem coepit diuinitus inficias domini suæ plágas. ita Thedor. lib. 4. hist. Eccl. c. 19. Aliæ vice Praefectus mortem ei iniussus est: at Basilis gratiam le illi economire habere dixit, quippe qui discedere ex taliterum statu non grauatae cuperet. Et cum Praefectus amplius eam rem deliberate iuberet: Basilis, Ego quidem, inquit, & hodie & cras idem futurus sum, utinam tu te ipsum non mutaris. Creatura enim cum sim, creaturam adorare, Deumq; esse profiteri in animalium non inducam meum: sed neque religioni vestre me aggredi sustinebo. Tametsi enim vos regi charissimi, & non minima orbis pars esse existimamini: me tamen minime decet hominibus gratificari, & propterea fidem in Deum parupendere: quam ego proditoris non sum, etiam si inhibitorum publicationem, & exilium, & aliud quidquam grauum exuminarum, mortemq; adeo ipsani minoris: nihil enim rerum talium mærorum mihi asserre potest. Quid si facultates meas expetis; pannos hosce, & cilicias atque

atque libros paucos, qui in mundo mibi sunt, si hos inquam ad amissi, recipe. Sin ut exili causa solum vertam; matis, paratus ad id sum. Exul vero quomodo ero, qui semper terram quasi peregrinus pererro, & ad regionem aliam vehementer aspiro? Corpus porro hoc, vel post primam plagam, sensus omnino expers, & cruciatibus superius pro�sū futurum est. Vicitus hac Basilius libertate & constantia Imperator quieuit. ita Niceph.l.11. histor.c.18.

Oeniandi
Episc. in fi-
de Cathol
conflantia.

Anastasius Imp. Episcopum Oenianum hor-tatus est, vt ad suam factionem desciceret, polli-cens eum quidquid petiisset illic accepturum. Cui Episcopus: Tu, inquit, potius ad Orthodoxos transi, ne, dum opiniones impiorum hominum Seueri, Eutychetis & Dioscori amplecteris, eterno igni addicaris. Simulque apprehendens Imperatoris chlamydem: Hec, ait, vestis nequaquam te post mortem sequetur, ô Imperator. sed sola comitabitur pietas ac virtutum habitus. Missam fac Ecclesiam, quam Christus suo redemit sanguine. Indo-ctus & ratiocinandi ignarus, neque ullum Ecclesie de-cretum perfectè intelligis, tantum imposturis & scurrili-bus calumnijs fatuos terres. Satis tibi sit dignitatis, quod Imperator es: Antistites Ecclesie vexare noli. Ad hęc Imperator pudore suffusus obmutuit. Pauperrimus autem cum esset ille Episcopus, ne obolum quidē ab Imperatore voluit accipere: adeò liber erat, & solius in Deum fidei ac pietatis rationem habens, terrena calcans omnia. ita Cedrenus & Zonar. to.3. Annal. in Anaftasio.

B.Casarij
libertas co-
zā Iuliano
Apostata.

Iulianus Imp. Cæsarium (vt eiusdem frater G-eor-gius Nazianz. scriptis prodidit) ijs reipubl. mu-neribus præfecit, quibus auctoritas & amplitudo inesset: quē nunc verborum lenocinijs ac ingenti-bus promissis, nunc terroribus & minis, omniq[ue] machinarū genere in suum obsequium errorem-que trahere conatus est: sed strenuus Christi ath-leta superior semper è lucta excessit, crucis oppro-brio imperij posthabens maiestatem. Cum enim non simulatum Christiani hominis figmentum, sed verus esset Christianus, certò sciebat quām ampli gloriæ laudisque thesaуri sub crucis igno-minia delitescerent. ita S.Gregor. Nazianz. orat. in funere fratris Cæsarij.

Publia con-
flantia.

Publia præfcta monialium, transente Iuliano Apostata, canebat cum suis: Simulacra Gentium ar-

A gentium & aurum, opera manuum hominum. At post-^{Psalm. 1.} quā versus, qui illa sensus omnis experientia esse pro-nuntiant, recitauerant, istum adiungebant: Suniles illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. His Julianus cū maxima animi ægritudine auditis, ius-sit, vt eo progrediente conticescerent. At Publia eius leges parui æstimans, maiori cum alacritate chorum virginum in vnu coegerit, & illo præter-eunte, denuo cantare mandauit: Exurgat Deus, &^{Psalm. 6.} dispergant inimici eius, &c. Itaque tyrannus grauiter commotus iubet eam quasi magistrum chori ad se adduci: quam licet anum propter ætatem ingra-uescentem cum primis venerandam cerneret; ta-men satelliti cuidam dat mandatum, vt vtrainque malam verberet, & genas cruentet manibus. Illa hanc cōtumeliam pro summo honore dicens do-mum reuertitur, & tyrannum, vt solebat, spiritua-libus cantilenis perstringit. ita Theodo. l.3. histor. Eccles.c.17. & Baronius tom.4. anno 362.

B Quocirca Alleg. Rupert. in Daniel.c.11. docet Danielē h̄c fuisse typum Christi patients: sicut enim Danieli insidiati sunt satrapæ, ita Christo Iudei & Scribe, idque ex inuidia. Secundò, sicut sa-trapæ Danielē ad necem adigere conati sunt per edictum Darij Medijs, ita Iudei Christum per sen-tentiam Pilati & Romanorum. Sed sicut Danieli per angelum liberato, gauisus est Darius; ita Christo à mortuis suscitato, & toto orbe prædicato, ga-uisus est orbis Romanus: mutauit leges, conuerit edi-ctū Romani imperij maiestas, Christumque prædicari precepit. Tertiò, sicut Danielis accusatores in lacum missi, mox à leonibus deuorati sunt: ita Iudei Christi hostes à Tito euersti sunt.

C Anagog. Daniel ē lacu leonum rediuius typus fuit resurrectionis, eiusq[ue] quasi prælibatio, ac vel-ut primitiæ. Quocirca mos priscus Christianorum fuit, vt in suis lepulchris inter alia resurrectionis symbola, Danielē in lacu inter leones stantem sculperent, extant eius rei in veteribus lapidibus complura exempla. Causa fuit, tum quod Daniel c.12. resurrectionem omnium clare descripsit; tum quod ipse ē lacu leonū liber egrediens, quasi ideam hominis ē tumba resurgentis expreßerit; ideoque assumptus sit in hieroglyphicum resurre-ctionis. ita Baron. in Martyrol. Iulii die 21.

C A P V T S E P T I M V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Hactenus Daniel res suas, & gesta ac somnia regum Babyloniorum enarravit: h̄c vero & de-incepis visiones suas enarrat. Itaque h̄c propriè incipit prophetia Danielis. Hoc ergo capite videt Daniel quatuor bestias, quae significant quatuor monarchias, & regnum Antichristi. Se-cundò, vers.9. videt Deum Patrem, quasi senem, iudicantem de Antichristo, & de Christo, qui Christo caussam & regnum adiudicat. Tertiò, v.21. describit regnum Antichristi. Quarto, v.27. describit regnum Christi & Sanctorum, quod omnibus alijs succedit, eritq[ue] gloriosum & aternum.

Vers.1.

Anno primo Balsasar regis Babylonis, Daniel somnium vidit: visio autem capitum eius in cubili suo: & somnium scribens, breui sermone comprehendit: summamque perstringens, ait:

2. Videbam in visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno:

D 3. Et quatuor bestiæ grandes ascende-bant de mari diuersæ inter se.

4. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt a-læ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis da-tum est ei.

5. Et ecce bestia alia similis vrso in par-te

te stetit: & tres ordines erant in ore eius; A & in dentibus eius, & sic dicebat ei: Surge, comedē carnes plurimas.

6. Post hæc a spiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi avis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.

ANNO PRIMO BALSAVAR] Ergo hæc visio Danieli obiecta est in captiuitate Babylonica, anno 27. ab euersa Ierusalem, & templo, ut patet ex dictis c. 5. t.

QVATVOR VENTI CALI PVGNABANT IN MARI] Per mare accipe mundum, qui agitur, & saltis amarisque fluctibus abundat vt mare, in quo superbia tumidi tolluntur in altum, vt profundius ruant. ita S. Hieron. & Rupert. Per quatuor ventos, vel cum S. Hieron, accipe angelos B quatuor regnum, de quibus sequitur, prælides: sunt enim angeli vt venti, inuisibilis & celeres. Vnde ait Psaltes: Qui facit angelos suos spiritus. Quomodo inter se pro suis regnis pugnant angeli, videbamus c. 10. 13. Vel potius cum Theodor. accipe tumultus, commotiones & perturbationes, quæ in exordio singulorum horum quatuor regnum exstiterunt. Porro ea omnes simul h̄c in visione Danieli repræsentantur, vti & quatuor monarchiae, licet re ipsa illæ non simul, sed vicissim & successivè exstiterint. Venti etiam notant horum regnum inconstantiam, fugacitatem, & vicissitudinem. Hinc sœpè singulis sæculis, siue centum annis, videmus singula regna in a liam familiam aut gentem transferri, vel valde immutari. Cum angelis ergo è cælo despiciet hos ventos.

Denique Orosius l. 2. histor. c. 1. & 1. 7. c. 2. ceh set quatuor hasce monarchias fuisse sitas in quatuor ventis, id est plagiis mundi. Ait enim Romanum imperium esse Occidentale; Babylonicum; Orientale; Macedonicum Septentrionale; Carthaginense (hoc enim cum Africatio pro Persico substituit, atque durasse septingentos annos) Meridionale: subditque Romanum ab Occidente consurgens hereditate Orientis fuisse nutritum, & Macedonicum ac Carthaginense partes tutoris & curatoris tenuisse: omnia enim imperia in Romanum desierunt & transierunt. Verum de Carthaginensi nulla h̄c est mentio.

QVATVOR BESTIA] Hæc significant quatuor regna, vt patet v. 17. Notant Durandus, Pighius, Driedo, & ex ijs Lüd. Molina de Iustitia tract. 2. disp. 24. hæc imperia assimilari bestijs, non hominibus, quia magna ex parte fuerunt iniustæ & ty rannice acquisita, æquæ ac gubernata. Commune c. nim vitium monarchie est tyrannis, ait Elias Cretensis in Apolog. Nazianz. orat. 1. Et S. August. lib. 4. de Ciuit. c. 4. & 6. talia regna vocat magna latrocinia. Monarchæ ergo olim erant magni latrones. Vnde piratae capti ab Alexandro Magno, & rogati quidnam agerent, responderunt se una naui agere cum paucis in parte maris, quod Alexander cum multis agebat in toto mundo; se esse paruos latrones, Alexandrum esse magnum latronem, vti ibidem refert August. Dicuntur tamen subinde hæc imperia à Deo fuisse data & concessa, Primò, quia Deus ea permisit. Secundò, quia ijs vñs est ad Iudæorum, & aliarum gentium, punitionem. Tertiò, nominatim de Cyro dicitur, quod eum Deus creavit re-

gem; quia eum direxit ad imperium hoc fine vt ille Iudæos è Babylone liberaret.

PRIMA QVASI LEÆNA] Hæc significat pri mam monarchiam, scilicet Chaldæorum; & præf. tim regnum Nabuchodonosoris, qui mirè illud auxit. hic dicitur leæna, ob potentiam & ferociam. Leæna enim leone est ferocior, maximè cum catulos nutrit. Item ob libidinem: leæna enim, teste Aristotele & Plinio, semper gestit ad coitum; nec leone contenta, etiam eum hyena & pardo miscetur: inde enim nascuntur leopardi. Sic Ieremias eundem vocat leonem c. 4. 7. Ascendit, inquit, leo de cubili suo, & predo gentium se levavit: & Isaïas c. 5. v. 29. Rigitus, inquit, eius vt leonis. Huc spectat elegans & acutum ænigma, vel potius epigramma Afini.

Vngue equus, aure lepus, leo voce, lapusq; colore
Censetur, toto sed capite est asinus,

ET ALIAS HABEBAT AQVILA] Rex hic fuit quasi mons trum: partim enim fuit leo ob sequitiam, partim aquila ob celeritatem in bellis conficiendis, nam leo fortissimus est; sed aquila velocior: aquila velocissima est, sed leo fortior. Sic Ierem. c. 4. 13. de eodem ait: Velociores aquila equi illius; & c. 48. 40. Ecce quasi aquila volabit. ita Maldon.

EVVLSE SVNT ALÆ EIVS] Primò, S. Hieron. & Theodor. hæc tribuunt Balsasari. Huius enim euulsæ sunt alæ cum occisis est, tumque apparuit hōn esse leo, sed habere cor hominis, id est, esse imbecillis ac mortalis. Secundò genuinæ & propriæ haec referenda sunt ad Nabuchodonosorem: huic enim euulsæ sunt alæ, cum ipse spoliatus imperio ad bestias missus est; sed sibi restitutus, rursumque factus homo débilis, stetit erectus, qui ante curuabatur vt bestia: habuitque cor hominis, quia suā agnouit infirmitatem, humanamque egit vitam, cum antea instar feræ ageret, & saeviret vt leo. Licet enim Nabuchodonosor iam esset mortuus (hoc enim somnium habuit Daniel anno primo Balsasatis, qui fuit eius filius) tamen sub eius persona vaticinatur de futura regni translatione; et quod illi primum regni translatio per statuam quadriformem c. 2. & per arborem succisam c. 4. præsignificata fuerit.

ET ECCE BESTIA ALIA SIMILIS VRSO] Se cunda hæc monarchia est Persarum; & vt Syrus ac Arabicus vertunt, Medorum. Illa comparatur vrso; Primò, quia vrsi patientissimi sunt laborum; & tolerantissimi inedia: nam vt docet Aristoteles l. 8. Histor. anim. cap. 17. vrsi magnam hiemis partem sine vlo pastu cibatuque transfigunt, & solo suctu priorum pedum viuunt. Idem ab vrsa fieri,

D quoties plus nimio pingue scit, tradit Ælianu s, quod pinguedine concocta fiat agilior. Vnde illa, auctore Eustathio, in Athenenses emissâ fames ab irata Diana, quod vrsam quæ in Munichio eius facello nata fuerat, occidissent, vt ita per inediâ affligerentur, quia animal inediæ patientissimum sustulissent. Tales quoque fuerunt veteres Persæ, teste Xenophonte, & S. Hieron. h̄c, scilicet laboriosi, & solo pane ac cardinomo victantes.

Secundò, quia vrsus est infirmo capite & visu: hinc si urgente vi eum præcipitare se ex rupe contingat, capite pedibus cooperito se deiicit: sœpè autem in arena colapho impacto capiti vñorum, eos examinatos fuisse tradit Plinius l. 8. c. 36. Vbi & addit; oculos in vñs sœpè hebetari, ideo eos

VERS. 4.
Chald. re-
gnum com-
parativ
leæna

VERS. 5.
Secundum
regnum
Persarum
comparativ
vrso qua-
tuor ob cælo
sas.

Prima,

alua

alucaria expetere , vt conuulneratum osab apibus leuet sanguine grauedinem. Insuper eos somno ita grauari interdum , vt ne vulneribus quidē concisi excitentur ; mirè autem eo veterno pinguescere , vti & glires dormiendo pinguescunt. Ita & Persæ , non tam prudentia , solertia , vigilantia aut robore , quām innumerabili hominum turba , aut ex ignauia hostium eis præualuerunt.

Tertia.

Tertiò , vrsi fœtus , inquit Plinius , deformatis est , videturque tantum esse caro alba & rudiſ , sine pilis , sine oculis , sine cruribus ; sed mater lambendo sensim eum ita conformat , vt perfectum & formosum reddat. Sic Cyrus Persas viles & rudes exercendo , per suam prudenteriam & artem militarem , eos sensim ad imperium prouexit.

Quarta.

Quartò , vſus ſeius eſt , vti omnes norunt : tales fuerunt & Perſe , vtpote barbari. Negat hoc Perérius : ſed afferunt S. Hieron. & Theodor. Idque patet ex eorum supplicijs in reos , & in hostes : Nam vel ipſa coria hominibus detrahebant , & membratim corpora ſecando lenta & acerba morte necabant. Quām crudeles fuerint Sapores. Isdegerdes , & alij Perſarū reges in Christianos , docet Theodor. l. 5. c. 18. & Socrates l. 7. c. 18. Denique Tomyris Cyro occiso exprobrait auditatem ſanguinis , vti mox dicam.

IN PARTE STETIT] Clarè Syrus , ad vnum latuſ ſtetiſ . q. d. Ad latuſ vnum tantum irruit , ſcilicet in Babylonios : iij enim à Cyro ſuperatis Persæ potiti ſunt imperio. ita Vatabl. Iam etiam à pluribus ſæculis Perſarū regnum in parte ſtat , quia tantum Perſide , Medianam , Aſſyriam , & pauca alia imperio ſuo continent. Aliter Hebræi , q. d. Cyrus ſtetiſ , id eſt , benignus fuit in viam gentem , putà Hebræos , cū in alias ferox irrueret. Aliter & Theodor. q. d. Regnum Perſarum ab Alexandro euersum eſt , ſtetiſ tamen in parte , quia poſtea ſub Romanis caput erexit , ſtetiſque in ſola Perſide. Verum hæc hoc loco ſunt impertinentia. Agitur enim de exordio & incremento regni Perſarum.

TRES ORDINES ERANT IN ORE EIVS] S. Hieron. vertit , tres versus ; Theodot. tria latera ; Theodor. tres ale ; alij , tres coſte in ore inter dentes eius. ita Syrus & Arabicus ; Vatabl. tres boli. Significat enim hunc vſum tres ordines non dentium , vt aliqui putant , quaſi per eos ſignificetur maxima potentia , ſed carnium vel eſcarum habuiſſe in ore , quas dentibus (vnde Chald. Graeca & Vatabl. habent , inter dentes) manderet. Vnde ſequitur : Surge , comedē , carnes plurimas. Hebrei putant hīc ſignificari tres fore reges Perſarum : ſed falluntur ; multò enim plures fuerunt. Dico ergo , hi tres ordines ſunt tria imperia , ſcilicet Babylonicum , Medicum , Perſicum , quæ in ſecunda monarchia à Cyro coniuncta & in vnum redacta ſunt. ita S. Hieron. Hinc & Theodor. tres mundi plagas hīc intelligit : Cyrus enim domuit Orientem , Cambyses Auftrum , putà Ægyptum & Æthiopiam , Darius Hyſtaspis Septemtrionem , puta Scythas.

Tomyris in-
fusaſ Cyro.

COMEDE CARNES PLVRIMAS] plurimos interfice. Hinc Tomyris regina Scytharum , cæſo Cyro caput eius in ſaccum ſanguine plenum injiciens , infultansque dixit ; Satiate Cyre ſanguine , quem ſtiiſti , & cuius infatiabilis fuſti.

Symbolicè , & quaſi Allegor. Optatus Milleuit. I. 3. cōtra Parmen. per leonem accipit perſecutionē fidelium ſub Decio & Valeriano Imp. per vſum eam quæ fuit ſub Diocletiano & Maximia-

A no. Omnibus , ait , notum eſt quid eorum opera ſit artiſtio crudelitas. Omnis locus templum erat ad ſcelus (idololatriæ ,) inquinabitur propè morientes , ignorans polluebatur infantia , à matribus partu liberi portabantur ad nefas , parentes incruenta paricidia facere cogebantur ; alij cogebantur templo Dei viui ſubuertere , alij Christiū negare , alij leges diuinæ incendere , alij thura ponere.

Tropolog. vſus , qui mellis eſt audiſ , effigiem habet libidinis , quæ voluptates corporis confeſtantur. Carnes comedit plurimas , id eſt , carnales homines plurimos. Tres habet dentium ordines : quoniam adolescentes , viros & ſenes dilaniat , quorum cani ſunt , non ſenſus , ſed capilli tantum. Comedit laniatque carnales , molles luxu , non aſperos pœnitentia , non caſtitate & pudicitia armatos. Hi enim dentes eius non metuunt.

B ET ECCE ALIA QVASI PARDVS] Tertia hæc eſt monarchia Græcorum , & Alexandri , qui pardo comparatur. Nota. Licet Solinus c. 21. pardum & pantheram ceneat eſſe duas & diuersas animalium species , tamē Aristot. Plinius , Dioscor. G. pardo. za , & alij dicunt eſſe eamdem ſpeciem , idemque animal. Pardus ergo eſt panthera aut potius πάνθη (panthera enim ſepiùſ feminam , pardus & panther marem ſignificant) id eſt plane ferus & ſexus. Vnde & aconitum παρδαλαγχες vocatur , eō quod pantheras enecet. Pardus ergo Primò eſt maculosus & varius , vt ait Ierem. cap. 13. v. 23. Secundò , ait hīc S. Hieron. eſt , velocissimus , precepſi fertur ad ſanguinem. Tertiò , eſt aſtutus , & oculis ac tota pelle diſtinctus , itaque partim pellis varietate & pulchritudine , partim odore , vt ait Plinius , animalia ad ſe allicit (occultans interim caput turpe & horridum) ac deuorat , praefertim hinnulos , ſimias , dorcades & capras filiæ ſtreſ. ita Ælian. Aristot. Volaterr. & Geſnerus in panthera. Quartò , pardales vino delectantur : vnde forſitan Poëtae fabulantur , eas olim mulieres Bacchi nutrices fuſſe , quo circa vino inebriatae etiam capiuntur. ita Oppianus & Geſnerus. Quintò , pardus eſt ſuperbus , aliasque bestias præ ſe contēnit , Plutarch. in Moral. refert apogorum de pardo: Cū , inquit , pardus aliquando vulpem præ ſe contemeret , quod ipſe pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam ; respondit vulpes , ſibi id decotis in animo eſſe , quod illi eſſet in cute : neque verò paulo ſatiuſ eſſe ingenio præditum eſſe vafro , quām cute versicolore. Sextò , eſto pardi ſint ſæui & celeres , ac , vt Claudio. ait Panegyr. 3. fulinnei , tamen vbi venatorem aut hostem ſentiunt viribus ſibi parem , ſunt meticuloſi. Vnde pantheræ cor maximum (qui enim paruum habent cor , ſunt animoſi ; qui magnum , timidi) eſt proportione , vt & reliquias timidis , propter metum maleſificij , inquit Arist. Plinius & Geſner. Animalia enim furacia & rapacia , eſto ſint audacia in prædam , tamen in venatores ſunt timida , ob maleſificij , putà furti & rapinæ , conſcientiam.

Talis per omnia fuit Alexander , nimirum pardus , ſiuſ pardalis , vt vertit Theodotion , Primò , varius & maculosus , vitijs & virtutibus ; Secundò , ſæuus & acer in prælijs ; Tertiò , ſagax & aſtutus ; Quartò , vinolentus ; Quintò , arrogans ; Sextò , mixtum audaciæ habuit pudorem & timorem : mixtos quoque habuit fortunæ caſus. Nam viuens victorijs fuit felix , moriens verò infelix ; vtpote qui à ſuis cum tota ſua stirpe fit extinctus.

Qua-

VERS. 6.
Tertium
regnum
Græcorum
comparatio

Alexandri
ambitio,
virtutes
vitia.

Quatuor aliae significant tum celeritatem viatorum: nam ipse sex annis totam Asiam, magnamque Africæ & Europæ partem subegit; tum animi magnitudinem, vigorem & ingenium quasi ignioulucere, quod Iulio Cæsari dat Plinius lib. 7. cap. 25. tum ambitionem, qua ut Deus quasi filius Iouis Hammonis, coli voluit. Unde & à sacerdote Louis Hammonij per adulacionem, salutatus est, *ω μη Διός*, id est, *δοῦλος Iouis*: pro eo quod dicere debuisset, *ω ταύτον*, id est, *δοῦλος filiole*, ait Plutarch. Qui & addit, eum, cum sagitta lauciis ingenti dolore cruciaretur, exclamasse: *Hic sanguis, amici, qui fluit est humanus, non talis Dijs ut solitus manare beatis.* Adulabuntur ei in hac sua ambitione Hages & Cleo, inquit Curtius libr. 8. qui cælum illi aperiebant, Herculemque & Liberum, & cum Polluce Castorem novo numini cœsturos esse itabant. Obstitit eis Callisthenes dicens: *Hominem consequitur aliquando, nunquam comitatur diuinitas.* Prius ab oculis mortalium amolienda est natura, quam in cælum fama peruehat. Fac aliquem regem, si Deum potes facere: facilis enim est imperium dare, quam cælum. Quocirca tandem Callisthenes ab Alexander occisus est. Quin & moriens Alexander hunc diuinitatis fumum ambivit, vt dicam c. 8. v. 8.

Porro Alexandri virtutes cum viis ita describit & comparat Curtius lib. 10. *Liquet bona naturæ eius fuisse, virtus vel fortuna vel etatis: vis incredibilis animi: laboris patientia propemodum nimia: fortitudo non inter reges modo excellens, sed inter illos quoque, quoniam hec sola virtus fuit: liberalitas sepe maiora tribuerunt, quam a diis petuntur: clementia in deuictos, tot regna aut reditura quibus ea demisperat bello, aut dono data: mortis, cuius metus ceteros exanimat, perpetua contemptio: glorie laudisq; vt insit maior cupido, ita ut iuueni, & in tantis admittenda rebus: iam pietas erga parentes, quorum Olympiadæ immortalitati consecrare decreverat, Philippum yltus erat: iam in omnes ferè amicos benignitas, erga milites benevolentia: consilium præ magnitudini animi, & quantum vix capere poterat eius etas, solertia: modicus innodiarum cupiditatum; veneris intra naturale desideriunt, usus; nec villa nisi ex permesso voluptas, ingentes profecto dotes erant. Virtus eius deinde subnequit. Virtus fortunæ, diis square se, & celestes honores accersere, & talia suadentibus oraculis credere; & dignantibus venerari ipsum vehementius quam par esset irasci: in externum habitum mutare corporis cultum: imitari deuictarum gentium mores, quas ante victoriam spreuerat. Nam iracundiam & cupidinem vini sicut inuenta irritauerat, ita senectus mitigare potuisset. Patendum est tamen, cum plurimum virtuti debuerit, plus debuisse fortunæ. Annon ergo pardus vatus & maculosus fuit Alexander? annon chamæleon? qui colorem, habitum & mores gentium à se victarum induit. Pulchrè Tertill. lib. de Pallio, Vicerat, ait, Alexander Medicam gentem (Persas,) & vietus est Medicæ vesti: triumphalem cataplaçetam amolitus, in captiuâ sarbara processit: pectus squamarum signaculis desculptum, textu pellucido tegendo nudauit, anhelum adhuc ab opere belli, & vt mollius ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, nisi illum etiam uestis inflatio delectasset. Hiric purpureum diadema albo distinctum, quale Darius gestauerat, capiti circumdedit, & uestem Persicam induit, ait Curtius:*

Denique in pardo notatur ingens gloria Alexandri, quam sibi ex tot gentium subiugatione comparavit. Hanc enim figurat variiegata, & ocellis quasi interstinæta pardi pellis, que facit eas bestias memorabiles, ait Solinus cap. 21. Sicut ergo inter aues pa-

Cornel. in Daniel.

A uo ob caudam versicolorem & ocellatam, iinanem mundi gloriam mirè exprimit; ita inter feras eamdem optimè representat pardus ocellis variegatus. Et sicut pavo in pennis superbit, in pedibus se deicit: vbi enim suos despicit pedes, speciosum plumarum orbem depfinit, expansumque contrahit: sic & pardus in ocellis superbit, at vbi pedes bestiales intuetur, fastum ponit. Ita & Alexander animos & cristas deiecit, cum pedes hominis intuitus, fragilem se & mortalem in morte agnouit. ita Alcazar in Apoc. c. 3. v. 12. p. 685.

ET QUATVOR CAPITI] Hi sunt quatuor præcipui Alexandri duces, quibus & imperium diuinit, scilicet Philippus, cui cessit Macedonia; Antigonus, cui cessit Asia Minor; Seleucus, cui Syria; Ptolemaeus Lagi, cui Ægyptius. ita S. Hier. & passim alii.

B ET POTESTAS DATA EST EI] Indicat Alexandrum non tam suis viribus, quam Dei dono suam monarchiam constituturum.

7. Post hæc aspiciebam in visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens, & reliqua pedibus suis concilians: dissimilis autem erat ceteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua deceim.

8. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.

ET ECCE BESTIA QVARTA TERRIBILIS VERS. ATQVE MIRABILIS] Est hæc quarta Romano-Quartum regnum Romanorum monarchia. Vidit Daniel certam bestiam, sed nobis incognitam, quia eam non exprimit, idque ut significet incomparabilem potentiam & ferociam Romanorum, cui significanda nulla species bestiæ nobis cognitæ satis idonea reperiatur. Quare more suo diuinant, immo nugantur Rabbinî, dum hanc bestiam volunt fuisse aprium illum de quo psal. 79. 14. Exterminauit eam aper de silua, & singularis serus depastus est eam. Quo loco prædicti putant excidium Iudææ per Romanos sub Vespasiano, vt is ipse sit aper; silua autem sit Roma, quam ante contersionem ad Christum recte S. Leo in serm. de S. Petro, vocat siluam frementium bestiarum. Verum errant: nec enim aper leæna, yrsus & pardo.

Porro Daniel quartæ huius bestiæ specie & nomen non exprimit, quia varia fuit & mōstrofa: vt significaret Romanorum regimen fore nouum, & varium. Primò enim Reges illud ad ministrarunt; Secundò, Cōsules; Tertiò, Decemviri; Quartò, rursus Cōsules, additusq; Dictator; Quintò, Imperatores, Cōsulibus & Tribunis remanetibus. Itaque una monstrosa res publica ex monarchia, aristocracia & democratis conflata est, quæ non unum imperium, sed omnia orbis imperia complexa est, ita ut Roma esset quasi cōpendio mundus, vt ait S. Cyprian. epist. 45. Taliis bestia, sed fabulosa est illa apud Lucretium lib. 5.

Prima leo, postrema draco, media ipsa chimera. Et illa apud Virgil. 4. Georg.

Aut vbi sit subito sus horridus, atraq; tigris, Squamosusq; draco, & fulva ceruice leona.

T t t t

Taliis

Talis fuit & sphinx, cuius speciem triforum, & quæ ac ænigma ab ea propositum ita describit Aulonius in Grypho ternario:

Illa etiam thalamos per tria enigmata querens,
Qui bipes, & quadrupes foret, & triples, omnia solus:
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo triforis:
Sphinx volucris pennis, pedibus fera, fronte pueræ.

Porro hoc spingis ænigma Oedipus soluit: Homo, ait, significatur, qui primùm infans manus pedibusque repit, vt quadrupes: firmior deinde & grandior, incedit bipes: demum senex & imbecillus, tamquam triples, baculo innixus graditur. Homo ergo manè est quadrupes, meridie bipes, vesperi triples.

Septem epistles Ramanorum.

Nota. Daniel hanc bestiam, putà Romanorum monarchiam, vocat Primo, terribilem; Secundo, mirabilem, id est stupendam, & horribilem; hoc enim est Chald. צְבָא entani, vnde & Thedotion verit, φοβερὸν καὶ ἐνταῦθον. Tertio, valde fortem; Quartò, ait eam habuisse dentes ferreos & magnos, id est magnos fortisque exercitus: bestiæ enim arma sunt dentes. Quinto, vocat bestiam comedentem, atque comminuentem, id est deserpentem; quod homines quasi deuorare videretur. Sexto, dixit eam reliqua quæ non comedit & discerpit, pedibus conculcasit, vt faciunt bestiæ, quæ homines non comedunt, nec occidunt, sed conculcant: quo significat fore vt Romani, quos non occiderint, tributis subigant. Septimo, dicit eam decem cornua habuisse, id est decem Reges potentes (vti ait angelus v. 24. & S. Ioannes Apocal. 17.12.) qui erunt sub finem mundi ante iudicium, vti innuit angelus v. 26. & v. 9. ac 13. Vide dicta Apocal. 17.12.

ET ECCE CORNU ALIVD PARVULVM ORTVM EST DE MEDIO EORVM] Primo, Porphyrius apud S. Hieron. censuit hoc cornu fuisse Antiochum Epiphanem, sed hic in tertia fuit Græcorum monarchia: Daniel verò modò agit de quarta Romanorum.

VERS. 8.
Cornu modicū quod?
Prima sententia, esse
Antioch.
Epiphanē.
Secunda, esse Christum.

Secundo, Iudæi volunt hoc cornu esse Christum, qui tribus annis cum dimidio prædicauit, hic bellum fecit cum sanctis, inquiunt, quia legem Mosis & Iudæorum euertit. Sed hæc blasphemia est, stolidæ & quæ ac impia. Nam si ita est, cur ergo post mortem Christi non regnant Iudæi? hoc enim de sanctis contra quos cornu illud pugnauit, afficit hic Daniel v. 18. & 27. immò verò cur post necem Christi Iudæi à Tito sunt excisi? Cur Christi regnum post eius necem magis floruit, totumque orbem sibi subegit? contrarium enim planè prophetet de cornu hoc Daniel.

Tertia, esse Papam.

Tertio, Lutherani per hoc cornu accipiunt Romanum Pontificem; sed insulæ & absurdè, vt factetur ipse Caluinus: neandum enim decem cornua, & multò minus hoc vndecimum, nata sunt; sed adhuc nascitura expectantur.

Quarta, esse Turcam.

Quarto, per hoc cornu Vatabl. & alij intelligunt Turcam, qui paruis initijs crescens, duo cornua, id est duo regna, putà Constantinopolitanum, & Ægypti; superauit, superest tertium cornu ei superandum. Aut tria hæc regna, sunt Asiae, Africæ & Ægypti; quæ ipse iam occupauit. Huc pertinet Ioannis Annij & Hectoris Pinti sententia, cornu hoc esse Mahometem. Verum nec Turca, nec Mahomet decem cornua euerit, nec tantum tribus annis cum dimidio regnauit, sed pluribus; nec adhuc nasciturus, sed iam pridem natus est.

A Ergo dicamus, ait S. Hieron. quod omnes scriptores Quinti Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum Romanorum destruendum est, decem futuros reges, quasi decem cornua, qui orientur quidem ex Romano imperio, sed non erunt Romani Imper. qui orbem Romanum inter se diuident, tumque vndecimum cornu paruum, id est, regem parvulum surrectum (scilicet Antichristum) obscuro loco natum, & plebeum, qui sensim crescens, tres reges de illis decem superaturus est, scilicet regem Ægypti, regem Africæ, & regem Aethiopie, quibus interficiet etiam reliqui septem reges illi viatori colla submittent, vt dicitur v. 24. ita S. Hieron. Theodor. Iren. lib. 5. & Lactant. lib. 7. cap. 16. Iosephus Acasta lib. 2. de Tempor. nouis. c. 9. Ribera & passim interpretes tam hic, quam Apocal. 13. & 17. Vnus dubitat S. August. lib. 20. Ciuit. 23. an decem reges non vocentur omnes reges, vt numerus finitus ponatur pro indefinito; eò quod suo tempore distinctio & diuisio Imperij, tantum Orientis & Occidentis, à Cæsaribus facta esset: erant enim duo tantum orbis Imperatores, & quasi reges. Vnde verebatur August. ne forte in hisce decem regibus eos expectantes falleremur: quia videbatur ei Antichristus non longè abesse; nec videbat quomodo tam citò duplex regnum in decuplicem scinderetur. Verum hoc iam veteri non debemus, cùm de facto idipsum videamus, atque in orbe facile decem, immò plures reges absolutos, nullique subiectos numeremus. Hinc rursus sequitur errare eos, qui per decem reges accipiunt decem Imperatores Romanos, qui olim persecuti sunt Ecclesiam, scilicet Neronem, Domitianum, Traianum, Antoninum, Seuerum, Aurelianum, Decium, Maximianum, Valerianum, & Diocletianum. Nam hi decem reges erunt in fine mundi, & tres ex eis occidet. Antichristus, mox reliqui septem territi ei se subdient. Explicari enim nequit, quomodo Nero, Decius, Seuerus, aut quis alias illorum decem primorum Imper. ab Antichristo conterendus sit. Iam, An Roma à decem regibus cuvertenda sit ante Antichristum, an sub Antichristo, differui & resolui Apocalypsi. 17.16.

D Porro dicitur rex ille habiturus oculos hominis, ne diabolum fore putemus, vti aliqui putarunt; sed hominem, in quo totus Satanus habitaturus est corporaliter. ita S. Hieron. Secundo, & melius, oculi hominis significant humanam sapientiam & prudentiam Antichristi, qua multos seducet, inquit Theodor. item humanitatis virtutisque simulationem, qua multos allicit. Maldon. verò putat per oculos notari superbiam Antichristi: hæc enim in oculis maximè appetit. Habebit etiam os loquens ingentia, quia erit homo peccati, filius perditionis, ita vt in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum. Mysticè vide S. Greg. 32. Moral. 12.

Hinc patet, Antichristum nondum venisse, tum quia hæc decem cornua, quorum tria à cornu parvulo contrita sint, nondum visa sunt; tum quia angelus v. 26. indicat eum venturum in fine mundi, & per Christum occiderendum esse, vt auferatur potentia, & conteratur, & differeat usque in finem. Vnde S. Paulus ait, quod Christus cum interficiet spiritu oris sui. Vide dicta 2. Thess. 2. 3. & sequent.

9. Aspiciebam donec throni positi sunt & antiquus dierum sedet: vestimentum eius candidum quasi nix, & capillus capitatis eius quasi lana munda: thronus eius flamme

Hammæ ignis: rotæ eius ignis accensus.

10. Fluuius igneus rapidusque egrediebatur à facie eius. millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.

11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam imperfecta esset bestia, & periret corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni:

12. aliarum quoque bestiarum ablatæ esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis usque ad tempus, & tempus.

VERS. 9.
Quinta,
regnum
Christi
gloriosum.

ASPICTIEBAM DONEC THRONI POSITI SVNT]

Nota. Post quatuor monarchias Daniel h̄c, æquè vt c.2.v.44. describit regnum Christi, quod illis succedit in fine mundi: depingit ergo Daniel h̄c Dei maiestatem, quasi de Christo & Antichristo iudicantem, causamque Christo adiudicantem, illiq̄ue regnum tradentem: regnum, inquam, non tantum spirituale, vt cap.2.v.44. sed & corporale, put̄a gloriosum, quando post quatuor monarchias, & regnum Antichristi euerum, Christus in die iudicij hostibus, put̄a reprobis, in ignem aeternum retruis, accipiet à Patre regnum stabile, quo in celo & in terra in omnem aeternitatem regnabit.

Symbolice, thronus significat Dei Primò, maiestatem; Secundò, regnum & imperium; Tertiò, potestatem iudicariam; Quartò, immobilitatem & immutabilitatem, vt docet S. Dionys. de Diuin. nom. cap.9.

Nota. Hi throni ponuntur Deo Patri; ipse enim est hic iudex. plures autem sunt, vt ipse alijs Christum regem quasi inaugurandum, eiusque Apostolos constituit; aut potius, vt per plures thronos maior sanctiorq; maiestas Dei iudicis representetur: hoc enim fit cum iudex multos, quasi consiliarios, aut rex plures principes circumfidentes habet, quam cum ipse solus sedet. Simile est Apoc. 4. & 5. Angeli ergo quasi consiliarij Dei h̄c in thronis confident, vt regna inter homines distribuant. Sic enim cap.4.17. angeli quasi iudices in causa Nabuchodonosoris, de regno ei auferendo inducuntur; In sententia, inquit, vigilum decretum est. ita Maldon.

ANTIQUVS DIERVM SEDIT] non Christus, vt vult S. Hieron. sed Deus Pater: Christus enim h̄c potius est iudicandus, quam iudex. Sedet ergo h̄c Deus Pater in tribunal, Filius vero ad eum quasi caussam acturis adducitur (simile est Apocal. c.4. & 5.) Certat enim cum Antichristo de regno, quod Pater illi attribuit. Vnde patet, directe & propriè non agi h̄c de ultimo iudicio (vt nonnulli censent) quo Christus corporaliter & visibiliter iudicabit viuos & mortuos; sed de alio spirituali & inuisibili, quo Deus Pater sub idem tempus Antichristum, omnesq; eius assecas Christi hostes conteret Christoq; subiect: sicuti simili iudicio sibi subiecit & prostravit Antiochum, Nabuchodonosorem, aliōsq; tyrannos. Recte tamen hæc omnia adaptæ diei iudicij: eius enim præludium & inchoatio h̄c describitur. Erit enim hoc Dei iudicium, extremo iudicio Christi simile, vicinum & prævium, ad illudq; viam sterinet, creando Christum iudicem;

Cornel. in Danielm.

A Nota. Maiestas Dei Patris h̄c describitur, dī-
cendo Primò, quod sit antiquus dierum; tum quia dierum est
ipse plenus est dierum; tum quia fuit ante omnes. Deus Fa-
dies & tempora; tum quia conditor est omnis tē-
poris, atque in se, suaque aeternitate eminenter cō-
tinet omnem temporis antiquitatem. Vnde S. Dionys c.10. de Diuinis nom. Dierum, ait, antiquus
ludatur Deus, propter hoc quod omnium ipse est. & xviim, & tempus, & ante dies, & ante xviim, & tempus & diem; sicut existens intransmutabilis & immobilius, & in hoc quod semper mouetur manens in seipso; & sicut xvi & temporis & dierum causa. Tum quia Filio suo antiquior est, id est prior origine; qua Filius est Deus; & etiam prior tempore, qua Filius est homo, tam denique quia immensam habet sapientiam & experientiam: hæc enim in iudice maxime requiritur, estque in senibus. nam, vt dicitur Ecclesiastici 28.8. Corona sentum multa peritia; & Iob 12.12. In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. Aliqui teste Theodoreto pro antiquis dierum, vertunt, anti-
quans dies; quod videlicet sua aeternitate transcedat omnes dies & tempora, eosque quasi se inferiores antiquet, abroget, aboleat; cum ipse stabili maneat & vegetus, expers omnis mutabilitatis, successionis & defectus.

Sic veteres, Poëtae præsertim, finixerunt Saturnum, Iouis decorumque patrem, esse senem, annisque saturum, indeque vocari Saturnum. Audi Ciceron. lib.2. de Natura deorum: Saturnum eum esse voluerunt, qui cursum & conuerstionem spatiorum ac temporum continebat: qui Deus græcæ idipsum nomen habet. Κρόνος enim dicitur, qui est idem Ζεύς, id est spatiū temporis: Saturnus autem est appellatus, quod saturatur annis. Ex se enim natos comesse singitur solitus; qui consumit etas temporum spatia, annisq; preteritis insatiable expletur. Alij Saturnum censent dici Cronon, velut à satietate intellectus: græcè enim ζόπη est satietas, νῆσ mens & intellectus. Saturnus ergo, inquit, est nomen compositum ex prima parte Latina, posteriore Græca, estque idem quod saturitas mentis, quam solus præstat Deus.

Secundò, dicitur sedisse, per catachresin, id est summa tranquillitate, auctoritate & maiestate exercuisse iudicium, quo Filio traderet ineritum ab eo regnum.

Tertiò, capillos habet candidos, id est comas, Capilli eius
quasi lana munda, id est alba, quæ nullo nisi nativo candit
colore est tincta, quia senum est canities. Rursum, capilli lanæ similes innuunt, in diuinis iudicij, etiam in extreimo illo die, multum mollitudinis & clementiae admistum iri: Deus enim fecerit rigoris sui numquam exhaustit, ait Anton. Fernand. visione 24. comment. 2. se. 2. 2.

Quarto, vestimenta habet candida; quia puriss. & vestitum
fimus est: est enim ipsa aeterna & increata lux; unde psal. 103. 2. dicitur, Amictus lumine sicut vestimento:
quia etiam candor inter omnes colores maxime
refert lucem, & plurimum habet lucis; hinc alba
vestis semper Deo tribuitur, quæ eius claritatem
& gloriam significat.

Extat hac de re priscorum magorum ænigma. Enigmatis
Est res vndeque lucida, est res vndeque obscura; est partim
lucida, partim obscura, scilicet in ordine corporum, res vndeque lucida est stella quælibet supra lunam;
obscura est vndeque aer: partim lucet, partim
obscuratur luna. In ordine vero spirituum, res vndeque
lucida est Deus & mens diuina: anima irrationalis est vndeque obscura: partim lucida, par-

Tttt 2

tim obscura est intellectus & ratio. Hinc Apost. i. Corinth. 3.12. ait quod dies Domini (puta dies extremi iudicij) in igne reuelabitur, in igne, in qua, tum proprio quo mundus conflagrabit; tum metaphorio, qui erit clarum & exactum, ac quasi igneum examen operum cuiusque. Vnde Caietan. ibidem ait: Erit dies ille claritas omnium operum; quia in igne metaphorico rigorosi examinis reuelabitur.

*Thronus
flameus.*

THRONVS EIVS FLAMMÆ IGNIS] thronus eius est flamma, immo flammæ multæ. Flammeus thronus Dei Patris significat Primò, eius gloriam inaccessam & immensam; Secundò, sinceritatem, & manifestationem publicam diuini eius iudicij; Tertiò, eiusdem efficaciam, & Antichristi ac reproborum punitionem per ignem gehennæ. Hinc à Paulo Deus vocatur ignis consumens. ita S. Hieron.

Rota ignea.

ROTA EIVS IGNIS ACCENSUS] Septuag. *ignis ardens*; Vatabl. *ignis flagrans*. Thronus hic habet rotas, siue quia tales erant olim regum throni; vnde Vatabl. Solia, inquit, regum olim erant versatilia, & uti currus triumphales, extraherentur: siue ut significet Dei tum gloriam, tum prouidentiam, quæ quasi curru rotisq; vecta per omnia discurrevit, de qua re dixi in curru Cherubim, Ezech. 1. 15. Significatur ergo hic, quod Deus Pater quasi immobilis secundum naturam quidem in throno confideat, secundum tamen rotas suæ potestatis & efficacitatis, per omnia quæ in caelo & in terra sunt, permeat efficacissimè & celerrimè, ideoque rotæ sunt ignæ. Confirmatur ex hoc loco vsus Ecclesiasticus pingendi Deum: cur enim quem Script. verbis pingit, immo qui seipsum imagine hac sui in phantasia Danielis depinxit, nobis simili imagine & coloribus pingere non liceat? non enim per imaginem conatur Dei naturam exprimere, vt pote quæ neque coloribus, neque verbis, neque cogitatione pingi potest; sed ut eius effecta & proprietates hac ratione, qua vna id possumus, exprimamus, quemadmodum angelos, iustitiam, prudentiam, ceteraque virtutes pingere solemus ita. Maldon. Quod enim describitur, idem & pingitur, cum sit eadem ratio utriusque, styli nimirum & penicilli. Hinc Spiritus S. pingitur specie columbae, quia hac descendit in Christum; & specie linguarū ignearum, quia hac illapsus est in Apostolos die Pentecostes.

Allegor.

Allegoricè, Rupert. Thronus, inquit, Dei est Ecclesia, & singuli Sancti, perinde ut inter angelos ordo Thronorum dicitur ex eo, quod ipsi sint quasi throni Dei. Thronus ergo Dei est S. Petrus, S. Paulus, S. Franciscus, &c. Nix & lana munda est gratia & remissio peccatorum. Fluuius igneus est Spiritus sanctus, datus in Pentecoste: tunc Ecclesia habuit rotas igneas, id est predicatores amore Dei succensos. Hi enim vocantur rotæ ignæ; Quia cum ex Dei desiderio per varia loca discurrunt, vnde ipsi ardentes, alios accendunt, inquit S. Gregor. hom. 5. in Ezechiel. Vnde tunc millia millium hominum, id est innumerabiles, cooperunt ministrare Deo per vitam actiunam, & alii eidem assistere per vitam contemplatiuam.

*Vers. 10.
Fluuius
igneus.*

FLUVIUS IGNEVS RAPIDVSQVE] Quasi ex igneo fonte (instar Aetnae) Deo, fluuius igneus emanat, qui significat sententiam eius, vt pote summi iudicis efficacissimam & celerrimam, inquit S. Hieron. Hic ergo fluuius est gladius anceps, utrimque acutus & scindens, quem procedere de ore Christi iudicis vidit Ioan. Apocal. 1. 16. de quo & Moysi dixit Deus Deuter. 32. 41. Si acuero ut ful-

A gur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea; Idem ergo est fluuius igneus rapidusq; quod gladius fulgorans, ac rapidè vibratus in iudicium, qui instar citatissimi fluminis Antichristum, aliquique hostes Christi prosternet, afflabit, & in tartaru precipitat. Alij per hunc fluuium igneum accipiunt ignem conflagrationis mundi, de quo dicitur psal. 96. 3. Ignis ante ipsum precedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Verum huc iudicium, non Christi, sed Dei Patris pro Christo contra Antichristum describitur, vt dixi ver. 9. Prior ergo sensus est genuinus.

Symbolicè, S. Dionysius de Cœlesti hier. c. vlt. has *symbola* rotas, currus & flumen adaptat angelis Dei. Ignea, inquit, flumina diuinos significant latives, largissimam angelis atque indeficientem inundationis copiam largientes, B vitalisq; fecunditatis altores: currus autem coniunctam similitum & equalium societatem signant: rotæ vero que altæ quidem sunt, ceterum in anteriora semper absque villa conuersione, in nullam partem declinando, incedunt, vim profectâ actionis angelicæ, que rectam semper viam atque arduam pergunt, insinuant. Quippe omnis illorum cursus, spiritualisq; rotatus, ad viam illam erectam atque arduam celesti intentione dirigitur. Deinde aliud rotarum afferit sensum. Est enim (inquit) eis, ut Prophetæ (Daniel) ait, cognomen inditum galil, quod Hebraeorum voce revelationes ac revolutiones significat: ignæ namque & diuina rotæ regyrationes quidem habent, quod semper eterno motu circa summum idem versentur bonum: revolutiones autem, quod occulta sacramenta reuelent, & humiliores quosque promoueant, sublimesq; diuini fulgoris radios in inferiora agmina descendendo transfundant.

MILLIA MILLIVM] Septuag. *χιλια χιλιαδες*, id est, millies millia, id est millio, putat decies centena millia. Secundò, & melius, millies millia, id est, plurima millia angelorum ministrabant Deo: non enim certum ministrantium numerum designat, sed tantum significat eum esse maximum. Tertull. contra Præxeam legit, *millies centies centena millia assisterant ei, & millies centena millia apparabant ei*. Præclarè S. Sophronius Archiepiscop. Hierosolymæ tomo 2. Biblioth. SS. Patrum orat. 6. de angelorum excellencia cosita compellat & inuocat: *Vos omnium regis estis ministri, vos venti, & spiritus, & aqua, & principes, & equi, & exercitus, & Diaconi, & Apostoli, & predicatores, & Prophetæ, & Evangelistæ, & rerum diuinarum interpretes, & custodes, & presides, & conseruatores, & abactores, & conductores, & vie duces, & inquisidores, & libripendes, & calculatores, & curatores, & illuminatores, & opum datores, & luminaria, & lampades, & montes, & colles, & nubes, & indices, & susceptores, & relatores, & defensores, & decertatores, & propugnatores, & diuina specula, & simulacra, & imagines, & nautæ, & naues, & gubernatores. Vos y estis qui celum cursu expeditissimo transmittitis, qui Creatoris voluntatem indefesse perficitis, qui mentes Dei, tabernacula appellamini, qui carbones, & turbines, & flammæ nominamini; conseruate vitam meam inoffensam, spem infraetiam, dilectionem erga Deum & proximum integrum.*

ET DECIES MILLIES CENTENA MILLIA] id est, mille milliones. Errant ergo in computu, qui putant esse tantum centies centena millia, id est decem milliones, cum sint mille; Syrus & Arabicus, *μυριαδες*, id est decies millies dena millia, id est centum milliones. Verum, vt dixi, non significatur hic numerus certus, sed indefinitus, ilque maximus. Myriades ergo myriadum, idem est quod pluri-

plurimæ myriades. Vnde Cyrus Hierosol. catechesi 15. notat longè plures esse angelorum myriades, Daniel tamen has tantum consignare, quia maiorem numerum, quem homines mente concipere possent, exprimere nequibat. Sensus ergo est q.d. Plurimi, & quasi innumerabiles angeli assistebant ei. Hinc S. Dionys. & Theologi docent, numerum angelorum propriè quidem non esse infinitum, sed limitatum & finitum; etiundem tamen esse plurimum, & hominibus incomprehensibilem, ac superare numerum rerum corporeatum, adeò vt S. Dionys. Celest. hier. 13. & 14. afferat eum soli Deo esse cognitum. S. Ambros. explicans parabolam ouis centesimæ perditæ & redictæ à Christo, Lucæ 1.5. innuit omnes homines esse centesimam portionem numeri angelorum. Vide Gabr. Vasquez 1.p.q.53. disp. 180.

Rituum ex hoc loco S. Dionys. D. Thom. 1.p.q. 112. a.2. & 3. & eius asseclæ ibidem, distinguunt, angelos ministrantes, qui scilicet à Deo in terram, & ad homines mittuntur, ab assistentibus, qui Deo semper assistunt; adduntque, quatuor supremos ordines, scilicet Seraphim, Cherubim, Thronos & Dominationes esse assistentium; reliquos quinque inferiores esse ministrantium, illosque his longè esse numerosiores.

Verùm ad Hebr. 1.14. docui omnes angelos esse ministrantes. nam, vt ait Apostolus, *omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi*: esto alij, vt inferiores, crebrius mittantur; alij, vt superiores, rarius. Deoque ferè semper assistant: & hac ratione hi assistentes, illi ministrantes dici possunt.

Adde, hoc loco non esse diuersa angelorum officia, assistere, & ministrare; sed unum idemque: est enim posterius prioris repetitio, iuxta can. 25. solent enim qui ministrant astare Dominino, intentosque in illum oculos habere; nec alter eos omnes ministrare videre potuit Daniel. Ita Gabriel, qui est ex assistentibus, vt patet Lucæ 1.19. est etiam ex ministrantibus qui foras mittuntur. nam missus est ad Daniel cap. 8. 16. & ad B. Virginem Lucæ 1.26. Ita Michael, qui Angelorum, & consequenter Seraphinorum, Deo assistentium est primus, ministrat, & pugnat pro Ecclesia & fidelibus, Daniel. 10.13. & cap. 12.1. Ita septem spiritus, id est principes angelorum, qui in con-spectu throni Dei sunt Apocal. 1.4. ideoque sunt ex assistentibus, dicuntur *missi in omnem terram*, c. 5.6. Idem ergo sunt assistentes, qui & ministrantes: quia quocumque mittantur, semper vident faciem Patris, vt ait Christus Matth. 18.10. Propriè tamen dicuntur assistere, cum Deo astant in celo empyreo; ministrare verò, cum foras mittuntur. ita Molina 1.p.q.112.

Quòd verò numerus posterior maior sit prior, id tantum confirmationis & atxesis causa fit, ad declarandam angelorum innumerabilitatem. Sic enim cum maximum numerum militum vidimus, dicimus nos vidisse decem millia, moxque resumpto spiritu, cum putamus nos nimis parum dixisse, addimus, dicimusque nos vidisse viginti, imò triginta millia. ita Maldon. Tropolog. S. Clemens l.5. Constit. Apost. c. 14. hunc numerum refert ad homines fideles & electos. Hi enim, inquit, sunt plenitudo numeri eorum, qui salvi sunt, *Millia millionum*, & decies millia centena millionum.

Moraliter, dum psallis cogitā, *In conspectu angelorum*, imò cum angelis, *psallam tibi*: dum oras, hæc tibi Coræl. in Danielē.

A sit compositio loci, vt cogites te coram Deo confiteste, cui tot myriades angelorum ministrant: dum doces, dum studes, dum operaris, cogita, Illi, & in eius presentia doceo, studio, operor, cui millia milia ministrant, & decies millies centena millia assistunt. Quanta ergo cum reverentia, quanto timore, quanta illuc humilitate accedere debet à palude sua procedens & repens ranuncula vilius? quialis est omnis homo, etiam reges, vt Alexander & Darius cap. 8.3.) quam tremebundus, quam supplex, quam denique humilius & sollicitus, & toto intentus animo maiestati glorie, in præsencia angelorum, in concilio iustorum & congregatio[n]e assistere poterit miser homuncio? In cunctis igitur actionibus nostris multa opus est animi vigilancia, sed precipue in oratione, ait S. Bern. ferm. de quatuor modis orandi.

IUDICIVM SEDIT] Iudicium, id est iudex, vel iudicēs, siue tota iudicium corona & ordo, vt ait glossa, scilicet Deus Pater, cuiusque assessorēs angelī vīsi sunt mihi sedere in thronis. Sic dicimus, magistratus sedit, vel decreuit hoc aut illud, id est ij qui sunt ē magistratu, sedērunt vel decreuerunt. Cōgruum est vt iudices sedēant, tum ad auctoritatē, tum ad tranquillē & sedatē iudicandum. Nam, vt ait Aristot. l.6. Physic. *Sedendo, & quiescendo anima sit prudens;* quia hoc situ anima quiescit, nec distrahit mens ad alia agenda, aut cogitanda. Porro iudicium hoc est Dei Patris, vt dixi, quod tamē perficiet & complebit Christus in die iudicij, damnando impios.

ET LIBRI APERTI SVNT] Per libros accipē non hominum conscientias, que scriptae sunt non sacramenta, sed flagitorum inquinamento, inquit S. Ambros. in psalm. 1. & Theodor. (nec enim Antichristus, cuiusque conscientia in hoc Dei Patris iudicio comparuit,) neque librum vitæ & mortis, vt S. Hieron. neque vetus & nouum testamentum, vt alij; sed accusatorum obiectiones, & defendantium patronorum responsiones. Tria enim librorum genera in Dei iudicio sunt: unus liber est attorney in Deo apertus, & alius liber apertus est qui est vita. Vide ibi dicta. Significat ergo hic Daniel, in diuino iudicio astantibus angelis, de quarta bestia, de quaē eius undecimo cornu, id est de Romano Imperio, & Antichristo disputatum esse, librosque tam accusantium quam defendantium apertos fuisse: id est, expositas fuisse in utramque partem rationes, ac praesertim quod iam impleta esset mensura peccatorum Antichristi, omniumque eius asseclarum. Denique examine adhibito pronuntiatam esse sententiam, quartam bestiam de medio tollendam, regnumque aeternum Christo tradendum esse. Erit catachresis, ita Maldon. Dogmaticè libris hisce apertis significatur, iudicis esse diligenter iura, causæque acta euoluere, ne parti faciat iniuriam. Nam ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis, ait S. August. l.19. de Cœnit. 6.

Moraliter, vide quid hic agas: quidquid enim eggeris, in libris hisce scribitur, qui hic clausi sunt, sed pandentur & legentur in die iudicij. Audi S. Basil. l. de Vera virgin. Que prius corpore, quasi ueste co-tecti, minime habere putabamur, ea nuda se omnū oculis ingerent, nullusq; iam vel negationi, vel desensioni erit locus, quando ipsa cerneretur opera in suo auctore conspicua. Non enim confusè, sed singula per partes, vt sese habeant, velut in pictura nescientur. Et S. Ephrem lib. de Vera

pcenit.c.4.Vnusquisque cernet ante faciem suam exposita opera sua,sine bona illa , sine mala p̄emisit. Formidabiles libri aperientur,in quibus scripta sunt opera nostra,& actus, & verba , & quæcumque egimus in hac vita : nec solum actus, sed & cogitationes & intentiones cordis.Et S.Chrysostom.5.in epist.ad Rom. Quid,inquit, tunc nobis misericordia fiet , cum omnia orbi vniuerso palam facta in tam aperto,tamq; illustri theatro deuadata , hominum partim nobis cognitorum , partim incognitorum oculis subiiciuntur ? Tunc,vt ait Isaias cap.24.23. Erubescet luna, & confundetur sol. Et S.Ambros. in Apologia David, Vae, ait,mibi,quia latere cupio, & latere non possum : quomodo enim latebo , qui inscripta in pectore meo gero meorum indicia peccatorum?Et S.August.in psal.49.v.21. ad illa verba : Arguam te , & statuam contra facient tuam: Ordinabuntur , ait , ante infelicem animam peccata sua,vt & eam comunicat probatio , & confundat agnitione. Et S.Bernard.in tract.deConuers.ad Cleric.c.2. Aperitur, ait, conscientie liber, revolutur misera vita series, tristis quedam historia replicatur, illuminatur ratio, & euoluta memoria velut quibusdam eius oculis exhibetur. Vtragi, vero non tam ipsius est anima,quam anima ipsa,vt eadem sit & inspiciens & inspecta,contra suam statuta faciem: & à violentis quibusdam apparitoribus, immisarum utique cogitationum, iudicanda cogitur afflere tribunal.

Symbolice,S.Greg.33.Moral.6.Christum visum in iudicio vocat librum vitæ. Liber,inquit, vita est ipsa visio aduentoris iudicis,in quo quasi scriptū est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quid non fecit intelliget. Et S.Anselm.in Elucidario,librum vitæ ait esse vitam Iesu, quæ omnibus est norma vivendi, & quasi lex per quam omnes iudicabuntur.

VERS. II. ASPICIEBAM PROPTER VOCEM SERMONVM GRANDIVM] q.d. Spectabam quæ exitu habitura essent verba illa,superbiae & contumeliae in Deum plena,quæ quartæ bestiæ cornu undecimum, putà Antichristus,loquebatur ; ac paulò post vidi bestiā ipsam interimi & igni tradi, id est vidi Romanum Imperium prorsus aboliri, & quasi in cinere redigi.

VERS. 12. ALIARVM QVOQUE BESTIARVM ABLATA ESSET POTESTAS] q.d. Vidi etiam tria priora imperia , putà Babyloniorum , Persarum & Græcorum periisse.

ET TEMPORA VITÆ CONSTITUTA ESSENT EIS VSQVE AD TEMPVS , ET TEMPVS] Chald. תְּמִימָה וְתִּזְמָה ad Zeman veiddan , id est usque ad tempus , & definitam periodum à Deo ; quæ euoluta, vidi ea occidere & euerti : nec enim positos à Deo terminos excedere potuerunt.

13. Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce eum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat , & usque ad antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum.

14. Et dedit ei potestatem , & honorem, & regnum : & omnes populi,tribus, & linguae ipsi seruient:potestas eius potestas æterna,quæ nō auferetur: & regnum eius,quod non corrupetur.

15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & visiones capitum mei conturbauerunt me.

16. Accessi ad unum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me :

A 17.Hæ quatuor bestiæ magnæ,quattuor sunt regna,quæ consurgent de terra.

CVM NVRIBVS CÆLI QVASI FILIVS HOMINIS VERS. I, VENIEBAT] Nota τὸ καὶ, q.d. Visus sum mihi videre in somnis aliquem instar hominis, vel habentem formam & speciem hominis, aduenientem ad iudicem, sc. Deum patrem, qui se debat in throno: non enim videbat verum hominem, sed tantum hominis speciem, & phantasma à Deo sibi obiectum. Adeo, Christus qui notatur, nequid factus erat, sed adhuc futurus erat homo; hoc innuit τὸ καὶ. Tertio, Maldon. censet τὸ καὶ, non significare Christum non fore verum hominem, sed eum fore plusquam hominem; itaque in tempore præstituto demissam fuisse diuinitatem in illo, vt, cum verus sit Deus, sic tamen appareret quasi tantum esset homo. Vnde S. Paulus Philip.2.7. ait : Exinanuit semetipsum formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus ut homo. Hic sensus sublimior est, prior verò planior & solidior. Vnde Cyrill.lib.2.in Ioan. c.73.ex hoc loco probat Christum non qua Deus, sed qua homo est, fore iudicem hominum.

Nota Primò. Pro quasi filius hominis, chaldaicè est שׁבֵּר אֲנָשׁוֹן kebar enos, id est quasi filius hominis miseri, ærumnosi, mox morituri, obliuiosi, & obliuioni tradendi, hæc enim omnia significat enos. Vnde Psaltes admirans Dei in homines benignitatem ; Quid est,inquit,homo (hebr. enos) quod memor es eius? Hic ergo titulus, filius enos, est titulus summæ dignationis, quæ in incarnatione assumpsit Christus, dum noster frater & consanguineus arctè fieri voluit, vt simul nostras ærumnas suscipere & sentire voluerit, vt eas in se expiatet , itaq; eas in nobis curaret & aboleret. Hæc est philanthropia, id est singularis & mirificus ille in homines amor, quæ admirans Apostolus ait ad Titum 3.4. Apparuit benignitas & humanitas (græcè φιλανθρωπία) saluatoris nostri Dei. Hoc est magnū pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, &c.i. Tim.3.v.16.nimirum quod Verbum factum est caro : Verbū, inquam, illud æternū, omniscium, omnipotens, Deo consubstantiale , ipseque Deus, de quo paulò antè dixerat Ioan.c.1.1.In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, hoc Verbum factum est caro, id est homo carnatus, fragilis, vilis & miser. Rursum filius hominis, id est homo. Dicitur tamen filius, vt noua significetur dignatio ipsius, quæ nō à Deo creari, vt creati sunt Adam & Eva; sed ex homine, putà ex virgine, nasci dignatus est, vt id est virginis & Dei filius, virginis quasi matri subditus & obediens. Quocirca merito exclarat S.Bern. serm.1.super Missus est. Ut rimque stupor, ut rimque miraculum ; & quod semina Deus obtemperat, humilitas absque exemplo; & quod semina principiatur Deo, sublimitas sine socio. Erubescit ciuis : Deus se humiliat, & tu te exaltas? Atque ob hanc Christi immensam demissionem Deus in immensum exaltavit illum, fecitque cum qua homo est, regem angelorum, hominum & totius mundi, principem & iudicem omnium, vt ait hic Daniel, & S.Ioann.c.5. 27.Dedit, ait, ei iudicium facere, quia filius hominis est.

Nota Secundò. Loquitur hic Daniel non de Christi ascensu ad cælum, vt volunt aliqui, sed de aduentu eius ad iudicium. Veniet enim in nubibus cæli Matth.24.30.sed antequam descendat ad iudicium, dicitur hic ad Patrem, vt subiiciat illi hostes , putà Antichristum, aliosque infideles & improbos,

probos, vtque illi omnem potestatem iudicandi A tradat. Porro nubes lucida & gloria symbolū est & velamentū diuinitatis, qua de re dixi Ezech. 1.4.

OBTULERVNT EVM] Chald. est **הַקְרִבָּה**, hæc rebubi, id est adduxerunt eum: hæc verba ergo non vim, sed honorem significant; scilicet quod Christus accinctus ad iudicium, multis angelis comitantibus ac deducentibus, adierit Patrem, indeque accepta potestate cum eis descenderit ad iudicium, vt dicitur Math. 16.27. Angeli ergo obtulerunt Christum Patri. Vnde Tertull. lib. 3. contra Marc. 7. & S. Iustin. contra Tryphon, legunt, & assisterant ei, adduxerunt eum; & S. Cyprian. lib. 2. testim. & qui assisterant ei, obrulerunt eum.

VERS. 14. ET DEDIT EI POTESTATEM iudicandi & regnandi: licet enim eam habuerit Christus à primo instanti conceptionis suæ in actu primo, tamen in die iudicij eamdem à Patre accipiet in actu secundo, siue quoad exercitium, vt scilicet eamdem actu exerceat, & re ipsa iudicium peragat.

ET OMNES POPVL, TRIBVS ET LINGVÆ IPSI SERVIENT] S. Iustin. & S. Cyprian. loco iam citato legunt, omnes reges terre per genus; & omnis claritas (omnes clarissimi) seruient ei.

VERS. 15. HORRVT SPIRVTUS MEVS] Chald. est, excisus vel abbreviatus est spiritus meus, Danielis inquam, in medio vaginæ eius. Vagina animæ est corpus, q.d. Deliquum animi passus sum præ turbatione, & animo fui destitutus, ac quasi exanimatus. Quis non horreat, hæc omnia, ac præsertim rigidum Dei iudicium considerans, in quo impiis omnia erunt terribilia? A dextris erunt peccata, à sinistris dæmonia, subitus horrens infernus, suprà iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia vrens: ubi iustus vix saluabitur, miser impius quid faciet? latere erit impossibile, apparere intolerabile, inquit S. Bernard. tract. de Inter. domo c. 38. Iudicaturo Domino, inquit S. Hieron. ad Heledorum, lugubre mundus innugiet, tribus ad tribū pectora ferient, potissimum quondam reges nudo latere palpitabunt. Merito ergo monet S. Bern. serm. 55. in Cant. Time scrutinium iudicis, time illum qui per Prophetā dicit: Scrutabor Ierusalem in lucernis: acuto visu est, nihil inscrutatum relinquat oculus eius. Audi voces iudicatorum & damnatorum, Sap. 5. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum; nos infensi vitam illorum estimabamus insaniam. ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos fors illorum est. Ergo errauimus à via veritatis, & sol intelligentiae non est ortus nobis. Quid hīc consilij? audi & fac quod fuggerit S. Bern. loco cit. Vnum est, si nos metipsoſ diu dicauerimus, non vtique diu dicabimur, bonum iudicium, quod me illi destricto diuinog, iudicio subducit & abscondit. Proſsus horro incide in manus Dei viuentis. volo vultui ira iudicatus presentari, non iudicandus. iudicabo proinde mala mea, iudicabo & bona: scrutabor vias meas, & studia mea, quòd is, qui scrutaturis est Ierusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me, nihil indiscutsum inueniat. Idem consilium dat S. Aug. serm. 181. de Tempore. Hac de causa Iacobus Patriarcha Hierosolymorū, qui deinde Pontifex, Urbanus IV. est appellatus, symbolum præferebat, cor hominis palpitan in spineto, cum epigrapha, Recordare nouissimorum, ut refert Sadoletus in Symbol. tom. 2. p. 78.

VERS. 17. QVATVOR SVNT REGNA] Chald. quatuor sunt reges; sed reges pro regnis accipiunt: non enim hīc de personis, sed de rebus & regnis agitur.

CONSVRGENT] tria ultima; nam primum, scilicet Chaldaeorum, regnum iam surrexit.

18. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi: & obtinebunt regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum.

19. Post hoc volvi diligenter discere de bestia quarta, quæ erat dissimilis valde ab omnibus, & terribilis nimis: dentes & vngues eius ferrei: comedebat, & comminebat, & reliqua pedibus suis conculcabat:

20. & de cornibus decem, quæ habebat in capite: & de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua: & de cornu illo, quod habebat oculos, & os longens grandia, & maius erat ceteris.

21. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos, & præualebat eis,

22. donec venit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis Excelsi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt sancti.

23. Et sic ait: Bestia quarta, regnum quartum erit in terra, quod maius erit omnibus regnis, & deuorabit vniuersam terram, & conculcabit, & comminuet eam.

24. Porro cornua decem ipsius regni, decem reges erunt: & alias consurget post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit.

25. Et sermones contra Excelsum loqueruntur, & sanctos Altissimi conteret: & putabit quod possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

26. Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat usque in finem.

SVSCIPIENT AVTEM REGNUM SANCTI DEI ALTISSIMI] Ita vertunt & Septuag. Vatabl. & alij, perperam ergo vertit Caluinus, suscipiant, sci-licet quatuor regna iam dicta, regnum sanctorum, id est sanctis debitum q.d. Hæc, quatuor regna in terra regnabunt, & occupabunt regnum, quod occupare deberet Sancti. Perperam inquam: nam quatuor hæc regna non regnabunt in sæculum & in sæculum sæculorum; quod tamen hīc dicitur. Significatur ergo hīc regnum felix & beatum, quod post quatuor regna inibunt Sancti in die iudicij, qui tum resurgent, & tam corpore quam animo beabuntur, regnabuntque cum Christo in æternum. Hinc patet, Sanctos omnes in cælo fore reges cælestes & æternos, qui cælo totique orbi dominabuntur. Vnde Apocal. 5.10. canunt, Fecisti nos Deo nostro regnum & sacerdotes, & regnabimus super terram. Idque meruerunt tum sua humilitate, qua in hac vita fuerunt viles, despiciunt, & vexati ab impijs & Antichristianis: vnde Christus id eis promisit, dicens Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum celorum. tum sua fortitudine, qua sensibus, concupiscentijs, membris, opibus, honoribus, crucibus & morti dominati sunt.

VERS. 18.

SANCTI DEI ALTISSIMI] Chaldaicè est קָדְשֵׁי יְהוָה kaddise elionin, id est sancti altissimorum, id est sancti Dei altissimi: intelligitur enim elohim, quod quia est plurale, hinc etiam eius epithetum elionin, id est altissimorum, est plurale. Alter Maldon: censet enim Beatos vocari sanctos altissimorum, eò quòd locorum & bonorum altissimorum in cælis heredes sint, habitatores & possessores; eò quòd h̄c altiore in terris vitam egerint, dicentes cum Paulo: Nostra conuersatio in cælo est; & cum Isaia, Sustollam te super altitudines terre.

A fuerit abomination in desolationem, dies mille ducenti nonaginta, qui circiter tres annos cum dimidio efficiunt. Secundò, quia ita explicat S. Ioannes Apo- Secund. cal. 12.6. cùm ait mulierem, id est Ecclesiam, tempore Antichristi fugisse in solitudinem per dies 1260, qui faciunt tres annos cum dimidio; & rursus v. 4. ait datas esse mulieri alas, vt volaret in solitudinem usque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis: & cap. 13.5. datam esse ait potestatem Antichristo per menses 42, qui pariter tres annos cum dimidio efficiunt. Tertiò, quia erit tunc acer- Terti. rima persecutio: unde Deus illi breue tempus constituit, ne in errorem inducantur electi, qui utique caderent si illa diutius duraret, vti ait Christus Quart. Matth. 24.22. Quartò, quia decet, vt Antichristus non permittatur diutius regnare & prædicare quām Christus, qui tres annos cum dimidio euangelizauit.

Hinc patet perperam nonnullos hos tres annos cum dimidio, referre ad persecutionem Antiochi; præsertim quia post hos annos mox iudicium sedebit, vt regnum detur populo sanctorum in cælis, vti subdit Daniel. Peius alij referunt hos annos ad tempus, quo Nero, alij Imperatores Romani persecuti sunt Ecclesiam.

Nota. Pro Chaldaeo יְמִינָה id est tempora, forte legendum est in duali יְמִינָה id est duo tempora, quamquam iddanain plurale etiam pro duali ponitur: quia Chaldae rarius duali, plurimque verò plurali, etiam pro duali, vtuntur, vti docet Guido Fabricius in Grammat. Syrochaldæa.

IVDICIVM SEDEBIT] iudices sedebunt, patera Deus Pater eiusque angeli, qui auferent potentiam Antichristi, & dabunt regnum aeternum populo sanctorum, vti dixit v. 10. ibi enim figuram, sive symbolum à se visum narravit; h̄c verò illud explicat.

27. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes reges seruient ei, & obedient.

28 Hucusque finis verbi. Ego Daniel multum cogitationibus meis conturbabar, & facies mea mutata est in me: verbum autem in corde meo conseruavi.

MAGNITVDO REGNI, QVÆ EST SVPER OM- VERS. 27. NE CÆLVVM, DETVR POPVLQ SANCTORVM] Est hæc quinta monarchia, sive regnum sanctorum. Regnū sanctorum, quodnam erit hoc regnum? Respondet Porphyrius fuisse regnum Machabæorum: hi Prima sent. enim vocantur sancti, quia pro Deo & lege pugnauerunt. Verum errat: nam illorum regnum non fuit aeternum, sed tantum stetit in Iuda, Ionatha & Simone, per 32. annos; deinde in posteris Simonis stetit usque ad Herodem per annos 126.

Secundò, alij, vt Papias & Chiliaстæ, per regnum hoc accipiunt mille annos, quibus ipsi pueri sancti Sanctorum post resurrectionem in terra regnaturum, qui turos cum Christo, ex Apocal. 20. v. 4. Verum hoc regnum est fabulosum, & esto esset verum, non terra regnatum erit aeternum.

Dico ergo, certum est hoc regnum fore Christi Tertia & Sanctorum, illudque non tantum spirituale, vera, esse quale fuit in terra, cùm ipsi persecutionibus, martyris in celo.

VERS. 19. DE BESTIA QVARTA] Hæc est quarta monarchia Roman. cornua decem sunt decem reges futuri: cornu undecimum erit Antichristus, vti dixi v. 7. hoc præualuit sanctis, donec venit antiquus dierum, eiusque tyrannidem condemnauit, atque regnum tradidit Christo, & Sanctis eius, vti in sequent. explicat Daniel.

VERS. 22. IVDICIVM DEDIT SANCTIS] Iudicium, id est potestate & auctoritatem iudicandi; quia Sancti, præsertim Apostoli, eorumque sequaces, iudicabunt cum Christo, 1. Corinth. 6. 3. Matth. 19. 28.

Aliter Maldon. iudicium dedit sanctis, id est, inquit, sententiam protulit secundum sanctos, aut in favorem sanctorum, adiudicauit sanctis regnum cælestis: sicut dicitur psalm. 81. 3. Iudicare pupillo, & viduae, id est in fauorem pupilli & viduae.

VERS. 25. ET SANCTOS ALTISSIMI CONTERET] Chald. est אֲלֹתָב ieballe, id est veterascere faciet, atteret, consumet, vt vestes vetustate consumuntur. Unde Septuag. vertunt, παλαιώσει, id est veterascere faciet: pro quo alij corrupte legunt παλαιότες, id est seducet; S. Iustin. contra Tryph. πατασπέψει, id est cueret; alij, πανεύσει, id est humiliabit.

ET PVTABIT QVOD POSSIT MVTARE TEMPORA ET LEGES] Tempora, Chald. יְמִינָה zimmin, quod idem est cum Hebræo יְמִינָה moëdim, id est statuta tempora, putâ stata festa, vt Paschæ, Pentecostes, Dominicæ, &c. & leges, Chald. יְמִינָה vedat, id est, & legem, scilicet Euangelicam, q.d. Antichristus abolebit festa omnia, omnemque legem tam Christi, quām Mosis, nouamque suam sectam & religionem in mundum inducit.

Aliter Maldon tempora, ait, sunt præscripti à Deo singulis regnis termini: leges sunt Dei decreta, quibus constitutum est vt hoc regnum tantum, illud tantum temporis duret: quia, inquit, h̄c agitur de regnis, & de iudicijs diuinis. Verum hoc remotius & obscurius est: prior ergo sensus est planior & germanior.

VSLVÉ AD TEMPVS, ET TEMPORA, ET DIMIDIVM TEMPORIS] Hic non est zimmin, vel Dzeman, vt paulò antè, sed יְמִינָה idan, quod respondet Hebræo יְמִינָה et, id est tempus. Caluinus vult per hæc non certum, sed incertum tempus, quo regnabit Antichristus, id est Pontifex Romanus, significari. Verum S. Hieron. Theod. Vatabl. h̄c S. August. libr. 20. Ciuit. 25. Iren. l. 30. Cyrill. catech. 25. Hippolyt. de Consum. saeculi, & passim veteres, per tempus accipiunt annum, per tempora duos annos, per dimidium temporis dimidium annum; indeque communiter docent, Antichristum vt monarcham regnaturum tres annos cum dimidio. Probatur id Primò, quia ita se explicat Daniel cap. 12. cùm enim v. 7. dixisset desolationem Antichristi duraturam in tempus, & tempora, & dimidium temporis, mox ea v. 1. explicat dicens: A tempore quo ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita

Antichristus regnabit monar-
cha tres
annos cum
medio,

Probatur
Primò.

tyrijs & morti essent obnoxij: sed etiam corporale ac gloriosum, quo scilicet Sancti & corpore & anima beati, cum Christo in cælis gloriose regnabunt in sæcula sæculorum. Porro hoc regnum inchoabit Christus & Sancti in terra, mox post necem Antichristi: tunc enim Antichristi regno euerso Ecclesia ubique terrarum regnabit, & fiet tam ex Iudeis quam ex Gentibus vnum ouile, & vnuus pastor: & hoc innuitur hic, cum ait, non, quæ est su-

A per, sed, quæ est subter omne cælum, id est quæ est in omni terra, siue in omni plaga cælo subiecta. Deinde paulò post hoc regnum confirmabitur & glorificabitur in cælis per omnem æternitatem.

HVC SQVE FINIS VERBI] scilicet angelii, VERS. 28.
q.d. Hic finem dicendi fecit angelus, hic finita est visio quam hoc cap. enarravi. Haec tenus Daniel scripsit chaldaicè, reliqua verò deinceps scripsit hebraicè.

C A P V T O C T A V V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

ANNO I. Balsasaris videt Daniel visionem cap. præced. de quatuor monarchijs; hic anno tertio Balsasaris videt ea, quæ in secunda & tertia monarchia futura sunt. Hec ergo visio licet sit alia, est tamen re ipsa pars superioris prophetiæ: describit enim hircum cum ariete, id est Alexandrum cum Dario, Græcos cum Persis de imperio decertantes. Secundò, vers. 9. describit vnum cornu hirci, id est vnum è successoribus Alexandri, putè Antiochum Epiphanem, eiusque potentiam & impietatem in Iudeos. Tertiò, v. 15. Gabriel eo modo quo iam dixi, visionem Danieli interpretatur.

Ver. x. **A**NNO tertio regni Balsasar regis, vi-
sio apparuit mihi. Ego Daniel post
id quod videram in principio.

2. Vidi in visione mea, cum essem in
Sufis castro, quod est in Ælam regione:
vidi autem in visione esse me super por-
tam Vlai.

3. Et leuavi oculos meos, & vidi: &
ecce aries vnuus stabat ante paludem ha-
bens cornua excelsa, & vnum excelsius
altero atque succrescens. Postea

4. vidi arietem cornibus ventilantem
contra Occidentem, & contra Aquilo-
nem, & contra Meridiem, & omnes be-
stiae non poterant resistere ei, neque li-
berari de manu eius, fecitque secundum
voluntatem suam, & magnificatus est.

5. Et ego intelligebam: ecce autem
hircus caprarum veniebat ab Occidente
super faciem totius terræ, & non tan-
get terram: pôrro hircus habebat cornu
insigne inter oculos suos.

6. Et venit usque ad arietem illum
cornutum, quem videram stantem ante
portam, & cucurrit ad eum in impetu
fortitudinis suæ.

7. Cumq; appropinquasset prope arie-
tē, efferatus est in eum, & percussit arietem: & comminuit duo cornua eius, & nō
poterat aries resistere ei: cumq; cum
misisset in terram, conculcauit, & nemo
quibat liberare arietem de manu eius.

8. Hircus autem caprarum magnus
factus est nimis: cumq; creuisset, fra-
ctum est cornu magnum, & orta sunt
quatuor cornua subter illud per quatuor
ventos cæli.

EGO DANIEL POST ID QVOD VIDERAM VERS. 1.
IN PRINCPIO] q.d. Post primam visionem
quatuor bestiarum, de qua cap. præced. Innuit hanc
visionem pertinere, & quasi continueat præceden-
tem, vt dixi.

CVM ESSEM IN SVSIS CASTRO] Daniel non VERS. 2.
erat Sufis, sed in Babylone apud Balsarem; sed
per visionem videbatur sibi esse Sufis. ita Theo-
dot. Vnde ex Hebreo ita vertit Vatabl. & in visione
circumspiciens, vius sum mihi esse in Sufis castro. Sic Eze-
chiel c. 11. 1. in spiritu fuit in Ierusalem, ibique mul-
ta vidit. Vius est autem sibi esse Sufis: quia inde
Cyrus, qui Babylonem caperet, & Balsarem oc-
cideret, erat venturus. Sufæ enim fuerunt regia
Persarum. ita ex Aben Ezra Maldon.

Nota. Suse non est vox Græca, ut censuit Ari-
stobulus & Chares; sed Hebræa, Chaldæa & Per-
sica, ita dicta à liliorum fertilitate & copia, vt habeat
Etymologicum magnum. Susan enim & Susanna
hebr. significat lilium, à radice scos, id est sex:li-
lum enim est hexaphylon, hoc est sex habet folia.
Sic Rhodus, id est rosa, dicta est insula, quia habet
speciem rosæ.

Nota Secundò. Sufæ fuit urbs maxima, hic ta-
men dicitur castrum; quia vnde validissimis
mœnibus & turribus instar castri erat munita. ita
S. Hieron.

IN ÆLAM] Ælam regio est Persidis: vnde Æla-
mitæ sunt dicti. Planius respondet noster Anton.
DFernandius tract: de Vision. veter. testam. visione
tempore Danielis Susan tantum fuisse castrum,
sed postea amplificatas adeò esse res Sufianorum,
vt Susan fuerit metropolis Persiæ. Vnde Plinius
1. 6. c. 27. Sufianos ab Ælamitis distinguit inter-
medio Euleo flumine. Sicut ergo tunc una pro-
vincia erat Ælamitica, ita altera erat Sufiana.

SPER PORTAM VLAI] super portam urbis
Sufarum, quæ ducebatur Vlai. Vatabl. & Pagnin.
vertunt, super, id est iuxta, flumen Euleum: hoc enim
Sufas præterlabitur, de quo Plinius lib. 6. cap. 27.
& forte ab hoc flumine porta urbis dicta est Vlai;
vnde & Symmachus vertit, super paludem Vlai: &
sic noster Interpres vertit v. 3. Vtrumque est pro-
babile,

babile: nam Daniel super portam, iuxta fluuium positus in spiritu, vidit hircum in campo adiacente, cum ariete pugnantem. Septuag. Theodot. Aquila retinent vocem Hebreām, vertuntque, super Vbal. Vlai, quia si Vbal sit nomen proprium; cū Noſter vertat, portām; alij, fluvium; Scholiaſtes Græci censet Vbal esse nomen montis Persici, ad quem in ſpiritu raptus Daniel.

VERS. 3. ECCE ARIES VNVS] Hic eſt rex Medorum & Persarum, vti explicat angelus v. 20. Cauſa eſt. Primo, quia aries dux ouium, ſuo ductu & incelſu magnifico refert ducem & regem. Vnde ait Sa- piens Proverb. 30.29. Tria ſunt quæ bene gradinuntur; & quartum quod incedit feliciter. Leo fortissimus beſtiarum ad nullius panebit occurſum, gallus ſuccinetus lumbos; & aries: nec eſt rex qui reſiſtat ei.

Secundō, quia aries repræſentat pugnas & prælia Cyri & ſuccellorum. Aries enim ſimilis ut cornua creuerunt, fit pugnacißimus. Quocirca Romani cuipiam bellum illaturi, arietem per fæcialem præmittebant, quem in hostium fines immitteret, qui eos quaſi capite & cornibus impeteret & arietaret. Inde & machina bellica muros olim quatiens dicta eſt aries. Trabs enim erat, aduncum in capite habens ferrum, inſtar cornu arietis, quod vi in muros adigebatur, ac more arietum retrocedebat, vt cum impetu vehementius feriret, inquit Vege-tius lib. 4. cap. 14. Hac forte de cauſa, inquit Pie-rius Hierogl. 10. cap. 29. cæleſtis aries Marti eſt dedicatus; & ſi qua planetis in humano corpo-re vis, fel (quod & iræ & bilis eſt edes) à Marte regi dicitur. Vnde Origen. in Leuitici cap. 1. docet He-bræos immolasse Deo arietes, ut per eos signifi-carent nos iracundiam iugulare debere. Hinc Ammianus celebrat Saporis regis geſtamen, au-geo capitis arietini figmento elaboratum: & Bel-gæ inſigne militaris nobilisque ſodalitatis, à Phi-lippo cognomento Bono, Burgund. Duce, habent aureum arietis caput. Vnde vocatur vulgo l'ordre de la toison d'or, id eſt ordo aurei velleris, & capitis arietini.

Aries eſt rex Perſarum dupli- de cauſa. Tertiō, & magis appositè ad hunc locum, aries notat Dariū Codomanum, cuiusque regnum: quia, vt ait Theod. ſicut aries & propter lanam & propter carnes neci datur; ita ipſe, & cum eo re-gnum Persarum ob nimiam opum & deliciarum abundantiam quaſi prægrauatum, tandem corruit, & à Græcis occupatum eſt. Fassus eſt id ipsum Darij legatus apud Alexandrum, qui vt ei pacem perſuaderet, vtque cum Dario imperium diuide-ret: Periculoso, ait, eſt prægraue imperium difficile eſt continere quod capere non poſſis. Vidēſne vt naugia que modum excedunt, regi nequeant? Nescio, an Darij ideo tam multa amiserit, quia nimis opes magna iacture lo-cum faciunt. Facilius eſt quadam vincere quam tueri. ita Curtius lib. 4.

Porro lana significari opes, docet Plinius lib. 9. cap. 47. veterum enim opes erant in ouibus ea-rumque lanis & velleribus, vt patet in Absalone 2. Reg. 13. 23. & in Iob cap. 1. 16. & in muliere illa prudente quam deſcribit Sapiens Proverb. 31. 13. Quesuit, inquit, lanam & linum. Addit Fernand. viſio. 25. ſect. 2. arietem ſignificare Medos & Persas, eò quod in illis regionibus inſignes gignantur arietes, prægrandibus ac pinguibus caudis; cruri-bus autem ita præcelsis, & toto corpo-re ſic obeso & forti, vt ephippijs impositis, fræniſque adhibi-tis, pueri ijs inequitant.

A STABAT ANTE PALVDEM] Hebr. ſtabat ante נַהֲרָה haabal, id eſt ante portam, aut ante fluuium, vbi Daniel ſe fuile dixit v. præcedenti.

HABENS CORNUA EXCELSA, ET VNVM EXCELSIUS ALTERO, ATQUE SVCCRESCENS] Hebreā, & vnum excelsius ſecundo, & excelsius aſcen-debat in nouiſimo. Sic & Septuag. & quod excelsius aſcendebat ſuper nouiſima. Aries hic habet duo cornua (yt habent Hebr. & patet ex ſequent.) id eſt duos fundatores, Darium Medium, & Cyrum, qui fuile excelsior, inquit S. Hieron. Aut, vt Theodor. duas regales familias, ſcilicet vnam Cyri, quae du-fauit vlique ad Cambysem; alteram Darij Hyſta-spis, quæ amplior & excelsior durauit vſque ad vltimum Darium qui victus eſt ab Alexandro. Aut potius duo cornua ſunt Medi & Perſe; Perſarum autem cornu, id eſt imperium, fuile excelsius, & v-trumque contriuit Alexander, vt dicitur v. 7. ita Perer. fernand. & alij.

VENTILANTEM CONTRA OCCIDENTEM] **VERS. 4.** Quia Cyrus eiſiſque ſuccellores, in Babylonia, Alia minore, Græcia, alijſque regionibus, quibus Perſia Orientalis eſt, geffit bella: & ad Aquilonem, quia Ponticas gentes: & ad Meridiem, quia Ægyptum, Æthiopiam & Libyam Cambyſes alijſque inuafetunt.

HIRCUS] Nota Primo, cūm S. Hieron. & alijs **VERS. 5.** paſſim. Hircus hic eſt rex Græcorū, vt patet v. 24. **Hircus eſt** maximè Alexander, qui & cornu inſigne dicitur. **Alexander** nam post eum plura, ſed minora cornua, id eſt re-detem and-logia: ges Græcorum, regnarunt. Hircus enim quaſi dux preit & ducit capras, vti aries ducit oves, nimis tū dux gregis ipſe caper, putà hircus.

Nota Secundō. Vocatur hircus, Primo, quia **Prima** hircus fortior eſt ariete, ſic Alexander vicit Dariū. Evidem hircus barba & villis hirsutus, longis cornibus armatus, capite erectus, fronte toruſ, oculis acer, ad viuum repræſentat Alexatidrum animosum, acrem, hirsutum, pugnacem & cata-phractum. Hircipili, ait Festus, vocantur deniſorum pilorum homines. Et Plautus in Pſeudol. **Heus** tu, ait, qui cum hirquina ſtas barba, reponde quod rogo. Talis hircipilus fuile Alexander ob feruidam & i-gneam complexionem: hæc enim non tantum os & barbam, ſed & totum corpus facit hirsutum. Addit Hermolaus, Geſnerus in hirco, & alij, hir-cino ſanguine, vtpote calidifimo, emolliri duti-tiem adamantis, vtpote frigidī & ſicci, vt ſcalpi & ſculpi poſſit, eti gemmari nostri id falſum & ri-diculum exiftim: ita nil tam forte & durum fuile, quod non fregerit Alexander. Hisce de cauſis, heroibus hirco, æquè ac tauro & ariete olim litabant, vt id ex Homero docet Giraldus & Geſner. in hirco. Hircus ergo notat Alexandrum qui heroum fuile heros & princeps.

Secundō, Alexander vocatur hircus, quia **Secondo** princeps erat Græcorum, qui capris comparan-tur ob animi mobilitatem & ſagacitatem, atque ob acumen ingenij. Nam, vt docet Plinius l. 8. 50. capræ ſagacioris ſunt ingenij, acutioris viſus, & ad motum agiliores, quam ſint oves. Tales fuere Græci præ Perſis. Acumen probet vel vnuſ Aristoteles ingeniorum apex, quem Plinius lib. 18. 34. vocat immense ſubtilitatis virum. **Græci ingenita leuitas animorum eſt,** & erudita vanitas, ait Cicero pro Flacco.

Tertiō, Alexander vocatur hircus ob foetorem **Tertiā**, vinolentia ſuæ, & ob libidinem Græcorum, in-quid

Quartia. quid Rupert. Græcorum dico, successorum Alexandri. Nam Alexander ipse in venerem non adeò fuit prolius, eò quod esset vinolentus: idq; Theophrastum dixisse narrat Athenæus lib. 10. Docet enim Aristot. immodicam vini potionem facere ineptos ad venerem: eò quod per illam diluatur vis seminalis, ac sensus appetitusque obruantur & heterescant. ita Aristot. in Quæstion. physic. qu. II. & 32. sect. 3.

Quartò, vocatur hircus caprarum, tum quia iuuenis erat, putà annorum viginti, cùm cœpit regnare: solent enim Hebræi animalia iuuenilia exprimere per genituum matris. Sic ergo hircus caprarum vocatur hœdus; qui adhuc sequitur & fugit capram matrē suam. Sic vocatur agni ouium, id est agni teneri, & nouelli. Tum potius, quia, sicut hircus dux est caprarum, sic Alexander princeps fuit Græcorum. Tum denique quia *hircus caprarum* notat Alexandri natales spurious, scilicet eum ex matre adultera fuisse genitum. Hircum enim olim vocabant, & etiamnum vocant eum, qui coniugem habet adulteram. Hircus ergo fuit Philippus: hircus vero caprarium, siue hœdus, fuit Alexander spurius. Vnde adagium ferebatur in spurious, vt, si de patre eorum quispiam quæteret, responderent, eum esse filium matris instar capræ; eò quod matrem haberet certam, patrem incertum. Capratum enim natura instabilis, lubrica, & mobilis admodum est, ac varijs cum maribus congreguntur: quare hœdus in caprilibus à matre tantum dignosci potest. ita Pierius hierogl. 10. Quam obrem Alexander, vt patris adulteri nomen & probrum tegeret, imò in decus verteret, finxit se filium Louis Hammonij.

Quinta. Hinc Quintò, Alexander vocatur hircus, quia voluit haberī & coli vt filius Hammonis, qui hirci specie figurabatur: Hammon enim Ægyptiacè hircum significat. Vnde & Pyrrhus rex in galea gestabat cornua hirci, vt mox dicam, quia ipse quoque iactabat se filium Louis Hammonij. Esto enim Diodorus Sic. libr. 4. in fine, Seruius in 4. Aeneid. Herodot. Festus. & alij, Hammoni arietis formam & cornua (quibus significabatur, inuoluta esse eius responsta, ait Seruius) attribuant; alij tamen ei dant speciem & cornua hirci, siue quia cornua eius retrorsum erant reflexa (non anterius arcuata, vt sunt bouis) vt eminus aspiciens, an hircina essent, an arietina, distinguere non posset: siue potius quod Ægyptij suum Iouem, id est Hammonem, colebant tam specie hirci, quam arietis: tam enim caprum, quam arietem adorabant. Nam à pastori bus, qui tam capras quam oves pascunt, Hammon in Deum consecratus est, teste Pausania in Messeniacis, adeoque Ægyptij hircum deificarunt, ait Diodor. Sic. qui & addit, Hammonis vxorem fuisse Amaltheam, ex qua prouerbium, *Amaltheæ cornu*, significans cornucopiam, & rerum abundantiam. Hæc autem Amalthea fuit capra, nutrix Louis vt omnes Gentiles asserunt. Si Hammonis vxor fuit capra, ergo ipse fuit caper, vel certè capri speciem assumpit.

Sexta. Hinc Sextò, in hirco alluditur ad Panem Deum Ægyptiorum, qui vniuersam mundi machinam representabat, vt docte Girald. in Pane. Pan enim erat specie hirci, teste Suida, Herodoto & Diodoro. Erat enim capripes, hirsutus & cornutus vt hircus. Vnde Propert. in tertio,

Capripedes calamo Panes biante canent.

A Et Ouid. in Fastis.

Sunt oculis Nymphæ semicaperæ Deus.

Hircus ergo hic notat Alexandrum, instar Panis fore mundi dominum, ac vt Deum colendum.

Septimā, hircus brevis est æui: ham ante sex annos consenescit, quia libidine vires exhaustit, vti tradit Columella, Palladius, & ex ijs Gesnerus in hirco: significat ergo breuem vitam, & breue regnum Alexandri. Rursum hircorum oculi ob libidinem, in transuersum aspiciunt; indeque hircus nomen accepit.

Nam hirci vel hirqui teste Suetonio, Isidoro & Gesnero, vocantur oculorum anguli. Vnde Virgil. *Transuersa tuentibus hircis.* Transuerso obtutu fuit quoque Alexander; eò quod capite esset, non directo, sed in humerum sinistrum inclinante, & sursum aspiciente, vt si quem coram se consistentem intueri vellet, limis & transuersis oculis eum intueri deberet. ita Plutarchus, Curtius & alij. Vnde prisca Alexandria statuam Romæ in Quirinali, hunc eius situm repreäsentare videmus.

Octauò, hircus notat Alexandri gulam & auditatem cùm bibendi, tum carpendi, & prædandi gentes & regna. Capri enim & capræ omnia depascuntur, indeque caper græcè vocatur *τερψ* à voracitate. Nam *τερψην* & *τερψαν* edere significat. Hinc Ouid. I. Fastor.

Rode caper vitem, tamen hinc cùm stabis ad aras.

In tua quod shargi cornua posit erit.

Quod acutè & falsè Romani in Domitianum Imp. teste Suetonio in eius Vita, transtulerunt: *Vel si me radicem comedaris, tantum tamen vini producam, quantum immolando Cæsari posset infundi.* Quod enim suprà vitis capro minitabatur, hoc eadem nunc minitatur Domitianio tyranno, vites succidi iubenti. Hinc & capri vocantur, quasi carpi, quod omnia carpant. *Capra*, inquit Varro de Lingua Latina, quasi carpa: à quo scriptum *omnicarpa capre.* Hinc Baccho, vini præfidi, litabatur caper, quasi vitis vastator. Vnde Virgil. 2. Georg.

Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris

Ceditur.

Nonò, solent hirci cum arietibus cornutare & duellare, vti Alexander cum Dario decertavit. Qui ergo hinc duelli exemplum sumperit, sciat se hircum esse & hircizare. Nec Alexander cum Dario duellum inijt, sed bellum. Prudenter & magnanimè Antigonus rex Macedoniæ, Pyrrho regi Epiri per caduceatorem prouocanti ad singulare certamen, vt eo secum de regno decerneret, respödit, *dictum suum non armorum magis, quam temporum esse:* Pyrrho, si vitæ paniteret, multas ad interitum patere vias. Sic & Fabius Maximus Cunctator prouocatus ab Annibale ad pugnam respondit, *se pugnam initurum cùm sibi, non hosti, comodum videretur: se pugna tempus dare, non ab hoste accipere.* Et Augustus Cæsar Antonio prouocanti ad duellum, respondit: *Si Antonius perire velit, habet sat multos necis modos.* Idem respondeant qui hodie à stultis duellatoribus ad duellum prouocantur, hosce imitentur. Hi enim fuerunt prudentes, generosi, magnanimi, & rerum domini, qui hoc suo prudenti responso hostem fregerunt & supplantarunt. Author est Plutarch. in eorum Vita.

Denique Eusebius in Chron. Olymp. 47. anno *Decimæ* mundi 4610. Hoc, inquit, tempore certantibus in agone *τερψ*, id est hircus, in premio dabatur: vnde ait Tragedos nuncupatos. Ita & Alexander certans

cum Dario, eumque vincens hirci nomen quasi vi-
ctoriae præmium, vel omen accepit.

Porro hircus hic venit ab Occidente; quia Ma-
cedonia, unde venit Alexander, Occidentalis est
respectu Persie & Asie, quas sibi subiecit. Rursum,
non tangebat terram, id est summa vtebatur celeri-
tate in conficiendis bellis & victorijs, instar ful-
minis, quod citè penetrat ab Ortu ad Occasum,
sed & citè disperat. Nullam, ait Curtius libr. 5. vi-
tutem regis istius magis quam celeritatem lauda-
uerim. Sex enim annis Persas, Medos, Babylo-
nios, Ægyptios, & vicinas gentes debellauit; vt
cum Cæsare, in præ Cæsare, dicere potuerit, Ve-
ni, vidi, vici. Nota. Sicut bos figens in terra pedem
symbolum est tarditatis, ita non tangere terram
symbolum est agilitatis. Hinc Virgil. Camillæ ce-
leritatem describens, ita canit:

Cursuq; pedum præuertere ventos:

Illa vel intacte segetis per summa volaret

Gramina, nec teneras cursu lessisset aristas:

Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti

Ferret iter, celeres nec tingeret equore plantas.

Eadem phrasí Homer. Iliad. 20. vtitur, vt exprimat
velocitatem equorum regis Erichthonij, & Oui-
dius de Atalanta ita canit l. 10. Metamorph.

Signa tubæ dederant, cum carcere pronus uterque

Emicat, & sumnam celeri pede libat arenam.

Simile de Lada veloci cursore narrat Solinus c. 6.
adeò vt in arenis nulla indicia relinqueret vesti-
giorum. Porro in Alexandro verum fuit istud:
Quod citè fit, citè perit. Et istud Senecæ in Consol. ad
Marciam: Non durat, nec ad ultimum exit, nisi lenta fe-
licitas. Et meritò Paulus Orosius Alexandrum vo-
cat magnum miseriarum gurgitem, & totius O-
rientis atrocissimum turbinem.

**PORRO HIRCUS HABEBAT CORNV INSIG-
NE]** Hircus sunt reges Græcorum in confuso:
cornu hoc propriè est Alexander. Erat hoc inter
oculos, quia animalia unicornia cornu habent inter
oculos, idque vt significet Alexandri ingenium,
prudentiam, sagacitatem, ita Theodor.

Nota. Cornu fuit insigne regum: reges enim
gestabant cornua quasi symbolum regni. Hinc
Plutarchus de Pyrrho, Agnius, inquit, fuit ipse ex-
mia crista & cornibus hircinis. Sic & Virgilius Æneid.
12. Æneæ quasi regi dat

Ensemq; clypeumq; & rubræ cornua criste.

Sic imago Tryphonis habet galeam, cui infixum
est cornu, vt videre est in effigie quam edidit Vi-
lapando in Appar. templi pag. 337. Hinc psal. 131.
17. de rege David dicitur. *Illuc producam cornu Da-
uid.* Cornu enim est symbolum roboris, significat-
que decus & maiestatem regiam. Hinc illud ænig-
ma (cuius meminit Strabo) Demetrij Phalerei
ad Philippum patrem huius Alexandri: *Vtique
cornu bouem continebis*, hoc est occupabis duas arces,
scilicet Acrocorinthum & Ithumen; his enim oc-
cupatis, facile totam Peloponnesum occupabis.
duas ergo arces duo cornua, Peloponnesum vero
bouem nuncupabat.

VERS. 6. IN IMPETV FORTITUDINIS SVÆ] impetu
fortissimo & vehementissimo: hebr. est כִּי תַּחֲנֹן
bechemat cocho, in ira roboris sui, id est in ira robusta
& fortis, ira robusta augente, aut robore ira ac-
censo.

ET PERCVSSIT ARIETEM (Alexander occi-
dit Datium regem Persarum) ET COMMIVIT
DUO CORNVA, duo regna, scilicet Persatum &

A Medorum; et CONCVLCAVIT id est subiecit &
vestigalia fecit, vt dixi c. præcd. v. 7.

MAGNVS FACTVS EST] & re & nomine: nam VERS.
à rerum gestatum gloria vocatus est Alexander
Magnus.

CVMQVE CREVISSET] Alexander enim mor-
tuus est cum ad summum ætatis & imperij robur
peruenisset, cum nec mori, nec vinci posse videre-
tur. Nam paulò ante mortem pro Deo habitus est:
subornarat enim Louis Hammonis sacerdotes, vt
rogati cuius filius esset Alexander (erat enim ex
adulterio natus) responderent, Louis Hammonis.
ita Iustinius lib. 11.

FRACTVM EST CORNV MAGNUM] τὸ fractum
significat violentam mortem Alexandri, quia A-
lexander in flore ætatis, scilicet cum vixisset 32.

B annos, & octo menses; atque 12. annos, & octo
mensies regnasset in summa felicitate & gloria; vi-
olenta morte, vel crupula, vt vult Athenæus: vel
veneno, vt volunt alij, Babylone decepsit anno 1.
Olymp. 114. vt docet Curtius, Iosephus & alij.

Nota. Natus est Alexander anno 1. olymp. 105. Chronolog.
& anno urbis Romæ conditæ 395. die 6. mensis
Hecatombaonis, quo die deflagravit Ephesi tem-
plum Diana, vaticinatiisque sunt magi magnum eo
die natum esse Asie incendium. is fuit Alexander.

Alexander annos natus quindecim, à patre in
disciplinam Aristoteli traditur, ab eoque per quin-
quennium in literis & doctrinis rege dignis inspi-
tus est. Patre occiso annum agens vigesimum,
regnum adjit.

Anno 1. regni sui Illyricum, Thraciam & Græ-
ciam perdomuit.

C Anno 2. primum prælium cum ducibus Darij
ad Granicum flumen injuit, victorque Asie rapuit
imperium.

Anno 3. ipsum Dariū cum exercitu profligauit.

Anno 4. venit in Phœniciam, Ægyptum & Iu-
dæam, atque Tyrum expugnauit, & Alexandriam
condidit, Ierusalem quoque venit, & pontificem
Iaddo adorauit, Deoque sacrificauit, atque vati-
cinium hoc Danielis ante ducentos annos ab eo
de se editum, quod scilicet ipse Persarum impe-
rium euerteret, latus gaudensque audiuit, & fidens
certusque de victoria perrexit contra Darium. Au-
di Iosephum lib. 12. c. 8. Alexander, ait, solus ad eum
(Iaddum pontificem) accedens, nomen illud (terra-
grammaton Dei, quod pontifex in lamina tiara
affixa incisum gestabat) adorauit, & primus saluta-
uit pontificem. Syrie reges & reliqui obsequuerunt: solus
Parmenio propius accedens rogaruit, quid ita, cum ipse
adoraret ab omnibus, nunc adoraret pontificem Iudeo-
rum? At ille non hunc se adorasse respondit, sed Deo, cu-
ius pontifex esset, honorem eum exhibuisse. Hunc enim,
inquit, vidi & ante hoc ipso habitu, cum adhuc essem in
Dio Macedonia, qui me deliberantem quonodo Asiam
possem subigere, hortatus est forti esse animo, & sine mora
exercitum traijere: nam suo ductu potitum me Persar-
um imperio. Quapropter quia nunc primùm talēm ha-
bitum vidi, agnosco hunc, & visionis memor, que me
ad hanc expeditionem impulit, puto me non sine numine
in Darium exercitum ducere, & brevi fore victorie com-
potem. Hec locutus ad Parmenionem, & comiter com-
plexus pontificem, deducentibus sacerdotibus in urbem
peruenit; & cum ascendisset in templum, immolatit Deo
ex sacerdotis prescripto, ac pontifici quoque suum hono-
rem exhibuit. Subdit deinde de hac Danielis pro-
phetia illi exhibita: Ostensog; sibi Danielis libro, in quo

Græcum

Grecum quemdam Persas debellaturum significabat, hunc ipsum se esse interpretatus, letus dimisit multitudinem. Sequenti vero die vocatis eis, iussit ut quidquid vellent petarent. Pontifice autem petente, ut patrio legibus vivere sibi licet, vii^g, septimo quoque anno concedere ut eis tributorum immunitas, concessit omnia. Et cum fecisset eis potestatem, si qui vellent saluis suis ritibus sequi eius militiam, multi in eam expeditionem dederunt nomina.

Anno regni sui 6. Alexander tertio pælio planè cecidit Darium Calendis Octobris, Darioque à suis occiso. Persatum imperium adeptus, atque Asia Imperator salutatus est. Vbi Nota cum Ruperto, exemplum illustre quam instabilis sit status huius saeculi, & infidia fiducia mundi: Darius ecce vietus, & à suis derelictus, imò sauciatus ad mortem, siti-bundus & inoribundus, oblatam à milite aquam hausit, eumque misit ad Alexandrum ut hæc ei reperret: Felicius te hostem, quam cognatos propinquosque meos sortitus sum: matri quippe & liberis meis à te hoste vita data est, mihi à cognatis erepta, quibus & vitam dedi & regna. Audiens hæc Alexander, visoque corpore defuncti, tam indignam illo fastigio mortem lachrymis prosecutus est, corpusque regio more sepeliri iussit.

Reliquis sex regni vitæque annis Alexander plurimas gentes usque ad Gangem fluuium & Indicum oceanum subiugauit. Ita ex Iustino, Curtio, Diodoro, & aliis Pererius.

Præfigia mortis Alexandri hæc recenset Plutarchus. Primum, Chaldei monebant, Babylone ut abstineret. Secundum, cum ad muros Babylonis peruenit, cornorum examen vidit certantium, & se mutuo cædentiū, quorum aliquot iuxta ipsum sunt delapsi. Tertium, aruspex in hostia trunca extra deprehendit. Quartum, leonem grandissimum & speciosissimum eorum qui ibi alebantur, domesticus asinus adortus calce interfecit. Quintum, hominem contemplans tacitum in solio sedentem, diadema & amictu regio ornatum, qui rogatus diu non reddidit vocem. Vix tandem cum ad se redisset, dixit ita sibi iussum à Scrapi.

Porro mortem eius ita describit Iustinus lib. 12. In commissione accepto poculo media potionē repente veluti teli confixus ingenuit. Quarto die indubitatam mortem sentiens, agnoscere se fatum domini maiorum ait: nam plerosque Æcidarum intra trigesimum annum defunctos. Tumultantes deinde milites, insidiis perire regem suspicantes, sedavit, osculandamq; dexteram suam flentibus porrexit. Cum lachrymarentur omnes, ipse non sine lachrymis tantum, verum etiam sine ullo tristioris mentis argumento fuit, ut quosdam impatientius dolentes consolarentur. Quibusdam mandata ad parentes eorum dedit: adeo, sicut in hostem, ita & in mortem iniunctus animus fuit. Dimisis militibus, amicos circumstantes percunctatur, videanturne similem sibi reperturi regem? Tacentibus cunctis, tunc ipse, ut hoc nesciat, ita illud scire vaticinariq; se, ac penè videre oculis dixit, quantis cedibus mortuo sibi sit parentatura Macedonia. Ad postremum corpus suum Hammonis templo condi iubet. Cum deficere eum amici viderent, querunt quem imperij faciat heredem? respondit, Dignissimum. Hac voce veluti bellum inter amicos cecinisset, aut malum discordie misisset, ita omnes in emulationem consurgunt. Sexto die preclusa voce exemptum annulum digito Perdicce tradidit,

Eadem habet Curtius lib. 10. in fine, qui & addit eum merentibus militibus dixisse: Inuenietis cum excessero, dignum talibus viris regem. Rursus Perdicca interrogante quando celestes honores haberis sibi vellet, dicit Cornelius in Danielem.

Axit, tum velle cum ipsi felices essent. Suprema haec vox fuit regis, & paulo post extinguitur. Ac primò ploratu tota regia personabat, quin & indignantium voces audiebantur, tam virilem & in flore etatis fortunæq;, inuicta Deum, erexit esse rebus humanis. Subdit deinde ingentia lamenta matris, vxoris & filiarum Darij, imò matrem se inedia confecisse: Magnum profecto indulgentiae in eam Alexandri documentum, que cum sustinuissest post Darium vivere. Alexandro esse superstes erubuit. Septimo demum die in summo æstu, curare corpus exanimatum amicus vacauit; nulla tabe, nec liuore quidem corruptum videre, qui intrauerant. Vigor quoque non deseruerat vultum. Itaque Ægypti iussi corpus curare, primò non sicut ausi admouere velut spiranti manus. Deinde precati, ut ius fasq; esset mortalibus atrectare eum, purgaueri e corpus, repletumq; est odoribus. Aureum solium, & capiti adiecta fortuna eius insignia.

B Vide hæc in Alexandro quam sit verum illud Sapientis: Omnis potentatus vita brevis. Tantum enim duodecim annis regnauit, in ipso flore ætatis & regni extinctus. Qomodo cecidisti de celo lucifer, qui manè oriebaris? corrasti in terram, qui vulnerabas omnes gentes? Habuit hic ipse, vti & Salomon, suas opes, delicias, veneres, victorias, & quidquid mortalis optare potest; sed quam modico tempore! habet nunca suas miseras, inopiaem, vermem & ignem gehennæ; sed quanto tempore! Habuit ea iam per duo millia annorum, habebit ea per centum millia, per mille millions annorum, habebit ea in omnem æternitatem. O quam male, quam miserè diuisa fuit sors Alexandri! Sors huius vitæ felix fuit ad momentum; sed alterius vite est infelicitissima in æternum. Vide ergo quisquis hæc diues, potens, felix es & deliciaris, ne & tibi tua felicitatis sors hæc detur, & in futuro sors altera infelicitatis tibi obueniat, ne audias illud Abrahæ ad Epulonem: Filire cordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, uerò cruciaris.

C ET ORTA SVNT (loco insignis illius cornu iam fracti, ut habent Hebreæ) QVATVOR CORNUA SVBTER ILLVD] putà quatuor Alexandri duces; scilicet Antigonus, qui imperauit Asie; Philippus, siue Aridaeus, qui Macedonie; Seleucus, qui Syriæ; Ptolemaeus, qui Ægypto. Licet enim Arrianus & Curtius numerent decem Alexandri successores, hi tamen quatuor fuerunt omnium principes. Ita S.Hieron.

D Vide hæc nouam Alexandri miseriā, & mundi fallaciā. Nam ab iis quos ipse aluerat & euererat, stirps eius funditus excisi est. Curtius enim cum eum veneno necatum ab Antipatro, eiusque filiis Cassandro & Iolla narrasset, subdit: Hec utrumque sunt tradita, eorum, quos rumor asperserat, mox potentia extinxit. Regnum enim Macedonie Antipater, & Greciam quoque inuasit. Soboles deinde exceptit, interfecit omnibus quicunque Alexandrum etiam longinquæ cognatione contigerant. Clarius id narrat Iustinus, qui cum lib. 12. narrasset venenum ei datum à Cassandro, lib. 15. tradit ab eodem Cassandro Alexandri matrem Olympiadem, & filium Herculem quatuordecim annorum, item alterum eius infantem cum matre Roxane interemptos esse. Ita libido dominandi cædibus sibi regnum parare putat, sed parat interium. Pari enim modo Cassander ab aliis regni æmulis interemptus est, nimisrum

Ad generum Cereris (Plutonem) sine cede & sanguine pauci
Descendant reges, & siccæ morte tyranni.

PER QUATVOR VENTOS CÆLI] per quatuor mundi plagas.

9. De uno autem ex eis egressum est cornu unum modicū: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.

10. Et magnificatum est usque ad fortitudinem cæli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.

11. Et usque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius.

12. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata: & posterius veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.

13. Et audiui unum de sanctis loquenter: & dixit unus sanctus alteri nescio cui loquenti: Usquequo visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?

14. Et dixit ei: Usque ad vesperam & manè, dies duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.

VERS. 9. DE UNO AVTEM EX EIS (de Seleuco) EGRESVM EST CORNU VNVM MODICVM] Hoc cornu est Antiochus Epiphanes, qui octauo loco descendit à Seleuco.

Nota. Post mortem Alexandri anno duodecimo Seleucus imposuit sibi diadema Syriæ, ac consequenter Iudææ, & victo Antigono, totius Asiae. Hinc ab anno hoc 12. qui fuit primus Seleuci, numerat auctor libri Machabæorum annos Greco-rum, siue Seleucidarum, qui præ aliis in Iudæos imperium usurparunt. Vnde eis fortissime restituerunt Iudas, Ionathas, & Simon Machabæi.

Antiochus Epiphanes qui & qualu? Porro Antiochus Epiphanes vocatur *cornu modicum*; quia minor natu fuit filius Antiochi Magni, qui cum Hannibale contra Romanos dimicans, sed vicit fuisseque pacem cum Romanis init, ob similitudinem Romanis misit filium hunc Antiochum Epiphanem, qui paulò post mortuo fratre Seleuco Philopatore, qui patri in regno successerat, Roma fugiens, electo fratri filio Demetrio, per vim regnum Syriæ inuasit, quod contigit post mortem Alexandri anno 150. Itaque hic Antiochus dicitur Epiphanes, id est illustris, à rerum gestarum gloria. Primo, ad Orientem Artaxiam regem Armeniæ deuicit, mox ad Meridiem profiliqaut Ptolemaeum Philometorem regem Ægypti, atque Alexandriam obsedit, eamque obtinuillet, nisi à Romanis coactus fuisse abscedere. Missus enim ab eis Popilius Lænas, Antiochum virga per circulum circumscripsit, dicens: Non excedes hoc circulo, nisi respondeas: iubet populus Romanus te Ægypto, ut pote eis amica, abscedere. Respondit Antiochus, Parebo: vnde fremens frendensque discessit, omnemque deinde iram suam in Iudæos vicinos effudit, vt patet ex libris Machab. Porro Antiochus hic regnauit 12. circiter annos, vt patet 1. Machab. 1.11. collato cum c. 6. v. 15.

A ET FACTVM EST GRANDE] Hebr. *crevit validè*, vel excellenter; Septuag. ἐμεγάλωσεν τοις πόσαις, magnificatum est validè.

B ET CONTRA FORTITUDINEM] Hebr. est: **׃ צְבָי** tsebi, quod Noster vertit fortitudinem, & v. 12. **׃ רֹמֶבָר** rōmbar, cap. verò 1. v. 16. & 45. vertit, *terram indyram*.

Alij vertunt, *militiam*, vt tsebi sit idem quod **׃ צְבָא** tsaba, id est exercitus. Propriè tsebi significat rem tumidam, plenam, turgidam, eminentem, crassam, pingue, quæ alios in sui amore & desiderium allicit. Hinc ulterius per catachresin tsebi significat id quod est pulchritudin, amabile & inclytum, putat decus, gloriam, decorem, iucunditatem, delicias & capreolum, qui homini est in deliciis. Vnde tsebi vel *sibia*, & Syriacè *tabita*, vocatur δόπρας, id est dama vel caprea; quomodo vocata est pia illa matrona quam S. Petrus à morte suscitauit, Act. 9.

C 36. Tsebi ergo est epithetum Iudææ & Ierusalem. Sensus ergo est q. d. Antiochus pugnabit contra tsebi, id est contra Iudæam, quæ est terra Deo amabilis, decora, excellens, fertilis & desiderabilis: & contra Israel, qui est tsebi, id est populus præstans & charus cælitibus, eorumque decus & gloria, quique Dei & angelorum vallatur præsidio, ideoque est fortissimus. Ita S. Hieron.

D ET MAGNIFICATVM EST USQUE AD FORTITUDINEM CÆLI] Pro fortitudinem, Hebr. non est tsebi, sed tsaba, id est exercitus, militia, fortitudo militaris. Ad verbum ergo Hebr. est, & magnificatum est usque ad militiam cæli, id est usque ad Iudeos: hi vocantur militia, vel fortitudo cæli; quia Deo duce inuocato & adiuuante feliciter bella gerabant, vt patet ex libris Machab. Ita vt de illis dici potuerit, quod de Theodosio Eugenium ope Dei deuinciente cecinit Claudianus:

O nimium dilecta Deo, cui militat ether,
Et coniurati veniunt ad clasica venti.

Significat ergo Daniel, quod Antiochus Iudeos deuicerit, idque ob eorum peccata, qui antea erant inuincibilis; cum Hierosolyma ob templum esset quasi arx Dei, & cæli cælitumque.

E ET DEIECIT DE FORTITUDINE] Hebr. de exercitu, scilicet Iudeorum, multos prostrauit. Est hoc loco gradatio hyperbolica, q. d. Antiochus non solum præualebit contra tsebi, id est contra Ierusalem pulcherrimam & potentissimam; sed etiam tsaba, id est exercitus non terrestres, sed cælestes, ipsumque cælum & eius militiam lacebat & inuaderet: deuiciet stellas & sidera, eaque deiecta pedibus proteret. Vnde sequitur:

F ET DE STELLIS] Stellas vocat Iudeos illustres nobilitate, doctrina & pietate, quos Antiochus vel minis à patria lege abduxit, vel constantes in ea necauit. Ita S. Hieron. Theodor. Vatabl. & S. Gregor. 32. Moral. cap. 12. vbi totum hunc locum explicat. Vnde huc alludens S. Ioan. Apocal. 12. 4. dicit, quod draco, id est diabolus, per Antichristum (cuius præcursor & typus fuit hic Antiochus) trahet post se in fine mundi tertiam partem stellarum, id est Sanctorum illustrium, quos vel per falsa miracula, vel per promissa opum & honorum, vel per tormenta & minas à Christo ad se apostatare faciet Antichristus. Sic c. 12. 3. audiemus: Qui ad infinitam erudit multos, fulgebunt quasi stelle in perpetuas eternitates. Et Apoc. 1. 16. de Christo dicitur: Habebat in dextera sua stellas septem. Et 1. Corinth. 15. 41. ait Paulus: Stella à stella differt in claritate; sic erit & resurrectio mortuorum.

VERS. 11. ET VSQVE AD PRINCIPEM FORTITUDINIS] Ausus est Antiochus pugnare contra Deum ipsum, eumque bello lacescere, & quasi ad duellum provocare: Deum inquam, qui erat princeps militie & fortitudinis populi sui Iudaici: Antiochus enim idolum Louis Olympij in templo Hierosolymitano collocavit, & ab eo illud nominari voluit, itaque Deum quasi de loco suo deiecit, aliumque Deum in eius possessionem induxit: imò ipse praefastu Deum quasi se reputabat. Nam sibi videbatur fluctibus maris imperare, & montium altitudines in statu appendere, & sidera celi contingere (& hac de causa hinc stellas deieccisse dicitur) ut habetur 2. Machab. 9. v. 8. & 10.

VERS. 12. ET AB EO TULIT IVGE SACRIFICIVM] vetuit Deo sacrificari agnum manè & vespere, quod erat iugé sacrificium; sub quo cetera omnia intelligit: omnia enim sustulit Antiochus.

VERS. 13. ET DEIECIT LOCVM SANCTIFICATIONIS EIVS] Antiochus non combussit, nec diruit templum, sed illud deiecit de suo gradu & honore, ne esset templum Dei, quia illud profanauit, & Ioui dedicauit: unde in altari carnes suillas, in legis & Iudeorum opprobrium immolari iussit: prohibuit circumcisionem: sacros libros combussit: Iudeos ad Grecorum religionem compulit; Eleazarum, septem fratres, aliosq; id recusantes occidit. Hinc Nazianz. orat. 22. de Machabaeis, Antiochum vocat demonem, eumque comparat dæmoni, qui adolescentes tentat, & impellit ad peccata.

VERS. 14. ROBUR AVTEM DATVM EST EI (Antiochus data est potestas & exercitus, ut habent Hebreæ) CONTRA IVGE SACRIFICIVM (non ob eius merita aut vites) sed PROPTER PECCATA] Iudeorum: Deus enim eligit locum propter gentem, non gentem propter locum: unde & modò permittit templo ab hereticis violari, & sanctam Eucharistiam conculcari, idque ob peccata ibidem admisfa. Vnde Vatabl. hic vertit, *exercitus* (scilicet Iudeorum, ut dicitur v. 13.) traditus est ei (Antiocho) cum perenni sacro per scelus; vel, *exercitus traditus est ei propter sacrificium inge ob iniuriam*, id est propter iniurias quas admirant Israelite in iuge sacrificium, venerunt in potestatem Antiochi. Et hoc videntur velle Septuag. dum vertunt, ἐγένετο δὲ τότε τοιαύτη ἀπαρία, factum est super sacrificium peccatum. Et paulò antè: *sacrificium turbatum est.* Theodor. addit. ἀρχαιομάτι. id est delicto, hoc est, propter delicta sacerdotum & populi. Porro noster Interpres in Hebreo videtur legisse *tsebi*, de quo v. 9. aut *tsaba* accepit pro *tsebi*: Hebrei enim sèpè commutant litteras quiescentes *תְּשֵׁבָה*. Aut certè per *robur* intelligit exercitum: hunc enim significat *tsaba*, & hic dat regi robur.

VERS. 15. ET PROSTERNETVR VERITAS IN TERRA] Veritas, putà vera Dei fides, lex, cultus, religio: hæc enim sustulit Antiochus. Septuag. pro *veritas* vertunt, *iustitia*: conculcata enim religione, conculcatur & iustitia.

VERS. 16. ET FACIET ET PROSPERABITVR] Antiochus faciet quidquid volet, idque prospero euentu. Est hendyadis.

Dices, *אַסְטָה* aseta, id est faciet, est feminini generis; ergo non refert Antiochum, sed veritatem: q. d. Veritas in terram, quasi semen deiecta, frumentum faciet, magisque multiplicabitur: nam sanguis Martyrum semen est fidelium, ut inquit Terrell. ita explicat Maldon. & Fernand. Verum Resp.

Cornel. in Danielem.

A aseta, id est faciet, respicit *תְּרִבָּה* keren, id est cornu, quod est feminini generis: Antiochus enim est cornu modicum, de quo à v. 9. egit hucusque: quia ergo keren est femininum, hinc femininum verbum ei attribuit hinc, & v. 9. Verum, quia per keren inteligit Antiochum, hinc v. 11. vtitur verbis masculinis.

VERS. 17. ET AVIDVI VNVM DE SANCTIS] audiuī ange- hum unum superioris ordinis, ex iis qui Deo assi- stunt, cap. præced. v. 10.

VERS. 18. ALTERI NESCIO CVI LOQVENTI] cuidam cuius nomen ignoro, loquenti: Hebr. enim est, *פֶּלֹן* peloni, quem Hispani vocant fulano, Galli un quidam. Vnde Aquila, Theodot. & Septuag. retinuerunt Hebream vocem, verteruntq; *Φελυωνι*: quam minus recte Eudoxius transtulit, *amicissimo, presidi pre- cipuo*. Indicat Daniel se tres ut minimum angelos vidisse, vel potius audisse. Nam vidit unum loquentem cum aliquo alio, & unum alterum ab eo qui loquebatur sic interrogantem: *Vsquequo visio?* Ex his patet, vera esse ea quæ de angelorum locutione & illuminatione quam inferiores à superioribus accipiunt, tradit S. Dionys. lib. de Cœl. hierar. Vide dicta 1. Corinth. 13. 1. vbi differui de lingua angelorum. An hi angeli fuerint diuersi ab illis v. 15. an vero iidem, non liquet. Potuit enim unus hic eminus loquens, mox v. 15. ad Danielim aduolare, eiique virti specie spectandum se præbere, ac visionem exponere. Vnde noster Fernand. vif. 25. sect. 5. censet eum qui hinc loquitur, nec nominatur, esse illum ipsum qui v. 16. vocatur Gabriel.

Quidquid de hac re sit, certum est angelos hos locutos esse inter se de persecutione Antiochi Epiphanius, eiusque terminum optasse, vt ostenderent se esse angelos presides & tutelares Iudeorum, siue fidelium, & populi Dei, eorumque res curare & cordi habere, ac tantæ eorum calamitati condolere & misereri, eiique tempore à Deo præstituto finem imposituros.

VERS. 19. VSQVEQVO VISIO ET IVGE SACRIFICIVM, & significat id est. q. d. Quamdiu sacrificium iugé, quod Daniel ab Antiocho sublatum vidit, sublatum manebit? ET PECCATVM DESOLATIONIS, id est desolatio vrbis, quæ propter Iudeorum peccatum FACTA, id est facienda, EST, repete vsquequo, scilicet durabit? ET SANCTVARIVM (templum) ET FORTITVDO; Hebr. *אַבְּשָׁתָה* tsaba, id est exercitus populusque Dei, vsquequo conculcabitur?

VERS. 20. ET DIXIT EI: VSQVE AD VESPERAM ET MANE DIES DVO MILLIA TRECENTI] Vsque ad vesperam & manè, id est à dolore ad lætitiam, inquit Theodor. iuxta illud Psalm. 29. 6. Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Sed hoc est mysticum.

Secundò, Maldon. & Vatabl. vsque ad vesperam & manè, id est secundum noctium dierumque successionem, q. d. Dies naturales (quorum quisque constat vespero & manè, id est nocte & die) huius desolationis erunt 2300.

Tertiò, & aptissime Perer. & Pintus: vsque ad vesperam & manè, id est, vsque ad diem illam, qua scilicet finietur desolatio Antiochi, erunt dies 2300. dies enim naturalis per vesperam & manè, quasi per sui finem & principium, describitur Genes. 1. 5. Secundò, alludit ad iugé sacrificium, quod ait hoc die restituendum: illud enim offerebatur tam vespero, quam manè; ideo dicit, vsque ad vesperam & manè potius, quam vsque ad diem illum.

DIES DVO MILLIA TRECENTI] id est anni sex, mensis quatuor, dies 20. cœpit enim hæc Iudæorum per Antiochum desolatio anno 143. Græcorum, ut habetur 1.Machab.1.21. & duravit usque ad annum 149. quo mortuus est Antiochus, 1. Machab. 6. 16. Licet enim anno præcedente 148. Iudas Machabæus mundauerit templum ab Antiocho pollutum, ut paret 1.Machab.4. 52. tamen quia adhuc viuebat Antiochus, nondum desolatio & persecutio cessabat, nondum liberè age-re & sacrificare poterant Iudæi: eo verò mortuo anno sequenti 149. omni metu & persecutione soluti, liberè sacrificare, siveque festa & sacra publicè & intrepide celebrare cœperunt: vnde illum annum quasi restituta libertatis, sacrificij & religio-nis notat hic angelus. Perperam apud Septuag. legitur, dies 2400. apud alios teste S. Hieron. dies 2200. Hebr. enim & Latina constanter habent: B dies 2300.

15. Factum est autem cum viderem ego Daniel visionem, & quererem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.

16. Et audui vocem viri inter Vlai: & clamauit, & ait: Gabriel fac intelligere istum visionem.

17. Et venit, & stetit iuxta ubi ego stabant: cumque venisset, pauens corru in faciem meam, & ait ad me: Intellige fili hominis: quoniam in tempore finis complebitur visio.

18. Cumque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram: & tetigit me, & statuit me in gradu meo,

19. dixitque mihi: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum.

20. Aries, quem vidisti habere cornua, rex Medorum est atque Persarum.

21. Porro hircus caprarum, rex Græcorum est, & cornu grande, quod erat inter oculos eius, ipse est rex primus.

22. Quod autem fracto illo surrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius consurgent, sed non in fortitudine eius.

23. Et post regnum eorum, cum creuerint iniquitates, consurget rex impudens facie, & intelligens propositiones.

24. & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: & supra quam credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos & populum sanctorum.

25. secundum voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.

26. Et visio vespere & manè, quæ dicta

A est, vera est: tu ergo visionem signa, quia post multos dies erit.

27. Et ego Daniel langui & ægrotavi per dies: cumque surrexissem, faciebam opera regis, & stupebam ad visionem, & non erat qui interpretaretur.

QVASI SPECIES VIRI] Angelus hic fuit, species VIII apparet Danieli, quem Hebræi censerunt fuisse Gabrielem. Ille enim mox iubetur visionem exponere Danieli: angelum vero alterum qui illi acclamauit, iussaque visionem exponere, Michaëlem fuisse censerunt veteres Hebræi, inquit S. Hieron. qui & addit: Quia visio de preliis erat, regumque certaminibus, immo regnorum successionibus, Gabriel, qui prepositus est preliis, huic officio mancipatur. Gabriel enim in linguam nostram vertitur, fortitudo, vel robustus Dei. Vnde & eo tempore, quo erat Dominus nascitus, & indicturus bellum demonibus, & triumphatus de mundo, Gabriel venit ad Zachariam, & ad Mariam, Luce 1. Et postea in Psalmis legimus de Domino triumphante: Quis est iste rex glorie? Dominus fortis & potens, Dominus fortis in prelio, ipse est rex glorie. Vbi cumque autem medicina & sanatio necessaria est, Raphael mittitur, qui interpretatur curatio, vel medicina Dei: hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera. Porro ubi populo profera promittuntur, & εἰλαστός (quod nos vel propitiacionem, vel expiationem possumus dicere) necessaria est, Michael dirigitur, qui interpretatur, Quis sicut Deus? ut scilicet intelligatur, quia propitiacionem, vel expiationem nullus posset afferre nisi Deus.

INTER VLAI] inter portas, vel inter ripas Vlai, C vbi in spiritu consistebat Daniel, ut dictum est v.2.

IN TEMPORE FINIS, id est, tempore definito & constituto à Deo, COMPLEBITVR VISIO] Vnde ex Hebr. clarè sic vertas, in tempore (à Deo definito) erit finis visionis, id est complebitur haec visio. Sic enim sic explicat v.19. dicens: Ego ostendam tibi quæ futura sunt in nouissimo maledictionis, id est iræ Dei, quando scilicet impleta mensura peccatorum, tum Persarum, tum Iudæorum, Deus ea puniet per Alexandrum, & per Antiochum. Quod enim ibi subdit: Quoniam habet tempus finem suum, idem videtur esse cum eo quod hic dicit: In tempore finis. Tempus ergo finis est nouissimum maledictionis, id est iræ Dei. Hinc Secundò, per hypallagen sic explicati potest: In tempore finis, id est in fine temporis, scilicet à Deo, & Dei ira decreti & destinati. Ita Septuag. Tertiò, longius abit Vatablus, dum verit, visum euenerit post finitam captiuitatem Babyloniam, quasi tempus finis sit illud, quo finientur 70. anni captiuitatis Babylonicae. Verum eius nulla hic præcessit mentio: & haec diu post captiuitatem contigerunt. Quartò, alij sic explicant: In tempore finis, quo scilicet Antiochi persecutio finietur, complebitur haec visio, præsertim ea parte qua dixi v.14. Usque ad vesperam & manè, dies duo millia trecenti: quasi eò respiciat angelus. Verum hoc arctius est, neque satis consentit cum v.19. quo dicit in nouissimo maledictionis haec futura, putâ regnante Alexandro & saeviente Antiocho, ut in sequentibus explicat, vbi clarè docet visionem hanc finiendam & implendam esse per utrumque hunc regem, illum Persas, hunc Iudæos inuidentem & proterentem. Licet enim Iudei iam affligerentur & protererentur à Chaldaëis, tamen longè

longè grauius affligendi erant ab Antiocho. Hic enim non corpora, vt Chaldaei, sed corpora & animas protrivit, cogendo omnes ad idololatriam, & sacra omnia vel abolendo, vel profanando. Quinto, alij, *In tempore finis*, inquiunt, id est in tempore breui finiendo: excitat enim attentionem Prophetæ, & simul confirmat prophetiam adeò veram esse, vt breui tempore complenda sit. Sed obstat v. 26, ibi enim ait eam fore post multos dies: persecutio enim Antiochi contigit penè 400. annis post Danielem. Esto enim hoc tempus breue sit respectu Dei & æternitatis, tamen nobis longum est, & v. 26. longum vocatur: cur ergo h̄c illud vocaret breue? pariformiter enim & uniformiter loqui solent Prophetæ. Quocirca melius Vatabl. contrariè exponit hoc modo: *in tempore finis*, id est, in tempore tandem finiendo, hoc est, post longum tempus complebitur h̄c visio.

VERS. 18. *COLLAPSUS SVM*] Hinc videtur, quod Daniel bis collapsus sit in terram, primò, ad præsentiam; secundò, ad vocem angelī. Ita Maldonatus.

VERS. 19. *QVÆ FUTURA SVNT IN NOVISSIMO MALEDICTIONIS*] Hebr. *que futura sunt in extremo ire*, cùm scilicet ira Dei, quam ipse iam cohibet, peccatis Persarum & Iudæorum irritata, ad summum peruererit, & in ultionem erumpet.

VERS. 20. *QVONIAM HABET TEMPUS FINEM SVVM*] id est suam periodum, suum spatiū, suam ætatem sibi à Deo præstitutam & definitam, vt in ea adueniat, adducatq; secum omnia quæ in tempore illo futura sunt, quæque h̄c futura præudentur & prædicuntur. Vide dicta v. 17.

VERS. 21. *HIRCUS*] Hebr. sunt due voces *הַצְפִּיר* *הַשָּׁעֵר* *hattaphir hassair*, q.d. *hircus*, *hircus*; sed quem v. 5. Chaldaicè vocavit *hattaphir*, cumdem h̄c Hebraicè explicans vocat *hassair*. Hircum enim Chaldaicè vocari *tsaphir*, Hebraicè *sair*, idque à pilis & villis quibus abundat, docent Vatabl. Marinus Brixien. in Lexico, & alij.

VERS. 22. *QVATVOR REGES (quos nominaui v. 8.) DE GENTE EIUS CONSVRGENT*: erunt enim Græci & Macedones, qualis fuit Alexander; **SED NON IN FORTITUDINE EIUS**] id est, nequaquam illi viribus pares erunt. Verè Paulus Orosius lib. 3. histor. c. 23. *Alexander*, inquit, *per duodecim annos trementem sub se orbem ferro presit*: *principes vero eius quatuordecim annis dilaniauerunt*, & *velut opimam predam à magno leone prostratam audi discerpere catuli*, sc̄q; ipsos in uicem in rixam irritatos predece. emulatione frigerunt.

VERS. 23. *ET POST REGNUM EORVM*] quatuor primorum, qui Alexandro proximè successerunt.

CVM CREVERINT INIQVITATES Iudæorum, ita vt earum mensura completa Deus permittat sequire Antiochum in Iudæos. De peccatis hisce vide 1. Machab. 1. 12. & sequent.

CONSVRGET] non proximè, sed remotè: sex enim reges medij intercesserunt, regnaruntq; per annos centum & sex.

REX IMPUDENS FACIE] putà Antiochus Epiphanes, rex impissimus, qui nec Deum, nec homines reuerebitur: vnde in multis erit ipse typus Antichristi. De quo vide S. Gregor. 32. Moral. 12.

ET INTELLIGENS PROPOSITIONES] abstrus scilicet, & vix illi hominum cognitas: Hebraicè *חִידֹת*, id est ænigmata, strophas & versutias, q.d. Antiochus erit acutus & astutus, sagax & calidus. Alij sic exponunt: *Intelligens propositiones*, id est intelligere faciens hanc de se prophetiam: ipse Cornel. in Danielem.

A enim suis factis eam adimplebit, itaque eam omnibus conspicit. Sed hoc remotius & alienius videtur.

NON IN VIRIBVS SVIS] sed permisso Dei, **VERS. 24.** volentis punire per eum peccata Iudæorum, vt dicit v. 12.

ET FACIET] perficiet scelera quæ animo destinat, parem habebit manum ingenio, & opera patria suis strophis.

ET IN COPIA RERVM OMNIVM] cùm omnibus **VERS. 25.** rebus ad malè agendum abundatus sit: erit enim ei copia opum, militum, armorum, principum, &c. Hebr. est, & *in pace multos occidet*, id est, multos innocios & pacificos occidet: aggredietur enim eos nihil tale suspicantes, vt pote in otio degentes: ita Vatabl. aut, vt Maldon. *in pace*, id est impunè, sine ullo suo detinimento occidet eos. Verum pax Hebreis non tantum quietem, sed & prosperitatem ac copiam rerum, quæ in pace esse solet, significat. Vnde Noster plenius vertit, *in copia rerum*, cùm scilicet tam Iudæi, quam Græci pace & copia rerum abundant: sed Iudæi otio & luxu diffuent, Græci vero eodem ad arma & bella ventur; tunc ipse Epiphanes Græcus occidet multos.

B **ET CONTRA PRINCIPEM PRINCIPVM**] contra Deum, qui est Rex regum, & Dominus dominantium. Vide v. 21.

ET SINE MANV CONTERETVR] Antiochus Epiphanes vt pugnauit viribus, non tam suis quam Dei; ita cadet telo, non hominum, sed Dei, ab eo percussus foetore & vermibus anno regni sui duodecimo, vt moriens intelligat se non viribus hominum, sed diuino iudicio puniri. Sic Antichristum Christus occidet spiritu oris sui 2. Thessal. 2. 8. solo enim flatu & iussu suo occidet eum sine armorum & militum strepitu. Vide ibi dicta. Mirum est Septuag. vertere, & quasi oua manu conteret, scilicet Iudæos Antiochus.

D **Nota.** Licet ad morbum & mortem Antiochi concurrerint variae causæ naturales, ac præsertim grauis eius miceror & melancholia, concepta tum ex nuntio fusi sui exercitus in Iudæa, tum ex turpi sua fuga è Perside; tamen præcipua causa fuit vindicta Dei, quæ blasphemum & superbum persecuta est, & cladibus iam dictis aliisque grauioribus afflixit. Hoc enim clarè dicitur 2. Machab. 9. 5. *Qui uniuersa conficit Dominus Deus Israel*, percusit eum insanibili & inuisibili plaga. *Vt enim finiuit hunc ipsum sermonem* (quo dixerat Antiochus, se Hierosolymam congeriem sepulchri Iudæorum facturum) *Primi*, apprehendit eum dolor dirus viscerum, & amara internorum tormenta: & quidem satis instè, quippe qui multis & nouis cruciatis aliorum torserat viscera. Secundò, cùm superbia & ira furens in Iudæos iuberet celerrimè agitari currum, contigit illum impetu cunctem de curru cadere, & grani corporis collisione membra vexari. Isq; qui sibi videbatur etiam fluctibus mari imperare, supra humanum modum superbia repletus, & montium altitudines in statu appendere, nunc humiliatus ad terram in gestatorio portabatur, manifestam Dei virtutem in semetipso contestans. Tertiò, membra eius computruerunt; ita vt de corpore impij vermes securarent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius & foetore exercitus grauaretur: & qui paulo ante sidera celi contingere se arbitrabatur, eum nemo poterat propter intolerantiam foetus portare. Hinc Quartò, capit ex graui superbia deductus ad sui agnitionem venire, diuina admonitus plaga, per momenta

singula doloribus suis augmenta capientibus. Et cum nec ipse iam sutorum suū ferre posset, ita ait: Iustum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire. Orabat autem hic sc̄elestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus. Hoc Antiochi exemplum ob oculos sibi ponant superbi & blasphemii, pr̄sertim tyranni, & Ecclesiae ac fidelium persecutores, ac similem Numinis vindictam, cælesti eos iudicio peruriente, ni resipiscant, expectent.

Hilce de causis in duello arietis & hirci, quod hoc capite describitur, hic Antiochus notatur per hircum, æquè ac Alexander. Conditiones enim hirci, quas recensui v. 5. tam illi, quam huic conueniunt. Fuit enim Antiochus veritus, arrogans, libidinosus, rapax, pugnax etiam in arietem (id est, in Persas, vt patet 2. Machab. 9. 1.) breuis æui & regni, ac fœtidus in vita & morte vt hircus. Id magis patebit c. 1. v. 20. & sequent.

VER. 26. VISIONE VESPERE ET MANE, id est, vespertini & matutini temporis, siue quæ complebitur in vespera & manè diei 2300. VERA EST] vt dictum est vers. 14.

TV ERGO VISIONEM SIGNA] apud te referua

A & annota; quia nemo iam plenè eam intelliget: eueniet enim post multa tempora, scilicet post 400. penè annos. Hac enim de causa cum remota est prophetia, iubet Deus Prophetis, vt eam signent & claudant. Secundò, Origen. hom. 13. in Num. *Signatus*, inquit, liber dicitur, pro eo quod figuris perplexus est, & enigmatibus inuolutus. Et Pinedali, 5. de Rebus Salom. c. 13. *Signa*, inquit, id est scribe prophetiam notis arcana, sicut Ægyptij scribebant per notas & characteres hieroglyphicos; vt etiamnum scribunt Sinenses. Sic signatus fuit liber ostensus S. Ioanni Apocal. 5. *sigillis septem*, quasi septem characteribus arcana quædam mysteria continentibus, quæ c. 6. reserantur & explicantur.

LANGVI ET ÆGROTAVI] perculsus & consternatus admiratione visi, putà angeli loquentis, & desolationis tantæ genti meæ imminentis, quam prædicebat angelus.

NON ERAT QVI INTERPRETARETVR in particulari nomina, tempus, aliasque circumstantias visionis meæ, quæ erat de febus futuris: eam enim in generali tantum angelus interpretatus erat Danieli v. 20.

VERS. 27

C A P V T N O N V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Daniel orat pro liberatione Iudeorum è captiuitate Babylonica, unde v. 21. mittitur ad eum Gabriel, significans non tantum soluendam captiuitatem Iudeorum, sed & totius generis humani, per Christum post 70. hebdomades annorum.

Vers. 1. IN anno primo Darij filij Assueri dese-
mine Medorum, qui imperauit super
regnum Chaldæorum.

2. Anno viro regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam prophetam, vt completerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni.

3. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in ieuniis, sacco & cinere.

4. Et oraui Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi: Obsecro Domine Deus magne & terribilis, custodiens pactum, & misericordiam diligentibus te, & custodientibus mandata tua.

5. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & recessimus: & declinauimus à mandatis tuis, ac iudiciis.

6. Non obediuiimus seruis tui propheticis, qui locuti sunt in nomine tuo regibus nostris, principibus nostris, patribus nostris, omniq[ue] populo terræ.

7. Tibi Domine iustitia: nobis autem confusio faciei, sicut est hodie viro Iuda, & habitatoribus Ierusalem, & omni Israël, his qui propè sunt, & his qui procul in vniuersis terris, ad quas eieciisti eos propter iniquitates eorum, in quibus peccauerunt in te.

8. Domine nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, & patribus nostris, qui peccauerunt.

9. Tibi autem Domino Deo nostro misericordia & propitiatio, quia recessimus à te,

10. & non audiuiimus vocē Domini Dei nostri, vt ambularemus in lege eius, quā posuit nobis per seruos suos prophetas.

11. Et omnis Israel præuaricati sunt legem tuam, & declinauerunt ne audirent vocem tuam, & stillauit super nos maledictio, & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui Dei, quia peccauimus ei.

12. Et statuit sermones suos, quos locutus est super nos, & super principes nostros, qui iudicauerunt nos, vt superinduceret in nos magnum malum, quale numquam fuit sub omni cælo, secundum quod factum est in Ierusalem.

13. Sicut scriptum est in lege Moysi, omne malum hoc venit super nos: & non rogauimus faciem tuam Domine Deus noster, vt reueteremur ab iniquitatibus nostris, & cogitaremus veritatem tuam.

14. Et vigilauit Dominus super malitiam, & adduxit eam super nos: iustus Dominus Deus noster in omnibus operibus suis, quæ fecit: non enim audiuiimus vocem eius.

VERS. 1. IN ANNO PRIMO DARII] quo scilicet expulsa Babylone Darius cœpit regnare ut monarcha, qui fuit annus 70. & vltimus captiuitatis Babylonicae, idemque fuit annus mundi 3420. ante Christi verò nativitatem fuit annus 529. Hoc ergo anno Daniel cognovit hasce 70. hebdomadas usque ad Christum ducem, id est usque ad Christi baptismum, superesse. Darius hic fuit Medus filius Assueri. Nota. Assuerus, vel, ut Chaldae, est, **A** Achas ueros, componitur ex אָחָס, achas, id est magnus, & שָׁפֵר, veros, id est caput, q.d. Magnus capitancus, magnus princeps. Sic suum Imperatorem Turcae vocant Magnum Dominum, & Tartari Magnum Cham. Itaque Assuerus non tam fuit nomen proprium, quam agnomen commutine, quod illustribus aliquibus regibus Medorum & Persianis appropriatum fuit. Vnde Primò, matritus Esther vocatur Assuerus. Secundò, Cambyses filius Cyri, vocatur Assuerus, i. Esdræ 4.6. Tertiò, hic Assuerus pater Darij Medi, fuit Astyages, auus Cyri, ut dixi c. 5.31.

VERS. 2. ANNO VNO] anno primo: ponitur enim more Hebreo, numerus cardinalis pro ordinali.

Nota. Darius Medus 70. & ultimo anno Babylonicae captiuitatis, cum Cyro, qui erat ei nepos ex sorore, vel potius per Cyrum, expugnauit Babylonem, & in ea unico anno regnauit: nam eodem anno labente successit ei Cyrus solus, qui eodem anno soluit captiuitatem Iudeorum, ut patet i. Esdræ 1.1. Hoc ergo eodem anno, paulò antequam Cyrus Iudeos liberaret, Daniel vidensiam impleti 70. annos captiuitatis à Ieremias prædictos, vidensque instare finem & solutionem eiusdem, orat ut Deus promissa compleat, ac hoc ipso anno 70. Iudeos è captiuitate liberet. Audiit Deus vota Prophetæ sancti, & viri desideriorum, atque non tantum postulata concedit, sed & insuper nouam, & omni spe maiorem ei consolationem & reuelationem impertit, scilicet de Christo duce & liberatore venturo post 70. hebdomadas. Ita enim Deus, qui magnificus est in misericordia, piis suorum preces superat, dum sua gratia & beneficentia merita supplicum excedit & vota.

INTELLEXI IN LIBRIS] intellexi ex lectione Ieremie cap. 25.11. & cap. 29.10. non enim tantus Propheta designatus est alium legere. Credibile est Iudeos, maximè Danielem, studiosè in captiuitate legisse Ieremiam, & anhelantes ad liberationem, solitos fuisse singulos annos, inī dies & horas numerare & supputare usque ad 70. annum quo soluenda erat captiuitas. Cum ergo Daniel visideret iam adesse annum septuagesimum, nec tamen Iudeos adhuc liberari, timuit ne Deus ob noua Iudeorum peccata tempus liberationis protogaret, ideoque peccata sua & suorum confitetur, atque ex intimis præcordiis obsecrat & implorat Dei misericordiam, ut veniam & libertatem suis impetrat.

SEPTUAGINTA ANNI] De his annis, ubi inchoandi, ubi finiendo sunt, dixi Ieremie 29.10.

ET POSVI FACIEM MEAM AD DOMINVM] conuerti faciem ad Ierusalem, & ad templum, in quo habitare solet Dominus.

ROGARE ET DEPRECARI] ut rogam & deprecarer.

IN IEUVNIIS, SACCO ET CINERE] Daniel hic pro causa graui, armatas ieuvniis & ciliciis Deo preces offert. Hac via Deo grata est, ait Tertullianus.

A CONFESSVS SVM] tum peccata mea & populi, tum Dei misericordiam, eamque implorauit. Sic pauperes confitentur suam miseriam, & diuitum misericordiam, eamque celebrant, ut stipem impetrant: hæc est enim ars orandi & mendicandi.

PACTVM ET MISERICORDIAM] Id est, pactum misericorditer initum; vel misericordiam pacem, id est pacto promissam: est hendyadis.

B PECCAVIMVS] Nota hæc affectum pænitentiae & humilitatis, quo se Propheta sanctus quasi peccatorem populo peccatori adiungit, suaque & suorum peccata ex intimo animi sensu confitetur. Hinc Concil. Mileuitan. can. 7. definit etiam Santos habere & confiteri peccata sua, non tantum populi. Noluit, inquit, Daniel sanctus & iustus dicere peccata nostra, sed populi sui dixit, & sua: quia futuros istos (Pelagianos) qui tam male intelligunt, tamquam Propheta præuidit. Rursum S. Augustinus apposito in Sententiis n. 161. Melior, ait, est animi equitas quam corporis sanitas, & conuenientius iustus dolet in supplicio, quam letatus est in delicto.

TIBI DOMINE IVSTITIA, scilicet competit, tu **C** es iustus, & iustissime nos ob peccata punis; NOBIS AVTEM competit & debetur CONFUSIO FA-
CIEI] pudore suffundimur, totaque facie erubescimus, dum intuemur sclera æque ac flagella nostra. Septuag. vertunt, in te est iustitia nostra, nobis autem confusio faciei.

SICVT EST HODIE] sicut hodie res ipsa demonstrat, nos captiuitate hac scelerum poenas dare. Vide can. 30.

Moraliter disce hæc, Ecclesiam & fideles, sèpè persecutiones pati ab infidelibus ob peccata sua: quia scilicet in pace existentes defluxerunt ad luxum, ambitum, avaritiam, quæ Deus per tyrannos castigat & vindicat. Ita sub duabus Philippis Imperat. Christianis, virtus & vigor fideliū in pace elanguit: hinc Deus immisit Decium & Valerianum, qui sua persecutione eam suscitarent & acuerent. Hanc enim causam huius persecutionis extitisse docet S. Cyprian. serm. de lapis: Quia, inquit, traditam nobis diuinitus disciplinam pax longa corruerat, iacentem fidem, & pene dormientem censura clementis erexit. Non in sacerdotibus religio deuota, non in ministris fides integra, non in operibus misericordia, non in moribus disciplina. Imò id ipsum revelatione diuina didicit, vt ipse narrat lib. 4. epist. 4. Illud, ait, oftensum est, quod sederet pater familias sedente sibi ad dexteram iuene: qui iuuenis anxius, & cum quadam indignatione subtristis, maxillam manu tenens mox vultus sedebat. Alius verò in sinistra parte confitens rete portabat, quod se mittere, ut circumstantem populum caperet, minabatur. Et cum miraretur quid hoc esset, ille qui vidit, dictum est ei. Iuuenem qui ad dexteram sic sederet, contristari & dolere, quod precepta sua non obseruarentur: illum verò in sinistra exultare, quod sibi daretur occasio ut à patrefamilias potestatem sumeret seiuendi. Et videnuis impletum quod fuerat oftensum. Et hoc nobis per visionem, fratres charissimi, exprobatum sciatis, quod dormitemus in precibus, nec vigilanter oremus. Et infra: Dic illi, securus sit, quia pax ventura est. Sed & de victu parco & sobrio potu diuinis dignationibus admoremur, scilicet ne vigore celesti sublime iam pectus illecebra secularis eneret, vel ne largioribus epulis mens grauata, minus ad preces eniglet. Simili modo Euseb. libr. 8. histor. i. causam persecutionis Diocletiani assignat vitiatos Ecclesiasticorum & laicorum mores, ex longa pace & libertate; dum alter alteri, inquit, in-

VERS. 4.

uidemus, dum principes cum principibus, populi cum populis seditiones & certamina concitamus, dum simulatio in vultu, dolus in corde, fallacia profertur in verbis, &c. obscurauit Dominus in ira filiam Sion, & deiecit de celo gloriam IsraeL

A nem nostram, & ciuitatem, super quam inuocatum est nomen tuum: neque enim in iustificationibus nostris proster-nimus preces ante faciem tuam, sed in miseracionibus tuis multis

19. exaudi Domine, placare Domine: attende & fac: ne moreris propter te metipsum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum.

ET NVNC DOMINE] Est secunda orationis VERS. 15 pars, qua misericordiam Dei implorat per veterem eius in Iudeos beneficentiam.

SECUNDVM DIEM HANC] sicut hodie videmus te tale habere & retinere nomen, quod gloriose patres nostros ex Aegypto liberari.

DOMINE IN OMNEM IVSTITIAM TVAM] Supple, peccauimus, quia omnes tuas iustitias, id est iustas leges, violauimus. Secundò, in, id est secundum, omnem iustitiam tuam, supple, punimur, & patimur iuste hæc mala captiuitatis, ut referantur hæc ad precedentia.

Verum, quia incipit h̄ic nouus versus, potius ad sequentia hæc referenda sunt, q.d. Secundum misericordiam & fidelitatem tuam nobis poenitentibus & culpam & poenam remitte. *Iustitia ergo h̄ic idem est quod misericordia.* Sic Psal. 142. 1. dicitur, *Exaudi me in tua iustitia, id est misericordia.* Vnde Septuag. h̄ic vertunt, *in misericordia tua auertatur furor tuus.* Rursum *iustitia idem est quod fidelitas,* qua Deus non ob merita, sed ob suam clementiam poenitentibus veniam promisit. Quartò, Vatabl. sic exponit, sicut iustus es, sic sis & clemens, & auerte irā tuam à nobis. Verū tertius sensus est genuinus.

OSTENDE FACIEM TVAM] Hebraicè est, VERS. 17. illustra faciem tuam, id est lucida, serena, benigna & amica facie respice templum tuum, ut illud restares.

PROPTER TEMETIPSVM] propter tuam immensam bonitatem & clementiam, non propter merita nostra, quia tu optimus es & clementissimus, non quia nos meremur hanc gratiam.

ET CIVITATEM SVPER QVAM INVOCATVM VERS. 18. EST NOMEN TVVM] Benigne respice Ierusalem, quæ erat & vocabatur ciuitas tua, in qua scilicet habebas templum, quasi domum & palatium tuum, in quo colebaris & inuocabaris.

D 20. Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas in conspectu Dei mei, pro monte sancto Dei mei:

21. adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificij vespertini.

22. Et docuit me, & locutus est mihi, dixique: Daniel nunc egressus sum ut dicerem te, & intelligeres.

23. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indica-rem tibi, quia vir desideriorum es: tu er-

VERS. 9. TIBI AVTEM DOMINO DEO NOSTRO MISERICORDIA ET PROPITIATIO] tibi scilicet competit, te decet nostri misereri; quia tu es plenus miserationibus, & nos sumus miserrimi, egentes omni miseratione: quare abyssus misericordiae nostræ inuocat abyssum misericordiæ tue. Eia, effunde abyssum misericordiæ tue in abyssum misericordiæ nostræ, ut tua illa abyssus ab omnibus celebretur.

QVIA RECESSIMVS A TE] Hebr. quia rebelluimus tibi. Refert hæc ad superiora v. 5. dat enim causam, cur ipsis sit confusio faciei. Verè S. August. sententia 187. Bene, ait, currit ad remissionem peccatorum, qui dispergit sibi: apud enim iustum iudicem & misericordem qui se accusat excusat.

VERS. 10. NON AVDIVIMVS] non obediuimus voci Domini.

DECLINAVERVNT aures suas, NE AVDIRENT VOCEM TVAM] q.d. Legem tuam noluerunt audire, nec ei auscultare.

VERS. 11. ET STILLAVIT (Hebr. תְּמַת tittach, id est effusa est) SVPER NOS MALEDICTIO, quam nobis comminatus es Leuit. 26. 16. ET DETESTATIO] id est execratio, quam violentibus legem imprecatus est Moses Deut. 27. v. 14. Noster vertit stillavit, quia Deus iram suam misericordia temperans, guttatum effudit, iuxta can. 48.

VERS. 12. ET STATVIT SERMONES SVOS] Statuit, id est confirmauit, implendo & immittendo plagas, quas comminatus est.

VERS. 13. ET COGITAREMVS VERITATEM TVAM] vt studeremus iustitiae, id est legi tue: hæc enim est veritas practica; siue veritas, id est iustitia, vita.

VERS. 14. ET VIGILAVIT DOMINVS SVPER MALITIAM super afflictionem, ut nos affligeret & castigaret. Nota pulchram antithesin; Iudei in peccatis suis obdormierant, sed Deus vigilat, ut poenas quas comminatus est, acceleret. Sic Ierem. c. 1. 11. vidit virgam vigilantem; & Thren. 1. 14. dicitur, *Vigilauit iugum iniquitatum meorum,* id est, citò venit captiuitas, quam peccatis meis commerui.

15. Et nunc Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Aegypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus.

16. Domine in omnem iustitiam tuam: auertatur obsecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Ierusalem, & monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra, & iniquitates patrum nostrorum, Ierusalem, & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum.

17. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui, & preces eius: & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est propter temet ipsum.

18. Inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolatio-

go animaduerte sermonem, & intellige visionem.

24. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.

VERS. 21. ADHUC ME LOQVENTE] Nota hic vim orationis: *Orationibus Danieli visa panduntur, sponuntur flammæ, seræ hebetescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur,* inquit S. Chrysost. serm. de Mose tom. 1.

Rorro vis ut oratio tua sit efficax, vtque Deus faciat voluntatem tuam, tu prior cum Daniele timet Deum, & voluntatem Dei perfice: ipse enim voluntatem timentium se faciet. Orauit multoties Dominū Moyses, ut amoueret plagas ab Ægyptiis, & exaudiebat, licet illi mali essent, Exodi 7.8.9. & 10. Quare? quia Moyses faciebat voluntatē Dei.

Post adorationem vituli, videbatur velle Dominus populum declere, sed Moyses per orationis instantiam obtinuit ei veniam, Exodi 32.

Cum in Moysèm & Aaron turbæ insurgentes, incendio diuinitus excitato disperirent, Moysis monitu Aaron obtulit thymiana, processit in medium, & cum orasset, flamma sublittit, interneccio cessavit, Numeri 11.

Cum filij Israel in deserto in Deum murmurantes passim serpentium iectibus sternenterunt, supplicante pro eis Moysè, Deus placatus æcum serpente in ligno suspendi præcepit; quem percussi dum aspicerent, sanabantur, Num. 21.

Pugnaturi filij Israel contra Philistæos, dixerunt Samueli: *Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum, ut saluet nos de manu Philistinorum.* Qui clamauit ad Dominum, & exaudiitus est, 1. Reg. 7.

S. Wilfridus Episcopus Eboracenensis, teste Beda lib. 5. hist. c. 20. anno Domini 705. suorum precibus à morte liberatus est. Nam cum extremè morbo laboraret, astitit ei S. Michaël, dicens: *Ob hoc missus sum, ut te à morte reuocem. Donauit enim tibi Dominus vitam per orationes ac lachrymas discipulorum & fratrum tuorum, & per intercessionem sue beatæ genitricis semperq; virginis Mariæ. Quapropter tibi dico, quia modo quidem ab infirmitate hac seruaberis: sed paratus es, quia post quadriennium reuertens visitabo te. In patriam vero perueniens, maximam possessionum tuarum, que tibi ablata sunt, portionem recipies, atque in pace tranquilla vitam terminabis.*

Decanus quidam Galliæ Romam iter habens B. Dominicū Mutinæ concionantem vidit. A conacione eum adit, de salute animæ suæ cum illo confert: inter alia dolenter commemorat, ceu quoddam ineuitabile naufragium quod non possit carnis libidine frænare: quæ res cogat eum, ceu desperatum, ab aliis bonis operibus abstinere. Misertus eius vir Dei, fide, qua plenus erat, eum confirmat, dicens: *Abi, deinceps age viriliter, nihil de Dei immensa misericordia desperans. Ego tibi carnis continentiam impetrabo.* Dixit ille, & ita factum est. Qui enim antea immundus & lubricus fuerat, castus & pudicus effectus est. En quantum potest deprecatio iusti. Ita habetur in Vita eius lib. 4. c. 6.

S. Catharina Senensis suis precibus effecit, vt

A resipiscerent duo latrones blasphemii, & obstinati. Eadem Palmerinæ calumniatrixi sue veniam & salutem precibus apud Deum impetravit, viditque eius animam miro decore ornatam, ac Christum dicentem: *Quis non omnem meritò perferat labore, ut possit lucrari tantæ pulchritudinis creaturam? si ego tanto animarum amore captus fui, ut pro iis sanguinem fuderim, quanto magis vos curare debetis, ne pereant tam speciosæ creature?* ita habet eius Vita.

VIR(habens speciem viri) **GABRIEL**. QVEM VIDERAM IN VISIONE A PRINCIPIO] Puta in prima visione qua quatuor bestias vidi, quas ille mihi exposuit cap. 7.v. 15. & 16. licet enim illuc eum non nominarit, hic tamen cum nominat.

B Nota Primo. Idem est Gabriel qui missus est hic ad Danielē, & qui missus est ad B. Virginem Lucæ 1. 26. quia hæc legatio eius de 70. hebdomadi bus, vti & ceteræ ciuidem, ordinabatur ad mystérium aduentus & incarnationis Christi, cuius ipse fuit nuntius Lucæ 1. Ita S. Hieron. in Daniel. 8. Iren. lib. 5. c. 25. S. Ambros. serm. 63. Andreas Hierosol. serm. de Annunt. Suarez 3. p. quæst. 22. a. 1. disp. 9. sect. 1.

Secundò, Proclus Cyzicenus in homil. que habetur in Concilio Ephesino, *Gabriel* interpretatur *Deus homo*; Theoph. in Lucæ 1. *homo Dei*, vel *vir Dei*. גֶּבֶר geber enim virum significat, גֶּבֶר el Deum. S. Hieron. verò, Bernard. & passim alij, *Gabriel* interpretantur *fortitudo* vel *fortis Dei*: quia fortia Dei bella & gesta, præsertim incarnationis Dei, cuius nomen est *fortis* Isaiae 9.6. quique fortissimè nos è manu diaboli, peccati & inferni liberauit, amuntiauit.

C Tertiò, licet S. Greg. hom. 34. in Euangel. S. Bernard. lib. 5. de Confid. Abulensi. in Matth. 18. q. 60. S. Thom. Caiet. & ex iis Suarez loco cit. Baradius & Toletus in Lucæ 1. 26. & Vasquez 1. p. disp. 244. c. 2. n. 11. censeant Gabrielem non esse Seraphinū, sed infimæ hierarchiæ, esseque caput & principem secundi in ea ordinis, qui dicitur Archangelorum: quorum ratio hæc est, quod ex S. Dionys. c. 9. & 13. Cœlest. hierarc. putent angelos astantes, quales sunt primæ hierarchiæ, numquam mitti, sed semper assistere Deo; ministrantes verò, quales sunt ultimæ hierarchiæ, mitti: Tamen alij censem Gabrielem esse Seraphinum. Omnes enim angeli sunt *administratores* spiritus in ministerium missi, ut ait Apost. Hebr. 1. Si Seraphinū aliquando mittitur, sanè Gabriel est Seraphinus; tum quia suprema legatio de incarnatione Verbi illi commissa est, tum quia missus est ad instruendam Virginem, quæ dignitate & gratia erat D omnibus angelorum ordinibus superior. Vnde S. Greg. hom. 34. *Ad hoc, ait, ministerium summum angelum venire dignum fuerat, qui summum omnium nutritabat.* Quocirca Hesych. hom. 2. de B. Virgin. Gabrielem vocat principem angelorū, Andreas Hierosol. angelum unum è primis. Expresè verò Seraphinum cum fuisse docent Magister Sentent. in 2. dist. 10. Scotus ibid. q. vn. Dufand. q. 1. Molina 1. p. q. 112. Greg. de Valentia 1. p. de effectu diuine prouid. disp. 8. q. 6. puncto 2. Salmeron tom. 3. c. 3. vbi ascrit Gabrielem esse primum à Michaële, & secundum inter Seraphinos: nec mirū esse Seraphinos summos à Deo mitti, cum ipse Dei Filius missus sit ad homines, imò eorum carnem assumens, cum eis versatus sit 34. annis. Additq; Gabriel significare primum *fortitudo Dei*, quia fortia Persarum, Medorum & Græcorū prælia & victorias Danieli

annun-

annuntiat; & quia Zachariæ partum ex sterili Eli-sabæth, ac B. Virgini conceptum ex Spiritu sancto nuntiaturus erat. Secundò, Gabriel idem esse quod *vir meus Deus*, vt nomine ipso declareret quid veniat nuntiaturus, scilicet partum eius quæ virgo pareret, ac pro viro Deum, id est Spiritum sanctum, qui conceptum hunc operaretur, haberet. Accedit Franc. Lucas in Lucæ 1. qui afferit Gabrielem esse ex primis angelis, Deo familiarissimis, eiisque proximè astantibus, ac idem significare quod *בָּנֵי gabri*, id est *vir*, *dominus princeps meus* *לְאֵלִי*, id est *Deus*; vel *fortis meus Deus*. Sic & Maldon. afferit eum esse è primis angelis: quin & Damascenus serm. de dormit. Deiparae, ait eum esse primum inter angelos. & Cedrenus in compendio, esse principem angelorum, id est esse vnum è primis. Hoc ergo verius videtur quam id quod S. Bonavent. & aliqui alii dicunt, Gabrielem esse è media hierarchia, putâ ex ordine Principatum, qui regnis præsunt, quia mediatores Christum annuntiavit.

Porro licet aliqui, vt Toletus in Lucæ c. 1. censent Gabrielem esse ex ordine penultimo, qui est Archangelorum, eo quod vocetur Archangelus: verius tamen videtur eum esse ex primo ordine, qui est Seraphim, adeoque esse vnum è primis auctæ cœlestis principibus: imò non desunt, qui censent eum inter Seraphinos esse omnium primum. Ita censet Marcus Viguerius Cardinalis in Decachordo Christiano chorda 1. c. 2. idque probat octo rationibus, vel potius congruentius. Decebat enim, inquit, eum esse primum & summum, qui summum incarnationis Christi mysterium tam B. Virgini, quam Danieli nuntiaret. Primò, vt, sicut primus angelus olim, nunc primus diabolus, putâ Lucifer, decepit Euam, fuitque causa ruinæ generis humani; ita pariter reparationis & restauracionis eiusdem nuntius esset angelus omnium primus & princeps. Secundò, vt quanto opus hoc incarnationis Filij Dei minus credibile, magisque impossibile videbatur, tanto magis nuntijs supremi auctoritate eius possibilitas & fides roboretur. Tertiò, vt maximam gratiam (talis enim est Verbi incarnatione) gratissimi Deo nuntijs ministerio non tantum genus humanum, sed orbis terrarum vniuersus assequeretur. Quartò, vt maximè inter se distantia extrema, putâ Deus & homo, per medium Deo maximè propinquum, putâ per Gabrielem legatum, copularentur & cogerentur in vnum. Quintò, vt sumnum charitatis Dei affectum & effectum, charissima Deo creatura nuntiaret. Sextò, vt opus hoc annuntiaret legatus ille, qui eius fructum ardenter desiderabat. Septimò, vt rem tantam, insolitam planè & inauditam, is, qui vtrique parti maximè erat familiaris, aptius pertractaret. Octauò, ex nomine: Gabriel enim Hebraicè idem est quod *virtus mea Deus*, vel *fortitudo Dei*, vel *confortauit me Deus*, vel *homo Deus*. Gabriel ergo est fortissimus, potentissimus ac primus Dei angelus, ita vt inter eum & Deum nullus sit medius, vel mediator. Hæ rationes omnes hac vna concluduntur: Ad opus summum decebat mitti summum angelum: Atqui opus summum Dei est Verbi incarnatione: Ergo Gabriel ad id nuntiandum missus, est angelorum summus. Verum hæ ratio non omnino conuincit. Nam reges sæpè ad summa negotia cum Pontifice vel Imperatore tractanda, mittunt legatum non absolutè summum, sed aliquem è maioribus & primis aulæ sue principibus.

A Addit. Gabriel missus est non tantum ad summa negotia cum B. Virgine, sed & ad minora negotia; de nativitate S. Ioannis cum Zacharia Lucæ 1. & ad bella Machabæorum cum Daniele c. 10. per tractanda. Denique communis sententia est, non Gabrielem, sed Michaëlem esse primum angelorum omnium, de quo plura c. 12.

Dices, Gabriel vocatur *Archangelus* à S. Athanasio in Euangeli de S. Deipara, Irenæo lib. 5. c. 21. Ambrosio lib. 1. de Spiritu sancto c. 7. Leone serm. 2. de Natiuitate Augustino serm. 18. de Tempore, Gregorio homil. 34. in Euangelia: Ergo est ex ordine Archangelorum. Resp. Vocatur Archangelus, id est angelus primarius & princeps, quia est vnu è primis & summis angelis. Vnde Gabriel vocatur *angelus princeps* ab Helychio hom. 2. & Cedreno super citato. Ita Gabriel Vasquez 1. p. tom. 2. disp. 24. n. 10. vbi & n. 3. probabiliter censet angelum qui confortauit Christum in agonia passionis, fuisse Gabrielem: Gabriel enim ut nomen habet à fortitudine, ita & officium habet confortandi. Additque, eum confortasse Christum non corroborando eius infirmitatem, sed eximiam eius fortitudinem collaudando.

CITO VOLANS] Habebat ergo alas, vti angeli solent: tantum valent preces feruentes, vt angelos aduolare cogant.

TETIGIT ME] vt me ad attentionem excitaret.

IN TEMPORE SACRIFICII VESPERTINI] vespera, sub illud tempus quo solebat in templo offerri sacrificium iuge vespertinum. Vide hic quām sacrū tempus respiciat Deus. Sic Iosaphat cum suis in summa exercitus siti per Eliseum aquas miraculosè obtinuit, manè quando sacrificium offerri solet, 4. Reg. 3. 20. Simile exemplum narrat S. Gregor. hom. 37. in Euang. de quodam captiuo cuius vincula soluebantur, quoties vxor pro eo quasi mortuo sacrificium offerri curabat. Aliud proorsus simile habet Ven. Beda lib. 4. histor. Anglor. c. 22. & aliud habet Metaphrastes in Vita S. Ioannis Eleemosynarij.

EGRESSVS EST SERMO] exiit à Deo præceptum, VERS. 23. vt ad te venirem, teque docerem tempus aduentus Christi.

QVIA VIR DESIDERIORVM ES] Primò, actiue, q.d. Quia pro tuo desiderio gloriae Dei, & salutis hominum, ac liberationis populi tui è captiuitate, mereris audire de ea secreta Dei decreta. Secundò passiuè, q.d. Quia amabilis es, & Dei amore dignus: sicut Salomon appellatus est *Idida*, id est dilectus Domino, 2. Reg. 1. 2. 25. res enim desiderij vocat Script. res quæ amantur, & habentur in pretio. Hebr. *quia tu es חַמּוֹדָה* chamudot, id est, desideriū, vel desideria, id est, quia tu es multum desiderabilis & amabilis, tu totus es expetitio & amor: Deus & Sancti te vnicè expetit, amat, & desiderat. Sic Christus vocatur desideriū colliū eternorū, Gen. 49. 26. Unde Symmachus vertit, *et tu es θηραμηνη vir amabilis*.

SEPTVAGINTA HEBDOMADES ABBREVIATÆ VERS. 24. SVNT] Nota Primò. Hebdomas, id est septenarius, aliquando est dierum, aliquando annorum, vti erant septem hebdomades, id est 49. anni ante iubileum, Leuit. 25. 8. Sic & hæc capitul, vti omnes Hebrei, Græci & Latini consentiunt. Septuaginta ergo hebdomades, sunt 490. anni: multiplica enim 70. per 7. inuenies 490. Errat ergo Origenes tractatu 29. in Matth. dum ait, hebdomadem esse non septem, sed decem annorum.

Daniel fuit vir desideriorum dissipator.

Septuaginta hebdomades sunt 490. annos.

Gratiis errant nonnulli Rabbini, qui per se-
ptimanam accipiunt iubileum, id est 49. annos.
Hi enim, inquit, faciunt septem iubila parva
7. annorum: septies enim, septem faciunt 49. Ergo
70. hebdomades haec, cum sint iubileorum, faciunt
3430. annos quibus expletis veniet Messias. Nam
Primo, nusquam in Script. septimana accipitur pro
iubileo, sive pro 49. annis, sed ut sumnum pro
septenario annorum. Secundo, quia Daniel ait
abreuiatas, id est breues & modici temporis, esse
has hebdomades, vti & ceteri Prophetae, ac in
primis Agg. c.2.v.7. ait, post modicum tempus
venturum Messiam. Atqui 3430. non modicum,
sed longissimum est tempus. Tertio, quia Daniel
v. 26. ait, in fine harum 70. hebdomadum de-
struendum templum cum vrbe. Atqui hoc iam fa-
ctum est a Tito: ergo expletæ sunt iam pridem 70.
hebdomades. Rursum, ergo haec hebdomades sunt B
septem annorum, faciuntque vniuersim 490. an-
nos. Nam paulo post eos expletos, euersum est
templum cum vrbe a Tito, manetque & manebit
desolatum. Vnde & Rabbini constanter docent,
secundum hoc templum stetiſſe tantum 420. an-
nis. Quartò, quia 70. hebdomades conficerent 490.
annos dumtaxat docet Talmud, cui Iudei omnes
credunt, tract. Sanhedrin, c. chelec, ex R. Saadia &
aliis Rabbinis. Denique ait Daniel v. 27. quod in
dimidio hebdomadæ deficiet hostia & sacri-
ficium, & erit in templo abominatio desolationis,
qua durabit ad finem mundi.

Symbolicè notat Alazar in Apoc. 11.v.2. notat.
4. numerum 490. Hebreis fuisse celebrem & quasi
sacrum, eò quod sit denarius iubilei, sive decimum
iubileum. Iubileum enim inchoabatur & promul-
gabatur quolibet anno 49. (hic enim est septies
septimus:) multiplica 49. per decem, habebis 490.
Significatur ergo hoc numero, quod Christus hoc
anno allatus sit plenum & perfectum iubileum.
Denarius enim symbolum est perfectionis.

Nota Secundo. Haec 70. hebdomades dicuntur
abreuiatae, &c, vt Septuag. concisa, id est præcise
& definitæ (hoc enim significat Hebr. 70 נְשָׁתָה) non quod ad preces Danielis & Prophetarum
decurtatae sint, & breuiores factæ, quam fuerant
antea a Deo decretae, vti aliqui volunt: neque et-
iam quod haec hebdomades sint annorum non so-
larium, sed lunarium (annus enim lunaris breuior
est solari 11. diebus) vti volunt Theodor. Beda, &
Perierius: sed quod breues, id est paucæ, definitæ
sint usque ad Christum, cum Deus longè plures
statuere potuisset, idque ob preces & suspiria Da-
nielis, & Isaiae c.45.8. & aliorum a Deo præuisa. D
Sic Matth. 24.22. dicuntur breuiati, id est breues,
hoc est pauci, decreti a Deo, dies persecutionis An-
tichristi.

Hinc plerique Doctores, etiam Scholastici do-
cent, Danielum, Isaiam, aliosque Prophetas & Pa-
triarchas meruisse de congruo, non quidem ipsam
incarnationem in substantia, sed eius acceleratio-
nem, & alias circumstantias, v. g. quod a Davide
& posteris eius progigneretur Christus. Ita censem
Bonavent. in 3. dist. 4. a. 2. q. 1. Gabriel art. 3. dub. 3.
Ricard. a. 3. q. 1. Almain. q. 1. dub. 3. Marfil. q. 5. a. 1.
concl. 3. Alens. 3. p. 8. memb. 3. a. 2. Huc etiam in-
clinat D. Thom. Scotus, & ex iis Franc. Suarez 3. p.
q. 2. a. 10. disp. 10. sect. 6. idque colligunt ex hoc
loco. Ait enim Gabriel: Ab exordio precum tuarum
egressus est sermo. Ego autem veni ut indicarem tibi, quia

A vir desideriorum es, &c. Septuaginta hebdomades abbre-
uiatae sunt super populum tuum, ut finem accipiat pecca-
tum, & adducatur iustitia sempiterna. Orauerat enim
Daniel v. 2. 3. & sequent. in ieuniis, facco & cinc-
re, non tantum pro reditu Iudeorum a Babylonie,
sed & pro peccatis populi abolendis: haec autem
non nisi per Christum abolenda sciebat. Ita Ru-
pert. in Daniel. cap. 16.

Alij dicunt hebdomades has abreuiatas fuisse,
quia ultima concisa fuit, non plena: nam in medio
eius occisus est Christus: in Christi enim nece vi-
dentur omnes finiri.

Vt CONSUMMETVR PRÆVARICATIO] Sen-
sus est Primo, q.d. Donec impietas ad summum
crescat, ita ut amplius augeri nequeat, donec scili-
cet occidatur Christus noster, quod summum fuit
peccatum. Vnde Tertull. libr. contra Iudeos legit,
quod si que inuenientur delictum. Ita Theodor. Euse-
bius lib. 8. Demonstr. & S. Chrysost. oratione 2.
contra Iudeos. Sic medicus expectat crisin morbi,
ut is totum se exferat, crescatque ad summum;
tumque curationem incipit, cum morbus planè
cognitus decresceret incipit.

Secundo, simplicior & verior sensus, q.d. Ut in Christo
veniat Christus, qui quasi agnus in ara crucis omni- finem ac-
nia peccata hominum consumat, & profus delect. cepit pec-
catum. Vnde sequitur explicationis causa: Et finem accipiat catum
peccatum. Pro consummetur Hebr. est מִתְּהָתֵּם lehatem, quomodo?
id est, ut finiatur. Aliqui, ut Pagninus, pro מִתְּהָתֵּם legen-
tes, pro lehatem legunt מִתְּהָתֵּם lachatom, id est, ut
signetur vel sigilletur, hoc est, inquit, ut abscondatur,
& quali sigillo concludatur, ut ultra non
appareat, quod ipsum est, finem accipere pecca-
tum. Ita Pineda in Iob 37.7. Verum Hebr. germa-
na lectio habet lehatem, non lachatom. Nota. Licet
post Christum multa committantur peccata, hic
tamen dicitur ea finem accepisse, Primo, quia
Christus pro omnibus satisfecit, & sic omnibus no-
stris debitis quasi finem imposuit, eaque, quantum
est ex parte sua, aboleuit. Secundo, quia Christus
nobis cælum aperuit, sustulit idolatriam, diabolum
superauit, tamque efficacem gratiam & Sacra-
menta nobis contulit, ut, si velimus, facillime
omne peccatum superare possumus, vti viri sancti
omnesque veri Christiani illud superant. Est enim
Christianismus mors criminum, vita virtutum, ut ait
Cyprian. lib. 2. epist. 2. ad Donatum.

ET ADDUCATVR IVSTITIA SEMPER]
Hebr. est מִתְּהָתֵּם tzedech olamim, iustitia seculorum, id est Christus,
qui quasi sol, iustitiae suæ ra-
dios in omnium seculorum, tam ante quam post Christus'
se, homines diffudit, & Ecclesiam quasi regnum
æternum iustitiae, id est iuste & pie uiuentium, in-
stituit. Ita interpres, quin & Talmudistæ ac
Rabbini passim, per iustitiam hanc intelligunt
Messiam. Vide eos apud Finum lib. 5. Flagelli c. 5.

Secundo, iustitia seculorum, id est æterna, est no-
stra iustificatio & iustitia per Christum accepta:
Christus enim factus est nobis iustitia, 1. Cor. 1. 30.
Hæc enim iustitia in genere directe opponitur ini-
quitati, quam deleuit. Hæc iustitia dicitur æterna;
quia hic inchoatur per gratiam, & in celo perfici-
etur a Christo per gloriam æternam.

Hinc Tertio, Pintus, Iustitia æterna, inquit, est Tertio.
Euangelium, quod docet omnem iustitiam; unde
ait Isaías cap. 45. 23. Egredietur de ore meo iustitia eternum. Hic sensus non est directus, sed deriuatus ex
primo, & secundo.

Christus'
seculorum
adduxit
tripliciter.
Primo.

Secundo.

ET IMPLEATVR VISIO] Christus enim nascens & moriens, impleuit hanc Danielis & omnium aliorum Prophetarum visiones, id est prophetias. Hebr.eft לְמִתְחָדֵשׁ Lachthor, id est ad signandum visionem. Ita Septuag. Vatabl. & alij. Sed lignare significat implere. Ita S. Chrysost.orat.2.contra Iudæos: Sistere, ait, oportuit prophetias post Christum: hoc enim est signare, id est sistere visionem. Vnde Christus dixit: Lex & Prophetæ usque ad Ioannem. Ita & Tertull.lib.contra Iudæos, qui & causam addit dicens: Ipse (Christus) enim fuit signaculum omnium Prophetarum, adimplens omnia que retro de eo Prophetæ nuntiauerant. Post aduentum enim Christi & passionem ipsius, iam non visio, neque Prophetæ est, qui Christum nuntiet venturum, &c. Vnde verissimè dicit, aduentum eius firmare visum & prophetiam. Signare enim h̄c idem est quod sigillare: res enim dum completa est & perfecta, solet sigillari: sigillum enim signum est complementi & perfectionis rei. Ita sigillantur diplomata, literæ, testamenta, panni, aliæque res dum sunt perfectæ, ne quid eis à quo piam addatur, vel detrahatur. Hinc per catachresin signare, vel sigillare, idem est quod implere, completere, perficere. Quocirca Aquila vertit, καὶ τελέσω ὁ εὐχαριστῶν. οὐδὲ φίτω, ad consummandam visionem & prophetam.

ET VNGATVR SANCTVS SANCTORVM] Ut scilicet Spiritu sancto consecretur Christus in sanctissimum sacerdotem, regem, prophetam, doctorem, legilatorem & redemptorem orbis. Hebrei, vt mox dicam, vertunt, & vngatur sanctitas sanctitatum, vel sanctum sanctorum, vel sanctuarium sanctuariorum, qui non est alius, quam ipse Messias sanctificatus de filii Dauid, ait R. Barnahaman apud Finum lib.5. Flagelli c.5. Et R. Moses Gerundensis: Messias, ait, vocatur sanctuarium sanctuariorum, quia futurum erat, vt in eo secundum humanitatem, omnes thesauri sapientiae & scientie Dei requiescerent; eratq; ipse super omnem creaturam oleo gratiae ac beneplaciti Dei vngendus. Vnde meritò Hebr.dictus est Messias, Græcè χριστός, Latinè vngtus. Ita ipse apud Galatin. lib.4. c.18. Quocirca Aquila vertit, ad vngendum sanctificatum sanctificatorum; Syrus, septuaginta hebdomades requiescent super populum tuum, & ad perficiendum visionem, & Prophetas, & ad Christum Sanctum sanctorum. Vbi vox sanctum, non est adiectiva, sed substantiua, q.d. Qui est sanctum, vel sancta sanctorum. Vnde Arabicus vterque vertit, ad Christum, qui est puritas puritatum, vel sanctitas sanctitatum. Hinc Romanus Pontifex vocatur Sanctissimus Dominus noster, vel Suā sanctitas: tum quia repræsentat Christum, qui est Sanctus sanctorum; D^o tum quia hoc titulo admonetur qualis esse debeat is qui est pastor & Episcopus tot millionum animalium, vt eas omnes ad sanctitatem & salutem à Christo partam perducat.

Nota. Sanctitatis ratio consistit in adæquatione & conformitate voluntatis & operum cum lege æterna, qua est in mente Dei: ille enim sanctus, id est iustus & perfectus, est, qui huic legi suos mores conformat. Hinc sanctitas est ab omni labe puritas, ait S. Dionys. c.12. de Diuin.nom. Item amor & coniunctio cum Deo: quo enim quis magis à rebus terrenis & impuris mentem auocat, tamquam attollit ad Deum, eo fit sanctior. Iam Christus quia Deus, est ipsa increata, immensa & essentialis sanctitas: qua verò homo, est sanctissimus non tantum per gratiam animæ eius infusam, qua longè

A omnes angelos & homines sanctos superat & transcendent; sed etiam per gratiam unionis hypostaticæ, per quam in humanitate Christi inhabitat plenitudo, ut diuinatis, ita & sanctitatis corporaliter: quæ admirabilis & incomprehensibilis est sanctificatio, utpote quæ expiationis & sanctificationis humano generi à Deo constitutus est fons. Ab huius plenitudine omnes accepimus, & quod superest, adhuc mille mundorum peccatis ablendis, & infinitis animabus sanctificandis sufficit. Hinc ab æterno predestinati sumus in Christo, vt simus sancti & immaculati in conspectu Dei, Ephes.1. Christi ergo sanctitas est omnis hominum sanctitatis causa efficiens, meritoria, exemplaris & finalis. Omnis enim sanctitas nostra sanctitati Christi quasi exemplari suo conformari debet, ad eiusque gloriam quasi ad finem suum dirigi, ut scilicet ipse in omnibus à se redemptis & sanctificatis honoretur, laudetur & glorificetur in æternum. Porro hac gratia unionis unctus, id est sanctificatus & consecratus, est in incarnatione, sed eadem unctus est publicè, id est toti mundo declaratus & promulgatus, in baptismo. Hinc omnes Christo debemus summam reverentiam, gratitudinem, amorem, obedientiam, sequelam & obsequium.

25. Scito ergo, & animaduerte: Ab exitu sermonis, ut iterum edificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum edificabitur platea, & muri in angustia temporum.

26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit eius populus, qui eum negaturus est. Et ciuitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis eius vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

27. Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolacionis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

AB EXITV SERMONIS, UT ITERVM AEDIFICE- VERS.25.
TVR IERUSALEM] ab eo tempore quo ab Artaxerxe exiit sermo & edictum, quo permittet, dabitque Nehemiae & Iudeis veniam reædificandi Ierusalem. Ecce h̄c tacitè innuit angelus exauditam esse orationem Danielis: dum enim ait reædificandam esse Ierusalem, insinuat Iudeos è captiuitate in Ierusalem reddituros; atque insuper ab hoc anno usque ad Christum (qui erat desiderium desideriorum Danielis & Prophetarum omnium) fore septuaginta hebdomades prædicti. Vnde Hebr.ad verbum est, ab exitu sermonis ad reuerti faciendum (vel ad reducendum) & edificandum, id est, ad reuerti faciendum ædificationem, hoc est, ad faciendum ut redeatur ad ædificationem Ierusalem; quod Noster clarè vertit, ut iterum edificetur Ierusalem. De qua phrasí plura inferiùs. Fecit enim Nehemias imperato diplomate Artaxerxis, vt Iudei secum ē Perside liberè & securè redirent in Iudeam ad Hierosolymæ reædificationem & restaurationem.

HEBDOMADES SEPTEM, ET HEBDOMADES SEXAGINTA DV& ERVNT Hoc est, hebdomades sexaginta nouem: adde vnam, de qua in sequ. agit, habebis septuaginta.

Est hic locus illutris de aduentu Messiae, cuius hic ortus, baptinus, passio & mors per annos singulos praevisè consignatur. Quocirca ex hoc loco manifestè conuincatur Iudæi; clareque demonstratur Messiam iam pridem venisse, esseque Iesum Christum; quia in eo finiuntur haec 70. hebdomades.

Expositio Rabbinorū. Talmudici, R. Salomon, & passim Hebrei, vt hoc telum tam acutum & certum effugiant, alle- runt huc expositionem planè contortam & violen- tiam, imò implicantem contradictionē, & seipsum ipsosque Iudæos iugulantem. Censent enim hic non agi de Christo, sed de templo: nam pro sanctus sanctorum in Hebreo est sanctitas sanctitatum, id est templi. Dicunt ergo hasce hebdomades diuidendas esse in duas partes, ijsque significari statum & durationem duplicitis templi Hierosolymitanis: nimirum priorem eaurum partem esse decem priores hebdomades quæ conficiunt 70. annos, quos dicunt inchoari ab excidio templi Salomonici, quod peregit Nabuchodonosor, & terminari in reædificatione templi secundi, quæ peracta est per Zorobabel permittente Dario Hyrcanis, anno regni eius sexto, vt dicitur 1. Esdræ 6.15. ab illo enim excidio templi primi usque ad reædificationem templi secundi sub Dario, aiunt fluxisse decem priores hebdomades, id est 70. annos. Posterior ea- rum pars, inquiunt, sunt 60. hebdomades reliquæ, quæ conficiunt annos 420. quibus asserunt durasse templum secundum, scilicet sub regno Persarum 43. annis; inde sub regno Graecorum 180. annis, ita de sub Machabæis 103. inde sub Herode & posté- ris eius annis 103. qui omnes simul iuncti faciunt annos 420. id est hebdomades 60. iam dictas. Itaque ipsi incipiunt has 70. hebdomades in excidio primi templi, & finiunt illas in excidio secundi tem- pli. Ita ipsis Talmudicorum & R. Salomonis ver- bis referunt Finus lib. 5. Flagelli c. 5. & Petr. Galat. l. 4. de Arcanis fidei c. 14. & seq.

Refellitur Primū. Verum hæc friuola esse, falsa & contradic- toria, patet Primi, quia hæc hebdomades ab angelo inducuntur ad demetiendum, non durationem templi, sed tempus aduentus Messiae; nimirum quod post 70. hebdomades, id est post 490. annos nascetur, morietur, & pro salute mundi im- molabitur Christus: hoc enim clarè verba eius si- gnificant, dum ait: *Septuaginta hebdomades abbre- uiata sunt, ut consummetur prævaricatio, & finem acci- piat peccatum, &c. & vngatur Sanctus sanctorum.* Et rursum: *Scito ergo & animaduerte, ab exitu sermonis ut iterum adificetur Ierusalem usque ad Christum du- cem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta due erunt.* Occurrit & respondet R. Salomon, pro vngat- tur Sanctus sanctorum, hebr. esse, vngatur סְנִירָה שְׁנִירָה kodes kadashim, id est sanctitas sanctitatum, hoc est, templum sanctissimum. Ergo hæc agi de templo, non de Christo. Respondeo, id dici non posse, Primi, quia templum in fine 70. hebdomadum non fuit vñctum, id est consecratum, sed profanatum & combustum à Romanis, vt ipse R. Salomon fatetur: ergo hæc de templo accipi neque- nunt, sed de Christo, qui est sanctitas sanctitatum, id est Sanctus sanctorum, id est sanctissimus, & suprema sanctitas, vt vertit Leo Hebreus. Sic Pō-

A tificem vocamus, Sua sanctitas, id est sanctissimus Dominus. Sic principi dicimus, Sua celsitudo; re- gis, Sua maiestas. Id ita esse patet, quia ita explicat Daniel, dum subdit: *Vñque ad Christum ducent hebdomades septem, & hebdomades sexaginta due.* Secundò, melius in Hebreo alijs punctis legitur רַשְׁתָּתֵם יְהִיא קְדוֹשָׁם, id est Sanctus sanctorum, vti legit Noster, quod soli Christo, non templo conuenit. Pari modo si legas sanctitas sanctitatum; certum est Christum intelligi, non templum Christus enim adduxit iustitiam, abolevit peccatum, illudque quasi hostia expiavit. Vnde pro deleatur iniqitas, hebr. est lecapper auon, id est ad propitiandum pro peccato, &, vt Aquila vertit, ad expiandum pecca- tum, instar hostiæ pro peccato, quæ peccati est ex- piatrix, qualis fuit Christus. hæc enim vocatur copheri כּוֹפֵר Tertiò, nec templum, nec Cyrus, nec Nehemias, nec Zorobabel, nec Agrippa, nec quis alius tunc fuit vñctus: quia oleum illud in secun- do templo defuit secundum Rabbinos. Vnde in libr. Sanedrim Hierosol. cap. Elashen bag golim, id est, ifsi sunt captivi, ait R. Samuel: *Quinque res defuerunt in secundo templo que fuerunt in primo, scilicet ignis, ar- ca, vrim vetumim* (id est, Rationale iudicij cum ephod) *oleum vñctionis, & Spiritus sanctus.* Idem ha- betur in Midras sir hafirim, id est in expositione Cantici Cantic.

Dices, Hebr. קְדָשָׁה kodes, significat templū v. 26. vbi dicitur, Et ciuitatem, & sanctuarium (hebr. kodes) dissipabit populus cum due venturo: ergo & huc signi- ficat templum, non Christum. Religio conse- quentiam: hic enim iungitur ciuitati, diciturque C cum ea dissipandum à Tito. quod de templo acci- pi debere liquet; præsertim, quia ante vrbis & templi excidium occidendum esse Christum iam prædictus angelus: vnde clarum est de templo cum loqui, non de Christo. secus est huc, vbi prædicit vngendam sanctitatem sanctitatum, quæ adducat iustitiam sempiternam, & aboleat peccatum, ac impletat visiones Prophetarum: hæc enim fecit Christus, non templum.

Denique R. Moses Gerindensis, R. Ozia in Se- der olam, R. Iosue ibidein, R. Barnahaman an R. Barachias, R. Moyses Tironensis, R. Hioces, R. David, R. Abraham, R. Chaldias, qui fuerunt auctores Talmud, quos citant Finus & Galatinus suprà; esto putent hisce 70. hebdomadibus deno- tari tempus durationis templi; tamén omnes uno ore asserunt, in fine harum hebdomadum 70. ven- turum Messiam, cumque intelligunt per iustitiam sempiternam.

Secundò, quia angelus huc Danielem afflictum, & obsecrante pro liberatione populi cōsolatur, dicens post 70. hebdomades populum ab omni captiuitate liberandum per Christum: ergo non definit huc tempus durationis vtriusque templi, scilicet quod prioris desolatio durabit 70. annis; posterius vero 420. annos durabit, ac deinde ex- cindetur in perpetuum. hæc enim tristia sunt, non læta & consolatoria. Constat autem angelum hunc consolari Danielem, eique lætum affectre nun- tiatum, quod exauditæ sint preces eius.

Probatio Secundò. Tertiò, hæc 70. hebdomades inchoandæ sunt ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, iam à Chaldeis euera, vt ait angelus: ergo male. imò, contrariè verbis angelii, Iudæi eas inchoant ab excidio templi, iam pridem facto à Chaldeis.

Non enim dicit angelus, Ab exitu destructionis, sed ædificationis Ierusalem eas inchoandas esse.

Quarto.

Quartò, euersio templi quæ h̄c prædictitur futura, vt Iudæi volunt, in fine 70. hebdomadum, non fuit ablatio peccati, adductio iustitiae sempiternæ, vñctio Sancti sanctorum; quod tamen h̄c de ijsdem afferit angelus; sed potius illa horum omnium, totiusque religionis & gentis Iudæorum fuit euersio.

Quintò.

Quintò, errant Rabbini in suppitatione antio-
rum. Nā Talmudici in Megilla c. i. docent, ab ex-
cidio templi primi vsque ad fabricam templi se-
cundi, fluxisse annos 78. Secundum verò templum
stetit non tantum annis 420. sed vt minimum an-
nis 583. tot enim sunt ab anno sexto Darij Hysta-
spis, quo hoc templum perfectum est, vt dicitur
1. Eldrae 5. 16. vsque ad annum 72. à morte Chri-
sti, quo illud ipsum euersum est à Tito. Rursum, B
ex Iudæorū sententia 70. hebdomades, id est 490.
anni, incipiunt ab excidio tēpli prioris, quod con-
tigit anno vltimo Sedeclæ, qui fuit aënus 18. Na-
buchodonosor, & finiuntur in excidio tēpli secū-
di, quod peregerunt Titus & Romani 38. anno
post neceim Christi, à Iudæis occisi. Atqui ex Iose-
pho, & alijs ex omnibus historicis cōstat cōfariū.
Sicilicet non tantum 490. sed lōgē plures annos in-
terfluxisse, putā 663. imò Iosephus plures numerat. Nā 1.7. de Bello Iudaico c. 18. ait: *A rege David vsque ad Titum* (à quo euersa est Ierusalē) *anni mille centum septuaginta nouen.* Ex quo autem condita est (Ierusalē) *vsque ad excidium, annorum duo millia centum septuaginta septem.* Iam à Davide vsque ad vltimum annum Sedeclæ, quo à Nabuchodonosor euersa est Ierusalē cum templo, sunt anni 470. vt patet ex annis Davidis, Salomonis, & posteriorum, qui consignantur in libris Regū: supersunt ergo anni 709. ad explendum numerum annorum 1179. quos Iosephus ait fluxisse à Davide ad excidium Hierosolymæ. Itaque ex Iosephi sententia, à Sedeclia ad Titum non 490. vt volunt Iudæi, sed 709. anni fluxerunt. Et ne dicas errorem esse in numeris Iosephi, eumde numerum per partes colligit & suppūtā idem Iosephus lib. 20. Antiqu. c. 8.

Sextò, consentiunt Iudæi has hebdomadas ter-
minari in destructione templi secundi, facta per
Titum & Romanos. atqui ex angeli sententia h̄e
hebdomades terminantur in Christo, eiusque ne-
ce, hoc enim clarè verba significant: *Vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duas:* & post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. Ergo ex Iudæorum sententia sequitur, quod Messias, puta Christus, iam venerit, vixeritque sub tempore destructionis Ierusalem per Titum, ac proinde fuit Iesus Christus. Nec enim alias fingi potest, nisi quis dicat, Titum, in quo desinunt h̄e septimafæ, esse Messiam. Sed hunc nec ipsi Iudæi recipient, vt pote quem quāsi templi & gentis suæ euersorem execrantur.

Christum
non esse Cy-
rūm Prob.

Respondet R. Salomon, per Christum h̄c ac-
cipi Cyrum, qui soluit captiuitatem Babyloniam. Hunc enim Isaías c. 45. vocat Christum, di-
cens: *Hec dicit Dominus Christo meo Cyro.* Verūm hoc implicat: Primò, quia Cyro non competit quod de Christo ait h̄c Daniel, nimirum eum fore Sanctum sanctorum, consummaturum prævaricationem, finem daturum peccato, & adductum iustitiam sempiternam, ideoque fore nagid, id est ducem populi fidelis & Christiani 7. 17 na-

A ḡd enim ab Hebræis vocatur is, qui antestat popu-
lo in rebus vel politicis, vel Ecclesiasticis, putā An-
tistes, Præsul, dux, princeps; siue qui praedit & du-
cit agmen, vti capitaneis & ductor exercitus. Di-
citur enim *nagid*, à 7. 17 neged, id est ante, vnde
nagid, idem est quod antecessor, dux, ductor: &
hoc significat Græcum ἡγεμόνης, vti vertunt h̄ic Septuag. Talis autem in populo fidelis fuit Christus, non Cyrus, vt pote infidelis. Sic Ierem. 20. 1.
Phassur vocatur *nagid*, id est *princeps in domo Domini*. Et Nehem. 11. 1. Saraia pontifex vocatur *nagid*, id est *princeps domus Dei*, id est *summus Antistes*, vt vertit Marius Brix. in Lexico. Et Salomon rex 3. Reg. 1. 15. vocatur *nagid*, id est *dux super Israel*. Et Saul 1. Reg. 9. 15. à Samuele vngi iubetur in n. id, id est regem & ducem, vt saluet populū de manu Philistinorum.

Secundò, h̄e hebdomades incipiunt multissimis annis post Cyrum, scilicet ab Artaxerxe: hic enim, non Cyrus, Iudæis potestatem vrbis reædificandæ fecit, vt patet Nehem. 2. 5. Inde enim eas incipiendas esse docet angelus, dicens, *Ab exitu sermo-
nis tū iterum edificetur Ierusalem, hebdomades, &c.* Adde, Cyrus iam regnabat cum hanc visionem accepit Daniel, & hoc eodem anno Iudæos ē. Ba-
bylone dimisit. Falsum ergo est, vsque ad Cyrum numerandas esse 70. hebdomades, id est 490. annos, quas vsque ad Christum numerandas esse asserit h̄c angelus. Quocirca Aben Ezra fatetur, per Christum h̄c non accipi Cyrum, sed Nehemiam. Alij accipiunt Zorobabel, alijs Herodem Agrippam iuniorem, qui Iudæorum fuit fautor & protector. Sed hæc ijsdem argumentis confuntur. Adde, nemo horum fuit occisus, quod de Christo ait h̄c Daniel.

Alij Rabbini respondent agi h̄c de Christo, sed hisce 70. hebdomadibus non definiti tempus aduentus eius, quasi ipse in septuagesima & vltima sit venturus, sed quod in ijs Iudæi merebuntur, vt ipse suo tempore veniat. Verūm vt taceamus illos tunc potius meruisse excidium, quod eis in-
tulerunt Romani, idipsum ipsa verba angelii ex-
cludunt: ait enim, *Vsque ad Christum ducem hebdo-
mades septem, & hebdomades sexaginta due, & post he-
bdomades sexaginta duas occidetur Christus.* Ergo he-
bdomades definiunt tempus aduentus Christi. Vnde R. Salomon fatetur, quod Iudæi hūnc Messiam aduentum non meruerint in tempore 70. hebdo-
madarum; sed ijs finitis tempore huius diuturne & interminabilis captiuitatis eum mereantur. Sed & hoc absurdius dicitur: nec enim per annos 1500. fructus huius meriti apparuit, vt vel Messias, vel Propheta aliquis Messiam prænuntiuse ostenderet. Adde, Iudæos vñris, fraudibus, fortilegijs ad-
dictos nunc tam, vel magis sceleratos esse, quām fuerint olim, vt non Messiam aduentum, sed eius odium, reprobationem & desolationem extre-
mam mereri videantur.

Perperam ergo R. Salomon verba angelicæ ex-
ponit, vt consummetur prævaricatio, id est, vt Iudæi R. Salomon desistant à prævaricationibus suis, & per hoc merentur apud Deum, vt coram iniquitas deleatur per captiuitatem modernam. Similiter, vt adducatur iustitia, id est, inquit, vt veniat Messias, per quem in sempiternum iustificantur Iudæi, & tunc finaliter impleatur visio & prophetia, vt per merita Iudæorum impleantur promissiones per prophetas factæ de Christo. Perperam inquam: nam *Prīmū* Refellit
Hebræa

Hebræa ad verbum habent, Præcisum est, determinatum & definitum (fore scilicet) super populum tuum, & super urbem sanctuarij tui hebdomades septuaginta ad consummandam prævaricationem, & ad finiendum peccatum, & ad delendam iniquitatem, & ad adducendam iustitiam sacerdotum, & ad complendam visionem & prophetiam, & ad vngendum Sanctum sacerdotum. ita vertunt Septuag. Leo Hebræus, Galat. & alij; quibus verbis clare significatur, decretas esse à Deo præcisè 70. hebdomades usque ad consummationem peccati, & adductionem iustitiae, ita ut iis finitis statim consummetur peccatum, & adducatur iustitia, & vngatur Sanctus sacerdotum. Hisce enim omnibus angelus 70. hebdomadarum tempus constituit: ergo illa omnia intra 70. hebdomades necessariò implenda sunt: ad hoc enim (vt scilicet illa omnia fiant) decisæ & definitæ sunt hæc hebdomades, vti habent verba Hebræa. Vnde angelus id ipsum explicat subdit: Scito ergo & animaduerte, ab exitu sermonis ut iterum edificetur Ierusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ, &c.

B Secundò in medio hebdomadæ 70. ait angelus defecturam hostiam & sacrificium, quæ offerri solebat pro peccato; ergo multò magis merita & satisfactiones priuatas Iudæorum defecturas supponit: hæc enim à publico Dei cultu, sacrificijs & sacramentis pendent. Iam cùm constet hostiam & sacrificium defecisse in excidio Titi, sequitur tunc quoque completas fuisse 70. hebdomades, omnemque Iudæoru[m] meritū & omne bonum. Quid enim apud Deum mereantur nūc Iudæi, qui ab eo oblationi traditi, abiecti, & omnium gentium seruituti iam per se decim annorum centurias expositi sunt?

C Tertiò, angelus ait hæc 70. hebdomades præcisè à Deo esse decretas & definitas; quæ ad quid, siue cui rei sunt definitæ? Vtique ut ijs expletis vngatur Sanctus sacerdotum; vti ait angelus, putat Messias; ac simul, vt per eum consummetur prævaricatio, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia, & impleatur visio. Hæc enim in Hebræo pari tenore & syntaxi, per copulam &, siue articulo vello (vt patet ex verbis Hebræi citatis) ponuntur & coniunguntur, vt ab iniicē diuelli nequeant. Statuitur hic ergo tempus & terminus, scilicet 70. hebdomadæ, quibus exactis veniat Christus, qui hæc tria præstet; scilicet Primò, propitiationem, expiationem & abolitionem peccati; Secundò, adductionem iustitiae sempiternæ; Tertiò, impletionem omnium visionum & prophetiarum, vti Thalmudici & Rabbini alij iam citati fatentur. Vnde ait D angelus, Super populum tuum, & urbem sanctam tuam; quia Iudæis propriè, non Gentibus, à Deo vti per Prophetas promissus; ita & missus est Messias in fine hebdomadarum.

D Obijcit R. Salomon, hebdomades 62. diuidi à Daniele ab hebdomadibus septem: ait enim, Usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ. q.d. Septem hebdomades erunt usque ad Cyrus, qui Iudæis erit fauens, & quasi Christus: inde 62. hebdomades erunt, quibus ædificabitur & stabit Ierusalem; sed in angustia, quia à Persis, Græcis & Romanis vexabitur: vnde in fine earum occidetur alter Iudæorum Christus à Romanis, scilicet Herodes Agrippa. Verum hoc dici nequit: nā falsum est, ab exitu sermonis, id est ab edito redicandi Ierusalem, usque ad Christum ducem fuisse tantum septem hebdomades; mox enim Cornelius Danielē.

A angelus numerat 70. Quin & ipse R. Salomon diuidens has hebdomades in duas partes, priori parti nō septem, sed decem dat hebdomades: tot enim ait fluxisse ab excidio primi templi, usque ad fabri cam secundi templi, putat usque ad annum sextum Darij Hystraspis, vti initio dixi. Rursum alibi ipse, & alij Rabbini passim dicunt fluxisse, non 70. sed 78. annos usque ad hunc annum Darij: ergo sibi contradicunt hīc, vti & in multis alijs.

Secundò, falsum est quod 62. hebdomadibus **secunda**, ædificata sit platea, & muri Ierusalem in angustia temporum. Nam hi muri paucis diebus, puta 52. à Nehemia restaurati sunt, vt dicitur Nehem. 6. 15. Hæc etiā angustia temporum paucis diebus durauit, scilicet usque ad mortem Sanaballat, qui hanc murorum fabricam impeditiebat, vti ibidem dicitur.

T Tertiò, has 62. hebdomades non spectare fabricam templi, sed Christum, patet ex eo quod statim subdit. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus. Vbi planè intelligitur Christus, de quo dixit paulò ante, Usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ. Vt patet tum ex nomine Christi, tum ex eodem numero hebdomadum sexaginta duarum.

R. Salomon
figit duos
Christos;

Figmentum ergo est & paradoxum quod R. Salomon duos hīc comminiscitur Christos, scilicet primum, de quo dicatur, Usque ad Christum ducem. & hunc esse Cyrum: secundum, de quo dicatur, Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, & hunc esse Herodem Agrippam, qui vocatur Messias, quia Iudæorum fuit fautor & protector. Nam hunc Herodem non fuisse occisum, vt figit R. Salomon, sed cum Romanis fuisse confederatum, & ab ijs exaltatum, docet Iosephus l. 3. Belli Iudaici c. 3. 5. & seq. Et Cornel. Tacitus lib. 5. ait Agrippam in bello Iudaico secutum esse partes, non Iudæorum, sed Romanorum, ideoque apud Romanos magno in honore & gratia fuisse. Adde; ipsa hebdomadarum & verborum connexio, idemque numerus planè arguit de una & eadem re, de uno & eodem Christo hīc agi.

Itaque cùm certum clarumque sit, illud quod sequitur, Et rursum edificabitur platea, & muri in angustia temporum, non posse iungi cum eo quod immediate præcessit, scilicet, Et hebdomades sexaginta duæ erunt; sed paulò anteriùs debere referri ad hebdomades septem priores, quibus Iudæi sub Nehemia ædificarunt Ierusalem magno labore, pauperitate, & metu hostium; hinc sequitur, has hebdomades septem & 62. non esse diuellendas, nec diuidendas, sed coniungendas. Nec est quod quis suspicetur in Hebræo aliter haberet. Sic enim ad verbum habet: Usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ. Reuertetur ipsa, & edificabitur (non fit, non durabit, vt perperam exponit R. Salomon) platea, & fossatum, siue fossa & murus, idq[ue] in angustia temporum. Ita vertunt Septuag. Leo Hebræus, Galat. & alij passim, & patet intuenti textum. Porro cur seorsim numeret angelus hebdomades septem & 62. dicam inferius.

Itaque ex textu Hebræo liquet, non ditellendas esse hebdomades septem à 62. sed ijs iungendas: cum ijs enim iunguntur per copulam ve, id est &, & utræque carent articulo, quo casus mutationem significare solent Hebræi. Si enim diceretur id quod vult R. Salomon, addendus fuisse articulus lamed, vel præpositio bet, hoc modo □^{לְמַד} lecissim⁹

lescissim: vel bescissim, id est, in sexaginta duabus hebdomadibus renertetur, hoc est, rursum ædificabitur platea; & pro ædificabitur, dicendum fuisset, stabit, vel durabit.

Obiectum Secundum. initio versus huius aliter ex Hebreo vertendum esse, nimirum pro, ab exitu sermonis, ipsi vertunt, de exitu sermonis, quasi hic non denotetur terminus à quo inchoandæ sint 70. hebdomades, sed tantum denotetur materia, de qua angelus loquebatur. Dixerat enim superius, Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, ut si sensus: Tu Daniel scito & animaduerte de exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem, hoc est, aduerte & intellige qualiter sermo egressus à Domino de ædificatione Ierusalem sit intelligendus: quia, scilicet ad Christum ducem, id est ad Cyrus, erunt hebdomades septem. Verum id falsum esse clare coiunctur. Primò, quia angelus hic designat, nō materiam, sed initium & finem 70. hebdomadarum, ut sciamus ubi eas inchoare, ubi terminare debeamus. Alioqui enim ridiculum & nugatorium quid diceret, scilicet 70. hebdomades fore, si non indicaret quando eæ futuræ essent, quando nimirum inchoandæ, quando terminandæ. Quocirca nugaces & ridiculi sunt R. Salomon & Iudæi, qui ut hoc telum de aduentu Christi effugiant, halce 70. hebdomades truncant capite & cauda, initio & fine, ut in tenebras illas retrudant, nec sciatur ubi eas ordiri, ubi finire debeamus.

Responsio Prima.

Secunda.

Secundò, cùm ait angelus, Usque ad Christum dum hebdomades septem, & hebdomades sexaginta due, clare designat finem hebdomadum, scilicet eas finiendas in Christo duce. Ergo anteriùs vertendum est, ab exitu sermonis, non de exitu, ut indicet earum caput & exordium: alioqui enim frustra Daniel reuelaret Christum venturum in fine 70. hebdomadum. Diceret enim Daniel, O angele, nihil mihi de tempore Christi reuelas, & què iam illud mihi obscurum est, ac antè quid enim scio, an post aliquot millia annorum hæ septuaginta hebdomades futuræ sint, cùm mihi earum initium non indicaes. Rursum, si vertas ab exitu, verba non cohærent, cohærent autem si vertas, ab exitu. Quis enim sensus est, de exitu sermonis usque ad Christum ducem? Hæc enim verba coniungit angelus, licet Iudæi sua prava interpretatione ea disiungant, sed perperam. Si vertas, ab exitu sermonis ut iterum edificetur Ierusalem, ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta due erunt; verba optimè cohærent, suntque clarissima: indicant enim ubi 70. hebdomades Daniel ordiri debeat, scilicet ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem; & ubi eadem sint finiendas, scilicet in Christo duce, ut quisque ab earum exordio eas per annos singulos numerando usque ad 70. & ultimam, habeat & noscat præcisè tèpus quo veniet Messias, adeò ab omnibus desideratus: quod incognitum erat & occultum ante hanc prophetiam. Id enim angelus hic Danieli, & per eum omnibus pandit, & cognitum facit.

Tertia.

Tertiò, ita vertunt Septuag. Λοιπὸν ἔσθιτος οὐκοδομεῖσαν τεργαλήμα τῷ Χεὶρι γέγραψεν. Εβδομάδες ἐπτά ηγετεῖσαν εἰς κούτα δύο, id est, ab egressu sermonis ut respondeatur, & ut ædificetur Ierusalē, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades 62. Sic & Leo Hebreus, Galatin. Pagninus, & alij Hebrei passim. Quin & ipsi Thalmudici, ac recentiores.

A res Rabbini veritate coacti, tandem fatentur vertendum esse, ab exitu sermonis, nō de exitu, ac hic intendari exordium hebdomadum; quod ipsi dicunt esse annum Sedeciae vel ultimum, quo euersa est à Chaldaëis Ierusalem cum templo, & inde numerant septem hebdomades, quas seorsim nominat angelus, id est annos 49. usque ad Cyrus, vel quartum, quo Ieremias cap. 29. prædictus, & ex ore Dei egreditus est sermo, quod post 70. annos captiuitatis Babylonicae rursum ædificaretur Ierusalem, & inde usque ad secundi templi fabricam sub Dario, numerant suas priores hebdomades decem, id est annos 70. cùm illi ipsi fateantur fuisse 78. Sic dum ad Cyrus numerant annos 49. illi ipsi fatentur fuisse plures, scilicet 52. Nam 49. aiunt fuisse usque ad Balasarem, qui Cyrus præcessit. Itaque Iudæi hic in angustias redacti, ut hoc Christianorum argumentum effugiant, torquent se in omnem partem, sed non extorquent; ac multis modis sibi ipsis contradicunt, & seipso iugulant, ut mendaces facere solent.

Quocirca verè Lyranus hic in fine capituli: Non remanet, inquit, Iudei excusatio ex diuersitate computacionum, cùm tempus septuaginta hebdomadarum, de quo hic agitur, qualitercumque computetur, iam per mille (imo 1600. annos) transferit in præteritum, & amplius. Sola ergo obstinatio malitiosa tenet eos in perfida expectatione Messie.

Denique, Iudæos fore Christi aduersarios, imò occisores, prædictis hic Daniel, dum ait: Et non erit eius populus qui eum negaturus est (quæ verba, quomodo ex Hebreo educantur, ostendam inferius) ideoque in dimidio hebdomadæ (70. & ultimæ, qua occident Christum) deficiet hostia & sacrificium, & erit in templo abominatio desolations, & usque ad consummationem & finem persenerab desolatio, uti vertut Septuag. Noster, Galat. Leo Hebreus & alij. Quid clarius? frustra ergo templi & gentis suæ restaurationem per suum Messiam expectat Iudæi; ideoque videamus eos grauiorem pati captiuitatem iam per 1600. annos, quam usquam vel parentes eorum, vel gentes aliae perpetuae sint. Iugiter enim carent urbe, republica templo, sacrificijs, Prophetis; ac videtur planè à Deo obliuioni traditi, neglecti, proiecti & reprobat, donec Christum nostrum & suum agnoscant. Refert Hector Pintus in Ezech. c. 16. 27. si Romæ disputasse cum Iudæis, cumque clare illos conuinceret, ita mansisse obstinatos ac si fuisse insensibiles & mente capti: quin imò tā fuisse pertinaces, ut unus eorum illi diceret: Etiam si luce meridiana clarius ostendas mihi Christum esse Messiam, tamen non credam.

Iam difficultis quæstio est apud interpretes, quomodo hæ 70. hebdomades præcisè computandas sunt. Noui virum nobilem, Catholicum & literatum, qui in hac quæstione perscrutanda plures annos insumpsit, cumque se expedire non posset, magisque in dies intricaret, infelix incidit in amorem & amentem iudaismum. Potissima difficultas est de harum hebdomadarum exordio, quo scilicet anno præcisè eas ordiri debeamus. Variæ admodum hic variorum sunt sententiae, quas omnes ad pauca capita contraham. Primò, aliqui eas ordiuntur ab anno 13. Iosiae, quo cœpit Ieremias c. 1. 2. prophetare de excidio & casibus Hierosolymæ. Secundò, Lyran. Burgensis, Vatabl. & Galat. lib. 4. c. 16. secuti Hebreos, censem eas inchoandas esse ante captiuitatem Babyloniam, putâ ab anno

anno 4. Sedeciae, quo exiit verbum & promissio Domini per os Ieremias c.29. de restauranda Ierusalem. Tertiò, alij alias Hebreos secuti, eas inchoat ab anno vnde decimo Sedeciae, quo euerfa est Ierusalem à Chaldaeis. Quartò, S. Hippolytus, teste S. Hieron. h̄c, inchoat eas ab anno 20. captiuitatis Babylonicae putà quinquaginta annis ante Cyrusum, qui in septuagesimo anno eiusdem illam laxauit, Quintò, Origen. teste S. Hieron. h̄c, & Tertullian. lib. contra Iudaeos, inchoant eos à primo anno Darij Medi, uno anno ante Cyrusum. Sextò, Clemens Alexandr. lib. 1. Stromat. & Euseb. l. 8. Demonstr. inchoant eas ab anno primo Cyri. Septimò, Cyri. Hierosol. categ. 12. inchoant eas à Dario Hystaspis, sub quo templum est reædificatum. Octauò, Seuerus Sulpitius lib. 2. historiæ, quem sequitur Scaliger lib. 6. de Emend. temp. inchoant eas à Dario Nodho, quem ipse vocat Ochum. hunc enim censem templum restaurasse, non Darium Hystaspis. Vide S. Hieron. & Pererium, qui hæc omnia fuisse confutat toto lib. 11.

Vnde inchoandas 70 hebdomades est. Certum est, eas impletas esse tempore Christi. Verum omnissimis multiplicibus hisce sententijs, utpote vel manifestè falsis, vel improbabilibus, ex ijs quæ iam contra Iudæos disputauit & demonstrauit, suppono cum communis omnium interpretatum, Patrum & Doctorum orthodoxorum sententia, ex hisce 70. hebdomadibus satis conuinci Iudæos, quod Messias, siue Christus, iam pridem aduenerit, fueritque Iesus, quem Christiani colunt: quia omnium sententia finiuntur & finitæ sunt hec hebdomades sub illud tempus, quo vixit Christus, licet ob tam priscæ chronologiæ obscuritatem & varietatem, difficile sit primum, & ultimum earum annum præcisè consignare, in eoque varient interpres: nam 70. hebdomades faciunt 490. annos, qui iamdiu expleti sunt, eo tempore quo vixit Iesus. Rursus consecratio, ducatus, prædicatio & occisio Christi, per annos h̄c à Daniele distributa & consignata, in alium neminem, quam in Iesum Christum conueniunt. Denique desolatio Ierusalem post cædem Christi, euerfa templi, Iudæorum perenne excidium, aliaque quæ h̄c ultima hebdomade futura prædictit Daniel, sub tempus passionis Iesu Christi, adimpleta sunt; vt ex historijs tam sacrissimis, quam profanis notissimum est. Vide Franc. Suarez 3. p. disp. 1. seçt. 2. Nunc

Dico Primi, Probabile est has 70. hebdomades inchoandas esse ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani. Probatur: nam hoc solo anno legimus ab eodem exisse mandatum, & potestatem Nehemias esse factam ad reædificandam Ierusalem, vt Artaxerxis patet Nehem. 2. v. 5. & 6.

Dices, Annus hic 20. Artaxerxis fuit 4. olympiadis 83. Christus autem passus est anno 4. olympiadis 202. ergo ab hoc anno 20. usque ad passionem Christi fluxerunt tantum anni 477. aut excludendo utrumque ultimos annos imperfectos, 475. tot enim inuenies si olympiades intermedias multiplices per quatuor; quæque enim olympias quatuor continent annos: 70. autem hebdomades efficiunt annos non 475. sed 490. Ergo haec hebdomades 13. annis citius, putà non à 20. sed à 7. anno Artaxerxis inchoandas sunt. Respondeo, Iudæos vsos fuisse annis lunaribus, quorum quisque continet 12. lunationes, siue menses lunares: mensis autem lunaris constat 29. diebus cum dimidio: tot enim sunt ab uno nouiluio ad aliud. Vnde sequitur, quod annus lunaris minor sit solari 11. diebus:

Cornelius in Daniel.

A habet enim dies 354. cum solaris habeat dies 365. quare 475. anni solares, faciunt 490. annos lunares: & de his loquitur Daniel; unde & hebdomades has abbreviata esse dicit. ita Iulius Africanus 1.5. annalium, Chrysost. Rupert. Perer. Torniellus, Gordonus, & multi alij.

Verum, quia Script. passim non lunaribus, sed communibus & solaribus vtitur annis; & quia, licet Hebrei vterentur annis lunaribus, tamen tertio quoque anno ex diebus, qui excreuerant, mensem addebant, & sic per embolismos annos lunares æquabant solaribus, tum vt chronicis & chronologis aliarum gentium se suaque accommodarent, tum propter Pascha & Pentecosten, vt illa congutio tempore à lege statuto, putà post æquinoctium vernum 14. die primi mensis, semper celebrarent: alioqui enim, cum annus lunaris minor sit solari, sèpè Pascha celebrare debuissent vel ante æquinoctium vernum, vel altero mense, quam primo. Vnde Lyranus qui origine fuit Hebreus, & in Hebreorum rebus versatissimus: Falluntur, inquit, qui putant Hebreos talibus (lunaribus) annis usos aliquando, alioquin tota veteris instrumenti series vacillat. Idem asserit Galatinus lib. 4. cap. 14. qui c. 15. conatur per annos solares hos annos computare, incipiendo ab anno 20. Artaxerxis Longimani, & prosequendo eos per annos singulorum regum usque ad Christum; hinc

Dico Secundi, Probabilis est hos 490. annos esse communes, siue solares, &c, cum à Christo retro computando secundum hos annos, primus incidat in annum 7. Artaxerxis Longimani; dico à posteriori certum videri, ab hoc anno 7. Artaxerxis inchoandas esse has 70. hebdomades. nam si aliunde incipias, non explebis numerum 490. annorum communium siue solarium, vt omnes cōsentiantur. Itaque cum annis hic 7. Artaxerxis concurrat cum anno 4. olymp. 80. & cum anno Vrbis conditæ 297. Christi vero baptismus incidit in annum 15. Tibetij, qui annus concurrevit cum anno 4. olymp. 201. & cum anno Vrbis 781. hinc sequitur ab anno hoc Artaxerxis usque ad ducem Christum, id est usque ad tempus hoc baptismi Christi, quo Christus constitutus & declaratus est dux populi Dei, siue ductor & doctoř Ecclesiæ (dicente Deo Patre: *Hic est filius meus dilectus ipsum audite*) fluxisse 69. hebdomades, id est annos 483. deinde in medio, vt ait angelus, septuagesimæ & ultimæ hebdomadæ, id est anno 487. qui fuit 18. Tibetij Cæsaris occisum esse Christum, & tribus annis post Christi mortem finiri hebdomades 70. id est annos 490. Hoc

Denim tertius est, quam id quod censem Africanus, Rupertus & Beda, scilicet 70. hebdomades præcisè finiri ipso anno passionis Christi. Sic enim dicere debuisset Gabriel: In fine (non in dimidio) hebdomadæ, occiso Christo, deficiet hostia & sacrificium. Computo per olympiades: quia haec computatio est certissima, præcisæ & expeditissima; cum per reges sèpè sit interrupta & incerta, æquè ac varia & prolixa.

Dices, Anno 7. Artaxerxis nullus exiit sermo de reædificanda Ierusalem: ab hoc autem sermone hebdomades has inchoandas esse, asserit angelus: ergo illæ ab hoc anno septimo non sunt inchoandas. Respondent aliqui insignes Chronologiæ ingeniosè & appositè, quod annus ille 20. Artaxerxis, quo ipse dedit Nehemias facultatem reædificandi Ierusalem, Nehem. 2. 1. non sit 20. ab

Xxxxx 3

Refellit.

*Conclusio
Secunda.
Verius est
70. hebdo-
mades in-
choari anno
septimo L. 7.
gimani.*

*Responsio
aliquorum
annum 7.
Artaxerxis
esse 20.
eiusdem
regnantis
eo cum patre*

*Vnde in-
choandas
70 hebdo-
mades*

*Certum est
eas impletas
esse tempore
Christi.*

*Conclusio
Prima.
Probabile
est eas in-
choandas
esse anno 20.*

Obiectio.

*Respo-
nos annos esse
lunares.*

Probatur ex Iosepho.

eo tempore, quo ipse solus regnauit post patrem; sed ab eo quo ipse viuente patre Xerxe, simul cum eo regnare coepit, cum scilicet Xerxes ad bellum contra Graecos proficeretur, quod videtur fuisse anno Xerxis quinto; tum enim bellum in Graecos exarisse videtur. Hæc sententia colligitur ex Iosepho: ipse enim afferit anno 25. Xerxis, id est anno 25. ab eo tempore quo Xerxes regnare coepit, misum esse Nehemiam, cumque perfecisse moenia Ierusalæ anno Xerxis 28. id est anno Artaxerxis 23. ex quo scilicet ipse regnare coepit cum patre Xerxe, qui annus fuit septimus, quo solus post patrem regnauit Artaxerxes: nam pater eius Xerxes non nisi 20. annos regnauit, Itaque licet anno 20. Artaxerxis, ut ait Nehemias, exierit sermo, id est mandatum, de ædificanda Ierusalem, tamen anno eius 23. (quem Iosephus vocat 28. Xerxis, id est 28. ab initio regni Xerxis) ex quo scilicet regnare coepit cum patre Xerxe, qui fuit Artaxerxis filius regnantis annus septimus, exitum, id est effectum, habuit hic eius sermo & mandatum, quia tunc iuxta eius prescriptum moenia Ierusalem restaurata & perfecta sunt à Nehemia. Vnde patet hunc exitum, id est effectum, incidisse in annum 7. Artaxerxis, à quo inchoandas esse 70. hebdomades in conclusione afferui.

Refellitur Primò.

Hæc sententia subtiliter adinuenta est, eiique fuit S. Chrysost. sed difficultate non caret. nam Primo, tota nititur Iosepho: Iosephus autem hic, ut & alibi manifestè errat, dum regno Xerxis tribuit annos 28. & dum in fine capit, hæc omnia gesta esse regnante Xerxe, afferuerat. Si regnante, ergo & viuente Xerxe: nam Euseb. Orosius, Diodorus Siculus, Seuerus Sulpitius, Beda & alii Xerxi tantum tribuunt annos 20. vel 21. Rursum Esdras c. 7. & Nehem. c. 1. afferunt non Xerxem, ut vult Iosephus, sed Artaxerxem, misisse tam Esdrā quam Nehemiam in Ierusalem. Causa erroris Iosephi videtur fuisse, quod historici subinde confundant nomina hæc, Xerxes & Artaxerxes, quasi sit unum idemque. Vnde Thucydides & Charon apud Plutarchum in Vita Themistoclis, Cicero l. 10. epist. ad Attic. Philostrat. lib. 1. de Vita Apollonij, & Probus in Vita Themistoclis, tradunt Themistoclem capitis damnatum à Graecis fugisse ad Artaxerxem; cum Ephorus, Dimon, Clitarchus, Heraclides apud Plutarch. suprà, afferant eum fugisse ad Xerxem. Xerxes enim perficere significat bellatorem, Artaxerxes magnum bellatorem. Quocirca idem est nomen hebr. Achasueros, latine Assuerus; perficere Ochos oarses, Axurxes, Artaxerxes, græcè ὁ ἔνδρος, id est acer Mars, ut dixi can. 19. in Pentateuch.

Secundo.

Secundo, quia hæc sententia videtur non nihil torquere tñ ab exitu sermonis. Hæc enim phrasis Hebreis significat non finem, nec executionem, sed initium loquendi; putâ ipsum loquentis & mandantis imperium, maximè quia sequitur, Ut adficeretur, vel, ut hebr. est, ad edificandum Ierusalem. Sic enim passim Prophetæ dicunt, exiit sermo, vel verbum à Domino, id est Dominus coepit loqui & mandare. Sic exiit edictum à Cæsare Augusto, ut describeretur orbis, cum scilicet ipse iussit eum describi.

Tertio.

Tertio, quia Script. videtur annos Artaxerxis filius regnantis numerare, atque per eius annum septimum, vigesimum, & trigesimum secundum consignare chronologiam in Esdra & Nehemiam: ergo annus hic 20. Artaxerxis, est eius non cum

A patre, sed solius regnantis; & ita eius annos hosce consignat Eusebius, &c. alij.

Quarto.

Quarto, quia valde incertum est, an tam citò Artaxerxes regnare cooperit cum patre, scilicet anno Xerxis quinto: tum enim Artaxerxes videatur puer fuisse, & ad regendum ineptus; imò post mortem patris ægrè & vix regnum paternū adijs Artabanus enimpræ factus post mortem Xerxis, regnum inuasit, illudque septem mensibus tenuit. Adde, Artaxerxes erat minimus natu filiorū Xerxis; senior erat Darius, quem proinde potius quam Artaxerxem regni administratorem in bellum abiens reliquisset Xerxes. Vnde & Artabanus primò nequauid Darium, deinde Artaxerxi insidiatus est, ut eo sublato inuaderet regnum, ut fert Justin. lib. 3.

Quintus.

Denique cum Scriptura velit ab hoc exitu sermonis Artaxerxis inchoari 70. hebdomades, omnino annum hunc exitus alicubi consignare debuit. Vnde enim alioqui sciemus initium harum hebdomadarum? voluit ergo exitum hunc non à profano homine, & dubia fidei, putâ Iosepho, sed à se peti. Quare expeditius & facilius ad argumentum responderi potest; atque

Dico Tertiò, Exiit sermo Artaxerxis de reædificanda Ierusalem anno eius septimo: nam illo anno, ut patet Esdræ 7. 6. Artaxerxes misit Esdrā in Ierusalem, cum multis Iudeis in Babylone captiuis; deditque, ait Scriptura, illi omnem petitionem, non est autem dubium, quin Esdras vel maximè templo iam ædificato, petierit etiam urbem reædificari, ut à viciniis hostibus Iudei essent tuti, tun in urbe, tñ in cultu Dei in templo. Vnde & Esdræ in Ierusalem abeunti ad hanc rem, ut videtur, Artaxerxes iussit dari centum talenta argenti, & annum copiosissimam: permisit enim ea voluntati Esdræ & Iudeorum, ut dicitur v. 18. Esdras autem & Iudei non aliud magis optabant, quam urbem reæstaurari.

Secundus.

Secundò, quia ex edicto Artaxerxis, Esdras ex Babylone omnino reduxit Iudeos ciues in Ierusalem: cur, nisi ut ciuitatem reædificarent? Vbi enim sunt ciues, ibi debet esse & ciuitas. Adde, quod his ciuibus rex suo edicto immunitatem dederit, & leges ciuitatis ac magistratus & iudices per Esdram constitui iussit, ut dicitur ibidem v. 25. hæc enim sunt ciuitatis & ciuium.

Tertius.

Tertio, quia ante Nehemiam, qui perfecit moenia Ierusalem, coepit fuisse eius reædificationem, patet ex eo quod Nehemias scribat, se anno vigesimo Artaxerxis audiisse & inuenisse murum Ierusalem dissipatum, ciulque portas igni combustas, Nehem. 1. v. 3. & c. 2. v. 13. non vtique à Nabuchodonosor: hoc enim à 70. & amplius annis audierat; sed à Sanaballat, & similibus Iudeorum hostibus sub tempora Esdræ. Et ubi quæso ante Nehemiam per tot annos habitassent in Ierusalem tot Leuitarum, sacerdotum, & Iudeorum milia, quæ Nehemias veniens ibi inuenit? quomodo Iudei ibidem, cum hostes haberent vicinos, eosq; infensissimos, sine mœnibus ab ijs illæsi manere potuissent:

Obiectio.

Dices, Hæc sententia est noua, nec ullum habet auctorem. Respondeo, Hanc sententiam docent disertè multi recentiores chronologi, ut Angelo-crator, Functius, Capellus, Bucholzerus, Helius, & alij in suis chronologij, esto in fide heterodoxi. Eamdem tenet Cedrenus in Artaxerxe pag. 119. ac insinuat Theodor. dū ait Artaxerxem mi-

sse

sisse Esdram & Nehemiam, vt muros Ierusalem reædificarent. Eamdem re ipsa docent Euseb. & passim alij chronologi, dum præcisè 490. annos, id est 70. hebdomades, numerant à 7. anno Artaxerxis, usque ad passionem Christi: ex hoc enim evidentia annorum calculo, necessariò sequitur, initium horum 490. annorum sumendum esse ab anno 7. Artaxerxis.

Hæc disputando proposui, lector ex tribus hisce sententijs eligat quam voleat: omnes enim probabilibus intuuntur vel coniecturis, vel fundamentis. Porro hebdomades hæc incipiunt anno mundi 3497. à diluvio anno 1840. à templo Salomonis 564. à Roma condita 298. à libertate sub Cyro anno 78. Vide tabulam chronolog. quam præfixi Genesi. Vnde sequitur, eas incipere anno pariter 78. ab hac visione & prophetia Danielis: hanc enim habuit anno 70. & ultimum captiuitatis, qui fuit annus libertatis Hebræorum sub Cyro.

Vsqve ad Christum ducem hebdomades septem, et hebdomades sexaginta [id est 69. hebdomades]. Est hebraismus: solent enim Hebrei summam alicuius numeri per partes enunciare, & minores numeros præponere maioribus, vti videre est Ezech. 45. 12. & alibi, præsertim septenarium; eo enim gaudent, tum ob religionem sabbati; tum ob decimatum septimanæ & temporis, quod omne septem diebus occurrit, & iungiter recurrat. Hac de causa potius septenarium assumpsit angelus, quām nouenarium, vel quem alium numerum. ita S. Hieron. Nam non legimus aliquod insigne mysterium peractum esse in 62. hebdomade, id est 19. annis, ante nativitatem Christi. Torniellus tamen probabiliter coniicit septem primas hebdomades seorsim nominari, & à 62. distingui, eò quod illis septem præter muros (vti mox subdit angelus, ibique dicam) etiam aliæ partes urbis Ierusaleni ædificatae & restauratae fuerint tempore Nehemias. Nam solos muros paucis diebus, puta 52. perfecit, vti dicitur Nehem. 6. 15. Addit Perer. sub finem harum septem hebdomadrum clariusse reginam Ester & Mardochæum, qui Iudeos exitio destinatos ab Aman liberarunt, quod cōtigit sub annum 12. Artaxerxis Mnemonis, quem Perer. censet fuisse maritum Esther, licet alij censem fuisse Artaxerxes, alij Xerxes, alij Darium Hystaspis: quod decidendum est in lib. Esther. Addit Scaliger l. 6. de Emend. temporum, 62. hebdomades incipere ab anno 5. Artaxerxis Mnemonis: ab eo enim missum esse Esdram & Nehemiam in Ierusalem. Sed errat. nā cōmuni sententia est eos missos esse ab Artaxerxe Longimanio: ita cognominato, quod manu vnam altera longiore habet.

Porro intra 62. hebdomades quatuor res illustres contigerunt. Primo, quod Alexander venerit Ierusalem, ibi sacrificari Deo vero, & Iaddo pontificem adorari. Secundo, persecutio Antiochi Epiphanis, ac Machabæorum contra eum bella & victoriae. Tertio, translatio sceptri & regni Iudæi in Herodem alienigenam. Quartò, nativitas Christi.

Iam per Christum dicem omnes passim accipiunt Iesum Christum, qui anno ætatis 30. dum baptizaretur constitutus est à Deo dux populi fideli. Quare mirum est vnum Eusebium lib. 8. de Demonstr. cui fauet Theodor. hic, per ducē hunc accipere Ioan. Hyrcanum, qui ultimus fuit Iudeo-

A rum pontifex legitimus: nec enim Hyrcano conueniunt ea quæ de Christo hic ait Gabriel, scilicet quod per eum finem accipiet peccatum, & adducetur iustitia sempiterna. Rursum Christus constitutus est dux 69. hebdomade, quæ incidit in olympiadem 201. Hyrcanus autem à Pompeio constitutus est pontifex olympiade 179. ergo non est is qui per Christum hunc accipiunt Cyri, aut Herodem Agrippam iuniorem. Hisce enim longè minor quām Hyrcano competit ea quæ hic dicuntur de Christo, vti superius ostendi.

Ex dictis sequitur, Christum natum esse hebdomade 65. vt habet Rom. Martyrol. (perperam ergo Onuphrius eum natum ponit 66. hebdomade) putà anno eiusdem 5. exēunte. inde enim computata duos annos reliquos eiusdem hebdomadis & 4. sequentes hebdomades usque ad 69. in cuius fine Christus baptizatus est, & constitutus dux doctorique fidelium, habebis annos 30. quos agebat Christus cum baptizaretur: quatuor enim hebdomades faciunt annos 28. His adde duos reliquos ex 65. hebdomade, habebis annos 30. ducis Christi. Quare mirū est prisca quædam Martyrologia 25. Decembr. consignare Christi natalem hebdomadi 63. Sic enim Christus baptizatus esset, factusque dux hebdomade 67. & occisus 68. quod falsum est.

ET RVRSVM ABIFICABITVR PLATEA ET MVRI] Refer hæc non tam ad proximè præcedētia, quām paulò superiùs ad illud, *Vt iterum edificetur Ierusalem*, eiusque plateæ & muri: esto iam sint planè diruta & desolata. tò enim &, est causale, idemq; valet quod q̄ua. Duo enim hic prophetat Daniel. Primò, tempus quo veniet Messias; Secundò, restaurationem Ierusalem, q̄ia sui temporis erat, quāmque petierat tam instanter Daniel. Sic enim Proprietæ cœtu in Deum, volant ab uno tempore in aliud, iuxta can. 4. Hebræa ad verbum habent, reuertetur ipsa, & edificabitur platea, & fossa, scilicet circum murum, id est murus. reuertetur ipsa, hoc est retinentur è Babylone ciues ipsius, putà Hierosolymæ, scilicet Hierosolymitæ & Iudei. Verum sic potius dixisset, Reuertentur ipsi. Melius ergo, reuertetur & edificabitur, id est iterum ædificabitur. Est hebraismus frequens in Scriptura, quo verbū ponitur pro aduerbio, reuertetur pro iterum, denuo. ita Septuag. Leo Hebr. & alij. Vide nostrum Riberam Olee s.n. 7. Iterat hoc & confirmat angelus; tum quia Daniel idipsum suimis votis expetierat & obsecraverat; tum vt indicet causam, cur septem hebdomades seorsim ante 62. nominari, videlicet vt indicaret in ijs reædificandami esse urbem. Porro platea, id est plateæ Ierusalem, licet Galatinus putet ipsam urbem Ierusalem vocari plateam, ob sui latitudinem.

IN ANGVSTIA TEMPORVM] Ita vertint & Septuag. Complut. sed Romana legunt, & euacabantur tempora; Tertull. innouabantur tempora. Idque Primo, quia Iudei reædificantes Ierusalem tot angustijs ab hostibus sunt pressi, vt vna manu gladium ad se tuendum, alia trullam ad ædificandum gestare cogerentur, Nehem. 4. 17. Idem factum fuisse sub Esdra, patet ex eo, quod usque ad Nehemias impedita fuerit urbis fabrica; & ex eo, quod Nehemias dicat se inuenisse murum dissipatum, & portas combustas. Secundo, quia ob hostes lacerentes assidue Iudeos, Nehemias & Iudei angu-

*Angustia
temporum
duplex.*

Primo,

Secundo,

stissimo & breuissimo tempore, scilicet 52. diebus, incensio raptim perfecerunt.

POST HEBDOMADES SEXAGINTA DVAS] Repete per hebraisimum, post hebdomades 7. & hebdomades 62. id est post 69. hebdomades occidetur Christus: alioquin enim hic versus pugnaret cum praecedenti. Fallitur ergo Driedo, qui lib. 3. de S. Script. c. 5. docet Christum occisum esse hebdomade 62. Loquitur enim Daniel de hebdomadi bus 62. quas paulo ante cum alijs septem coiunxit. q.d. Post hebdomades 62. iam dictas, quae se ptem alijs coniunguntur.

VERS. 26. OCCIDETVR CHRISTVS] Insulsè Rabbinus quidam apud Finum vertit, abscondetur, id est, à Synagoga reiijcietur, separabitur, & quasi excommunicabitur Christus; & R. Leui, abscondetur, id est trūcabitur Messias, quia pontifici & pōtificati finis dabatur à Tito. Hebr. enim קָרַת curat significat excindere, succidere, occidere, & ita vertunt hic Leo Hebr. & Rabbini ceteri. Vnde R. Osea apud Galatin. l. 4. c. 18. flens dicebat: *Vx illis, ve illis, v.e illis iniquis & impīs homicidis Israel, ob quorum amorem, vt peccatum eis dimittat Deus, mittet filium sanctum suum, & carnem humanam induet. v.e illis, quia propter prauas suas actiones rebelles erunt huic Messis: nec resipient dicta quibus imperabit, vt mundentur aqua mūdationis ad expianda peccata sua: nec incident in vijs Deo gratia, nec facient eius voluntatem; sed ingenti iracundia percipi illum occident.* Quare mirum est Septuag. vertere, destruetur vñctio, id est pontificalis dignitas in Hyrcano pontifice, qui occidetur, ait Theodor. Hebraicè enim est *Mashiach*, id est Christus in concreto, non *mesch*, id est vñctio in abstracto; & ita legunt ipsi met Thalmudistæ & Rabbini. Fortè Septuag. mysterium occisionis Christi non intellexerunt, aut potius apud Iudeos illud non credituros tegere voluerunt.

ET NON ERIT EIVS POPVLVS QVI EVM NEGATVRVS EST] Hebr. לִי יְהוָה veen lo, id est non ei, quod R. Salomon exponit, q.d. Christus, id est rex Agrippa, occidetur, & nō erit ipse, aut alias rex (Iudeorum) donec veniat Messias. Verum sic dicendum erat, & non ipse; iam autem dicit, & non ei. Adde, falsu esse, quod Agrippa à Romanis fit occisus, cum ab ijs toparchijs & opibus sit auctus, vti superius ex Iosepho & Tacito ostendi. Septuag. vertunt, & non erit ei iudicium. q.d. Sine iudicio, iniuste & tumultuariè à Scribis & Iudeis occidetur Christus; aut potius, q.d. Cum vñctione, id est pōtificatu, peribit principatus (huius enim est iudicare) & respubl. Vatabl. & non erit, scilicet qui opem ferat ei, vt eum à morte & manibus Iudeorum liberet. Vnde Arabicus, & non est illi defensor; Syrus, non est ei, scilicet in tantis malis remedium, vel euasio. Galatin. lib. 4. c. 18. & nō erit ei, scilicet id quod Iudei putant, nimurum vt Christus ab eis crucifixus occumbat, & planè intereat: nam tertio die ijs inuitis à morte resurget. Melius Noster, & non erit ei, vel eius, scilicet populus ille Iudaicus qui eum negabit & occidet. Hoc enim est quod de eodem clare ait Osee c. 1. *Voca nomen eius, Non populus meus, quia vos non populus meus, & ego non uester Deus.* Hinc ipsi coram Pilato volente Christum liberare, negarunt eum, & contra eum acclamarunt, *Non habemus regem nisi Cesarē, crucifige, crucifige.* Hinc Finus 1. 5. Flagelli c. 5. suspicatur hæc hic excidisse ex tex tu Hebræo, vel à Iudeis esse expuncta. Nō enim, ait, verisimile est nostrum Interpretem hæc ex se

A addidisse. Veteres Hebræi teste S. Hieron. verterunt & explicarunt, q.d. *Non erit illius imperium quod parabat se redempturum*, hoc est, Christus regnum Iudeorū deseret, & planè abiiciet, ad quod tamen spiritualiter reparandum & restaurandum præcipue venerat. quod in re idem est cum eo, quod vertit Noster, & non erit eius populus, qui eum negaturus est.

ET CIVITATEM, ET SANCTVARIVM DISSIPABIT POPVLVS CVM DVCE VENTVRO] q. d. *Populus*, id est exercitus Romanus duce Tito & Vespasiano, in vñctionem necis Christi ciuitatem Ierusalem, & sanctum, quod in ea erat, templum destruet & funditus euertet; ita vt numquam rediscetur, sed in æternum maneat desolatum. hæc enim est plena vastitas & statuta desolatio, de qua sequitur.

B Nota euersionem templi angelus tribuit populo & exercitui Romano; quia ipse dux, putà Titus, volebat illud seruare, teste Iosepho. ita Vatabl.

ET FINIS EIVS VASTITAS] Hebr. succidentur, scilicet Iudei, sicut in diluio; Tertull. sicut in cataclysmo, vt pauci, instar Noë, tātæ cladi super sint. ita Septuag. Vatabl. vertit, *finis eius erit per diluuum*, vel cum inundatione, q.d. Romani tota vi & turba irruent in Ierusalem. Comparat vim & impetum belli diluio. ita Theodor.

ET POST FINEM BELLi] R. Salomon vertit, usque ad finem belli, q.d. Licet omnes Iudeorum aduersarij tandem sint per Messiam venturum perdendi & vastandi, tamē statuta est à Deo & determinata suæ ciuitatis, putà Hierosolymæ, deuastatio & desolatio per Titum usque ad finem belli Gog & Magog, de quo Ezechiel. 38. qui per Messiam deuinctur: & restituentur sibi (id est Iudeis)

C Ierusalem, putà ciuitas, templum & regnum; utique in fine mundi; tunc enim venient Gog & Magog cum Antichristo, quem Iudei pro Christo recipient. Verum non agitur hic de bello Gog & Magog, sed ducis venturi paulo post 70. hebdomades, id est Titi. Septuag. obscurè vertunt, & usque ad finem belli concisi ordinabit (Romana legunt ordine: Græcum enim τάξις, potest Primo, accipi vt nomen, & tum significat ordine, Secundo, vt futurum verbi τάξις, & tum significat ordinabit) desolationibus. Fortè est mendum, & pro συντετμηνέα τάξις & φαντασμοῖς, legēdum est, συντετμέναι τάξις αφανισμῶν, id est, decreti sunt ordines, siue series desolationum. Pagnin. vertit, & usque ad finem belli decise sunt desolationes, q.d. Ierusalem obsessa continuis stragibus & cædibus sensim exhaustetur & desolabitur usque ad finem belli, quo planè excindetur & desolabitur: que desolatio durabit ad finem mundi, vt sequitur. Vatabl. vertit, ad finem belli consummata vastitudo, vel destruetur desolationibus, siue seditionibus & cædibus. q.d. Toto tamen obsidionis tempore vires eius erunt labefactæ propter ciuilia bella, & intestinas seditiones. Nam Ioannes & Simon duces seditionis plurimos in vrbe occiderunt.

D Ad verbum Hebr. habent, ad finem belli decree sunt desolationes, ad finem, id est sub finem, in fine: unde Noster clarissime & optimè vertit, post finem, tum quia non in bello, sed post finem belli secula est hæc Hierosolymæ desolatio & solitudo, occisis vel abductis ex ea Iudeis: tum quia sequitur, Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio, quam etiamnum patitur Ierusalem. hæc ergo post finem belli contigit, & etiamnum perdurat, & du-

rabit ad finem mundi. Pro desolatio hebr. est **שְׁמֹרֶת** scemor, id est desolationes, afflatus, fiderationes: cum enim res fulmine afflatur, vel igne, aut halitu serpentis, dicitur **שְׁמֹרֶת**, id est afflari, fiderari, desolari; radix enim **שְׁמֹרֶת** alludit ad **נִשְׁאָם** nascam, id est spirare, flare, afflare. Significatur ergo hic, quod Ierusalem ob suas abominationes a Deo quasi afflabitur, & e celo quasi fulmine fiderabitur, ut instar Sodomae in cineres & fauillas a Romanis redigatur, & euaneat. Ita Iosephus describens stragam Hierosolymae, non Tito, sed Deo eam ascribit, vti inferius ex verbis eius patebit.

Nota. Hæc vastatio Ierusalem noti continentur intra spatum 70. hebdomadum: illæ enim finiuntur tertio anno post mortem Christi, vastatio autem hæc contigit anno 38. post necem Christi: diu ergo post 70. hebdomades contigit hæc vastatio. Quod enim Origenes, Euseb. & Hippol. hanc 70. hebdomadam cum alijs non continuant, sed ijs 60. aut 70. annis posteriorem faciunt, repugnat eorum connexioni & contextui apud Danielem. Vastationis ergo Ierusalem meminit hic Daniel, vt ostendat quoniam graui ultione Deus in Iudeos vindicavit necem Christi, utpote qui propter eam exciderit planè Ierusalem, totamque Iudeorum gentem & rempublicam.

Nota Secundò, grauissimam hanc esse Iudeorum vastationem; Primò, quia carent templo a 1600. annis; Secundò, carent Prophetis; Tertiò, carent viris doctis; Quartò, toto orbe sunt yagi; Quintò, perpetua erit hæc eorum desolatio, vti prædictit hic Gabriel, & Isaías, alijque Prophetæ, idque docet ipsa experientia.

VERS. 27. CONFIRMABIT (ita lege cum Roman. non confirmavit, vti legunt nonnulli) AVTEM PACTVM; Septuag. οὐ γάρ τινει, id est testamentum, scilicet nouum, MVLTIS HEBDOMADA VNA] Redit Gabriel ad Christum, de quo egit v. 25. & 26. Perperam ergo R. Salomon sic exponit, q.d. Titus dux populi venturi contra Ierusalem, faciet inducias cum Iudeis, quas Iudei non seruabunt, hinc ab eo exscindentur & desolabuntur. Hoc enim eius figuratum clarè redarguitur, nam nec Iosephus, nec Iosippus filius Gorionis, nec Hegesippus, nec quis alias enarrans cladem Hierosolymæ, harum indiciarum meminit; sed potius ex aduerso vñanimiter omnes asserunt, Iudeos obstinatissime onnes pacis a Romanis oblatae conditiones respuisse, usque ad extremum urbis excidium. Adde, Titus Hierosolymam non anno integro, sed dimidio tantum obsedit: coepit enim oblidionem in Aprili, pura in Paschate, & occupauit urbem Octobri sequenti: non ergo confirmavit pactum multis hebdomada una, quæ plures annos complexitur. Certum ergo est ex communi interpretum sententia, hæc de Christo Salvatore dici. Christus enim ultima hebdomade, scilicet septuagesima, tribus primis eius annis cum dimidio prædicauit, vt habeat vetus traditio, teste Eusebio libr. 8. Demonstr. (de qua re tractandum est in Euagelijs. Interim vide Baron. anno Christi 34. Perer. hic q. 7. & Suarez 3. p. qu. 50. a. 6. disp. 40. sc. 1.) tuncque pactum & testamentum inter Deum & homines præsertim in ultima cena condidit, suaq; morte sanciuit; ac eius symbolum, pignusque perpetuum dedit Eucharistia sacrificium & Sacramentum.

Porro Christus hoc testamentum confirmavit multis, id est quoniam plurimis hominibus, cum qui-

A bus hoc foedus inijt. Vnde Vatabi verit, ergo multos: & hoc significat Hebr. **לְרַבִּים** larabbim, scilicet multis in datiuo. Verum melius **תְּדוּ** multis accipias in ablatiuo, multis, scilicet rationibus & argumentis (articulus enim lamed, qui est in **לְרַבִּים**, sæpe seruit ablatiuo, vti norunt Hebraicæ pœnitentiæ nimirum. Primo, miraculis, ijs præsertim, que Prophetae eum, ad hoc confirmandum, facturum prædixerant. Vnde Christus rogatus a Ioanne, nomine discipulorum eius: Tu es qui venturus es (Messias) an alium expectamus? respondit: Euntes renuntiate Ioanni que audistis, & vidistis: ceci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgent, pauperes euangelizantur. Hæc enim miracula facturum Christum, sigillatim prædixerat Isaías cap. 35. 5. & c. 61. 1. Itaque ex hisce conuicti fuerunt Iudei, vt crederent, vel credere deberent, ipsum esse Messiam. Vnde & dixerunt Ioan. 7. Numquid Christus, cum veniet, plura signa faciet, quoniam quæ hic facit? Christus enim hæc signa faciebat ad hoc, vt ijs probaret & denostret Iudeis se esse Messiam à Prophetis promisum. Secundò, prophetis: Moses enim **secundò**. omnesque Prophetæ prædixerunt hoc Christi testamentum, & quæcumque ab eis prædicta sunt, hæc Christus præstitit & adimpleuit, vti S. Petrus & Paulus in Actis Apostolorum crebrò ostendunt: Tertiò, testimonij angelorum, qui cum nascetur **tertiò**. tem pastoriibus annuntiarunt, eumdemque Magis perstellam quasi celorum linguam, ait S. August. serm. 2. de Epiphania, indicarunt; qui & cum à morte resurrexisse testati sunt Matth. 28. 2. & sequent. Quin & dæmones electi à Christo è corporibus hominum, clamabant ipsum esse Christum, Deique filium. Quartò, testimonio S. Ioannis Bæ. **Quartò**. ptistæ, quem Iudei vt Prophetam, virumque diuinum colebant: Ioannes enim non aliud prædicabat, quoniam hunc esse Messiam, cumque digito demonstrans: Ecce, inquit, Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Quintò, testimonio Mosis & Eliæ, qui in **Quintò**. transfiguratione coram Petro, Iacobo & Ioanne testificati sunt ipsi esse Messiam. Sextò, vita æquæ **Sextò**. ac doctrina integerrima & sanctissima. Christus enim vitam egit angelicam, imo diuinam, vt cum veracem esse, veraque prædicare, nemo prudens dubitare posset: prædicauit enim verbo & exemplo contempnere terrena, amare cælestia, beatos esse pauperes spiritu, mites, castos, pacificos, patientes, &c. Septimò passione, morte & redemptione **Septimò**. sua: hac enim impleuit Christus Dauidis psalm. 2. 1. Isaïæ c. 53. Ieremiæ c. 11. Danielis hoc loco, cum ait, Et post sexaginta duas hebdomades occidetur Christus, & aliorum prophetias, qui Christū passurum, crucifigendum, suaque morte homines redempturum, ante 500. & 600. annos prædixerant. Octauò: prodigijs quæ in morte eius acciderunt. **Octauò**. Nam sol obscuratus est, terra contremuit, velum templi scissum est, mortui resurrexerunt; vt omnia elementa eius, quasi creatoris sui, mortem sentire, conturbari ac plangere viderentur; vnde ea videntis Centurio dixit: Verè filius Dei erat iste. Nonò, **Nonò**. ex ipsis Christi prædictionibus, quas omnes vere adimpletas videmus. Nam Primo, prædixit suam mortem & crucem, ac deinde resurrectionem & ascensionem; Secundò, excidium Hierosolymæ, Tertiò, prædicationem sui Euagelij per totum orbem, Gentium conuersionem, Iudeorum incredulitatem; Quartò, miracula quæ facti erant ipsis ope Auostoli, item persecutio-

Decimò. nies quas erant passuri; Quintò, Ecclesiam suam, licet tyrannorum & hæretorum armis & machinis vnde impetendam, perstituram tamen & duraturam usque ad finem mundi, aliaque plura, quæ omnia ad amissum completa cernimus. Decimò, sua à morte post triduum gloria resurrectione, & quadragesimo die ascensione publica in cælum, ac 50. die missione Spiritus sancti in suos discipulos, Denique Deus ipse, omnes creaturæ, totisque mundus eum esse Messiam orbis redemptorem, & noui testamenti conditorem proclamauit. Nam in eius baptismō dixit ei Pater æternus: *Hic est filius meus dilectus, ipsum audite, & Spiritus sanctus in eum specie columbae descendit.* Angeli & dæmones idem testificati sunt, vt iam ostendi; & cælū, cum stellam eius indicem Magis dedit; & aër, cum per illum glriosus in cælum ascendit; & mare, cum ei quasi domino calcandum se præbuit, eiusque pendibus se subiecit; & terra, cum in eius morte concussa est; & mors, cum mortuos reddidit, quos Christus ad vitam reuocauit, & infernus, cum animas Patrum restituit; & sol ac luna, cum in eius morte obscurata luxerunt; & aqua, cum in nuptijs ab eo in vinum mutata est; & panis, cum ab eo multiplicatus est, item cum ab eo in corpus suum est conuersus, vt multis miraculis ipse comprobauit; & lux, cum in eius transfiguratione eum vestiuit, vt facies eius respléderet quasi sol, & vestimenta eius quasi nix; & saxa, cum in eius morte fissā sunt; & ignis, cum linguas igneas immisit in Apostolos in Pentecoste; & venti, cum eos in mari compescuit, ita vt de eo dicerent, *Quis est hic? quia venti & mare obediunt ei.* Insuper omnis sexus, omnis aetas, omnis status idem protestata sunt. Nam & sc̄enex Simeon, & Anna vidua, & Nicodemus Pharisæus, & Gentiles multi, ac ipsi etiam pueri & infantes idem proclamarunt. Infantes, qui in Bethlehem ab Herode occisi sunt (hi enim propter Christum occisi, & vt inter eos occideretur quoq; Christus) quid aliud sua cæde & martyrio professi sunt, quam Christum iam natum esse, à quo regno spoliari timebat Herodes? Pueri, qui ei quasi Messiae cum pompa inueni Ierusalem in die Palmarum, communī voce ex Dei instinctu acclamauit: *O sanna filio David, benedictus qui venit in nomine Domini.*

Dices, Christus prædicauit tantum per medium hebdomadā 70. putà per tres primos eius annos cū dimidio, quibus exactis occisus est à Iudeis; quomodo ergo h̄c ait angelus: *Confirmabit autem pactū multis hebdomade una, cum non vina integra, sed dimidia dumtaxat illud prædicando confirmarit?* Respondet Theodor. Christum per se prædicando confirmasse pactum per dimidium hebdomadæ 70. reliquum verò dimidium ciudem hebdomadæ explendum commisisse Apostolis. Apostoli ergo idcirco manserunt Ierosolymæ per triennium, prædicando Iudeis fidem Christi, vt explorarent dimidium hebdomadæ 70. à Christo inchoatæ, quo facto, impletâ iam hac Danielis prophetâ de confirmatione pacti, putà noui testamenti, apud Iudeos, iussu Christi transtulerunt se ad Gentes, vt illis idem testamentum prædicarent & confirmarent, quibus conformia scribit S. Hieron. h̄c, & Euseb. lib. 8. de Præpar. Euangel.

ET IN DIMIDIO HEBDOMADÆ DEFICIET HOSTIA ET SACRIFICIVM] In huius rei signum, Christo tunc paciente, sequē Deo pro hominum salute immolante, itaque typos omnium veterum

viictimarum & sacrificiorum adimplente, veluni templi scissum est, ac Sancta eousque clausa patuerunt, vt docet Apostolus Hebr. 9. omniaque quæ in templo erant admiranda, finem acceperunt. Perperam Apollinaris Laodicens. Hebr. can. 25. in Matth. & Hippolytus, hæc referūt ad Antichristum in sensu literali (nam allegoricè & typicè cum h̄c figurari non est dubium, & fatentur omnes) ipse enim auferet sacrificium Eucharistiae, & in templo ponet abominationem desolationis, putà seipsum, suique idolum, vt ibidem adoretur quasi Deus. Apollinaris enim teste S. Hieron. h̄c, censuit esse duplices 70. hebdomades, ac priores compleri in primo aduentu Christi; posteriores in secundo, puta in fine mundi & tempore Antichristi. Verum h̄c exploratus est error: Daniel enim vnas tantum 70. hebdomades consignat, easque terminari assert in morte Christi, vnde temere ipse finit secundas quæ terminentur in Antichristo. In Christi ergo morte omnia sacrificia, & hostię legis veteris, cunctaque ceremonialia in totum abrogata & antiquata defecerunt, fueruntque mortua, licet non statim mortifera: quia, vt ait S. Leo homil. 8. de passione, *nunc omnes differentias hostiarum una corporis & sanguinis Christi implet oblatio.* Sic ergo Christus sua morte cessare fecit (hoc enim significat Hebraeum *נִכְשׁוּ יָאַבֵּית*) & aboleuit, vt veritatem Vatabl. omnes legales viictimas & ritus. ita S. Hieron. & passim Hebrei, Græci & Latini. Quocirca minus recte recens Chronologus putat, Christum in fine 70. hebdomadæ prædicasse; sic tamen vt per suam resurrectionem, ascensum in cælum, & prædicationem Apostolorum, suam legem & patrum confirmarit hebdomade 71. nam hic non 70. sed 71. essent hebdomades, & non in medio, vt h̄c dicitur, sed in fine 70. hebdomadæ defecisset dies hostia.

ET ERIT IN TEMPLO ABOMINATIO DESOLATIONIS] Pro desolatione, hebraicè est *תְּמִימָה* mesomē, desolare faciens, desolans, vel etiam obstupecere faciens, q.d. Stupenda abominatione. Refer h̄c ad finem v. 26. cōmiserit enim h̄c Gabriel necem Christi cum excidio & vastitate Ierusalem, quia illa huius fuit causa. Arabicus Antiochenus verit, & super latera abominationis destrucțio (desolatio;) Arabicus Alexand. ceſtabunt viictime & oblationes & superuenient corruptio & profanatio; Syrus, & super latera immunditiae (inquinamenti, abominationis) corruptio (subuersio, confusio.)

D Nota Primò. Pro in templo, hebraicè est *לְכֹדֶן* al kenaph, id est, ad alam. Per alam denotat templum, vt vertunt & Septuag. & Christus Matthei 24. Stantem, inquit, in loco sancto. Tum quia templum habebat pinnas quasi pennas: vnde Tertull. lib. contra Iudeos legit, & destruet pinnaculum usque ad interitum. Aliqui enim græcè verterunt *το τερπυμένον*, quod alam, indeque pinnaculum Lucæ 4.9. significat: tum quia templum utrumque habebat latas longasque porticus, quasi alas expansas, ita vt videretur esse alatum, vel avis expandens alas: tum denique, quia Zelotæ scelerati & abominabiles, primo insederunt unum latus, & unam porticum quasi unam alam templi, ibique fecerunt abominationem desolationis, de qua agit h̄c Daniel, ac in suos ciues grassati sunt, vt mox dicam. Vnde ad verbum sic exponas: ad alam, scilicet sanctuarij & ciuitatis, de quibus paulo ante dixit. Et ciuitatem,

Aliqui numerant: 71 hebdoma-

Abomina-
tio desola-
tionis, que

& sanctuarium, dissipabit populus cum duce venturo. Eò enim respicit, eoquæ hæc pertinent. Aliter vertunt nonnulli, scilicet, & super aliam abominationum stupescient; & Vatabl. propter aliam abominationum destruetur, hoc est, inquit, Ierusalem destructur propter magnas Iudeorum abominationes, quas committent crucifigendo Christum: aliam enim, siue extencionem abominationum, vocat longam seriem abominationum, siue multiplices abominationes.

Nota Secundò. Hebr. ad verbum habent, & ad aliam (id est, ad templum, in templo) abominationes desolantes, vel desolantis, id est, desolantium Iudeorum & Romanorum; vel desolantis, id est desolationis: ponitur enim participium, vel nomen particiale mescomem, id est desolantis, pro abstracto scōmem, id est desolationis, vti notant eruditii Hebrei. Vnde & Septuag. & Christus Matth. 24. & alij vertunt, abominatio desolationis, vel afflatus & siderationis, vti paulò ante explicauit.

Nota Tertiò. Est hæc duplex hebraismus. Nam Primo, ponitur abominatio pro re foeda, turpi, execribili & abominabili. Secundo, desolationis, id est desolans, & extremum exitium templo urbiique & Iudeis afferens; vel per hypallagen, abominatio desolationis, est desolatio abominabilis, inquit Vatablus.

Graui's hæc est quæstio, quænam sit hæc abominatione desolationis? Primo, Iren. l. 5. c. 25. Hilar. & Auctor imperfecti apud Chrysost. in Matth. 24. 15. putant esse Antichristū, qui in tempore adorabitur vt Deus: de illius enim tempore hæc agi videtur ex eo quod sequitur, Et usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio: hoc enim congruit Antichristo. Et ex eo quod scribit S. Marcus c. 13. cùm enim v. 14. dixisset, Cùm videritis abominationem desolationis, &c. subdit v. 24. Sed in illis diebus post tribulationem illum sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum, & stelle celi erunt decadentes, & virtutes que in celis sunt, subeuntur. Et tunc videbant filium hominis venientem in nubibus, &c. Hæc enim omnia spectant tempora Antichristi, & finem mundi. Verum Daniel agit hæc de excidio non orbis, sed urbis, & templi Hierosolymitani, quod fiet mox post finem 70. hebdomadum, & post necem Christi à Iudeis occisi, vt patet ex ipsis eius verbis, & consentiunt ceteri interpres: ac proinde de eodem agit & Christus Matthei 24. ibi anim alludit, imitatur hunc locum Danielis, dicens: Cùm videritis abominationem desolationis, que dicta est à Daniele Prophetā, stantem in loco sancto. Perperam ergo id negat Caluinus. Itaque non agitur hæc de Antichristo ad literam; allegoricè tamen hæc abominatione quæ fuit tempore Titi, typus fuit & prætidium abominationis quam faciet Antichristus. Vnde Christus Matth. 24. & Marci 13. utramque conuoluit, cùm ab excidio urbis Ierusalem subito transit ad excidium orbis, & hoc cùm illo ita commiscet, vt vnu idemque esse videatur, sicut typus idem est cum antitypo, non physicè, sed typicè & repræsentatiue.

Secundò, alij accipiunt hæc abominationem templi quam fecit Antiochus Epiphanes, collocando in eo idolum, eiisque indendo nomen Iouis Olympij, teste Iosepho 12. Antiqui. Sed errant: nam hic Antiochus duobus seculis Christum antecellit: ergo eius abominatione iam erat facta & præterita. Christus autem de hac abominatione loquitur quasi adhuc futura, dicens: Cùm videritis abominationem desolationis, que dicta est à Daniele Prophetā,

Astantem in loco sancto; tunc qui in Iudea sunt fugiant ad montes, &c.

Tertiò, S. Hieron. & Theodor. in Matth. 24. per Terram abominationem accipiunt idolum positum in templo sub tempora Christi: idolum enim in Scriptura vocatur סְבִכָּתִים scibkutzim, id est abominationes, id est res summe abominabiles: & additur Desolationis, quod in templo desolato & destruto idolum positum sit, ait S. Hieron. qui cum Theodoreto idolum hoc censet fuisse imaginem Cæsaris, quam Pilatus noctu claram in templu intulit. Verum hoc contigit 40. annis ante excidium, eratque iam factum cùm Christus hæc diceret Matth. 24. Adeo, Pilatus, repugnantibus Iudeis, mox statuam hanc è templo eduxit. Lege Ioseph. 18. Antiq. c. 4. & seq. Quocirca S. Chrysost. Theoph. & Euthym. censent hoc idolum fuisse statuam Titi. Verum de ea, quod scilicet posita sit in templo, nihil habet Iosephus, nec veteres historici: & si fuit, fuit post excidium, non ante. Hinc rursum S. Hieron. accipit statuam Hadriani Imper. quæ posita est in Bethlehem, & Adonidis quæ posita est in monte Caluariae. Verum hæc non fuerunt in monte Sion & templo, atque contigerunt diu post excidium urbis & templi factum à Tito: hæc autem abominatione contigit ante excidium. Nam ea visa monet Christus, vt fugiant ad montes, vt imminens excidium euadant.

Quartò, Maldon. in Matth. 24. censet hæc abominationem esse excidium Ierusalem, q.d. Christus, Cùm videritis vastatam Ierusalem, scitote & intelligite, Danielis de ea prophetiam esse impletam. Verum obstat, quod Christus hanc abominationem dat signum futuri excidij, vt eo viso fideles fugiant, illudq; effugiant, erit ergo prævia excidio.

Quintò, alij per abominationem intelligunt peccata sacerdotum, præsertim in templo commissa. Verum hæc olitana erant, & omnibus sæculis commissa: nisi quis dicat, pontificatus tempore Christi fuisse venales: itaque impios pontifices pecunia ementes pontificatum, & à Romanis præsidibus intrusos, fuisse abominationem hanc, ideoque dici de ea, stantem in loco sancto: in eo enim erat statio pontificis. Verum amplius quid significat abominatione desolationis: potest tamen hoc accipi vt pars istius abominationis.

Sextò, Histor. Scholast. hic cap. 10. per abominationem accipit sacrificia Aaronica, quæ Christus aboleuit, ideoque mox futura erant abominationa, desolanda & abolenda, ac consequenter, vt Carthus. ait, in templo futurus erat, non verus Dei cultus, sed ludus diaboli. Hoc est enim quod præcessit: In dimidio hebdomadæ deficiet hostia & sacrificium. Verum hæc nec Iudeis, vt pote Christo non credentibus, nec Christianis poterat esse signum instantis excidij: tum quia excidium hoc futurum erat post 38. annos: tum quia Iudei conuersi ad Christum adhuc seruabant legalia, & sacrificia Aaronica usque ad sufficientem Euangelij promulgationem, idque ad Synagogam cum honore sepeliendam, & ad cauendam offensam Iudeorum, erant enim illa in nece Christi mortua, sed non statim mortifera, nisi post plenam Euangelij diuulgationem.

Septimò, S. August. epist. 80. ad Hesychium, & Origen. homil. 29. in Matth. Caïtan. & Salmeron in Matth. 24. Perer. hæc, & Suarez 3. p. q. 59. art. 6. disp. 54. se. 5. censent abominationem desolationis esse exercitum Romanum Ierusalem obsiden-

tem, qui mox urbem erat occupatus & desolatus. Hic vocatur abominatione: tum quia erat Gentilis: Gentiles enim abominabantur Iudei: tum quia adorabat & colebat idola abominanda, eaque in vexillis præferebat. Probatur hæc sententia ex eo, quod pro abominatione desolationis quam ponit S. Matthæus c. 24. 5. Lucas c. 21. 20. eundem Christi sermonem enarrans ait: *Cum videritis ab exercitu circumlari Ierusalem: ergo hic exercitus est abominatione de qua S. Matth.* Responderi posset cum Euthymio, Christum duo affinalē signa instantis excidij, prius abominationem desolationis, & hoc enarrare S. Matthæum; posterius exercitum Romanorum, & hoc enarrare S. Lucam, hæc enim duo eodem tempore contigerunt.

Rursum huic sententiæ obijci posset, quod hic exercitus non fuerit in templo, sed circum urbem: Daniel autem ait hanc abominationem fore in templo. Si tamen hæc sententia commode exponatur, atque exercitus hic accipiat ut partialis, non ut totalis abominatione à Daniele hic prædicta, est probabilis & admittenda, vti mox declarabo.

OCTAUO ergo, valde probabiliter Sebas. Barad. Abulen. Iansen. & Hesselius in Matth. 24. ac Baronius anno Christi 68. tom. I. Annal. censem hanc abominationem esse profanationem templi, factam à seditionis homicidis & sceleratis Iudeis, qui ex impio zelo patriæ & legis, se Zelotas nūcupabant: siue abominationem esse ipsosmet Zelotas, qui templum occuparunt & profanarunt, dum illud castorū more munierunt, indeque in ciues suos excurrentes, rapinis & cædibus grassati sunt. Seditiones inquam & Zelotas, tum tempore Titi, tum potius alios paulo priores sub Cestio præside Iudeæ, qui Iudeis rebellare incipientibus primus Hierosolymam obsedit anno Christi 68. Neronis 12. Hoc enim fuit signum & causa excidij: cum enim Cestius à Iudeis fuisus fugatusque esset. Nero; vt Iudeos domaret & puniret, statim eius loco misit Vespasianum, qui mox vastauit ac subiugauit totam Galileam & Iudeam, ac tandem Ierusalem per Titum filium obsedit, eamque cepit & vastauit, ac templum incendit anno Christi 72. qui fuit Vespasiani imperij primus. Probatur hæc sententia Primò, quia hæc abominatione propriè fuit in templo, vti ait hic Daniel; & in loco sancto, vt ait Christus Matth. 24. ac de templi profanatione & desolatione ac defitione sacrificiorum propriè agit hic Daniel; ergo hæc est abominatione desolationis. Secundò, nisi ad hoc tempus referamus, verba hæc Christi, *Cum videritis abominationem, &c.* non coherēnt cum sequentibus, *Tunc qui in Iudea sunt fugiant ad montes.* Nam cum Titus Ierusalem obsedit, nec ex Ierusalem fugere quis potuit: fuit enim artissima eius obsidio, adeo vt Titus spatio tridui totam urbē muro cinxerit, quod erat instar miraculi, nec ex Iudea, quia illa cum Galilea iam vastata & subacta erat à Vespasiano. Tertiò, quia Iosephus lib. 5. Belli c. 2. ait, *Vetus sermo erat tunc urbē capiendam, cum in ea seditione fuisse exorta, templumq. Dei propriæ Iudeorum manus violassent:* ideoque subdit, mox à clade Cestij & Romanorū, multos instantis Iudeorum cladi coniectores, vrbe elapsos in alias regiones migrasse. Ex his autem Christianos fuisse, testis est S. Epiphan. hæres. 29. & 30. & Eusebius lib. 3. histor. c. 5. qui eos diuinitus admonitos, in urbem Pellam secessisse ait. Idq; patet de S. Simone Episcopo Hierosolymorum; hic enim S. Ia-

A cobo fratri Domini, qui à Iudeis occisus est anno Christi 63. Neronis septimo, vt recte ex Iosepho probat Baron. succedit, mansitque usque ad tempora Traiani, sub quo martyrum obiit; imò & cathedralam eius (non dubium quin & cetera Ecclesiæ supellectilia) à Christianis in tuto collocatam esse docet Euseb. lib. 7. histor. 14. vbi eam ad sua usque tempora seruatam esse docet. Quæ omnia optimè respondent monitis Christi, vt fugiant visa abominatione, quod ea signum, imò catula, futura sit instantis desolationis & cladi.

Nonò, plena & perfecta erit explicatio, si utrūque sensum, scilicet septimum & octauum, coniungas. Abominatione enim desolationis significat profanationem templi, propter quam, & per quam illud desolatum est & eversum, nimur abominatione sceleris Iudeorum, quæ ipsi in templo patrunt: quibus ipsi abominationem stragem & vastationem Romanorum in se, urbē & templum provocarunt. Non enim concipi potest exercitus opugnans (vti est Romanorum) nisi concipiatur & propugnans (vti est Iudeorum:) sicuti nominato-

B agente, intelligitur & patiens; & vice versa nominato paciente intelligitur agens. hæc enim sunt correlativa. Quod ergo ait Christus, *Cum videritis abominationem, &c.* sensus est q.d. Cum, vel mox ut videritis urbem & templum ab hoc abominatione exercitu foris obsideri & oppugnari; nec minus ab abominatione exercitu intus occupari & defendi; uno ob idola, altero ob sceleris palam abominatione, utroque nihil nisi desolationem minitante; illo superba sua animositate, hoc suis sceleribus, seditionibus & cædibus, tūc qui in Iudea sunt fugiant ad montes. Hinc hebr. vocatur abominatione desolationis, id est desolantium, tam Iudeorum, quam Romanorum: tam enim illi, quam hi urbem æquè ac templum vastarunt & desolarunt. Hinc & Daniel v. 26. vocat sc̄menot, id est desolationes in plurali, & Lucas v. 26. patet, id est ab exercitibus; in plurali,

C Dices. Exercitus Romanorum non erat in templo, in quo abominationem hanc ponit Daniel. Resp. Primò. Erat in loco sancto, vt ait Christus, id est, circa Ierusalem urbem sanctam & templum secundò, propriè erat in templo, vel ad templum: nam Romani oppugnando Iudeos suffoderunt templum, in quod quasi in arcem se receperat Ze- lotæ, vti docet Ioseph. Christus dicere maluit, in loco sancto, vt cum templo comprehenderet & urbem: quod enim hebr. ait hic Daniel, super alam, intelligi potest & de vrbis, & de templo ala siue extremitate. Opponitur autem locus sanctus abominationi, quia si ab ullo loco, certè à sancto procul abesse debet abominatione. ita Franc. Lucas Matth. 24.

D Porro hæc abominatione desolationis, putà templi profanatio, cœpit sub Cestio, crevit sub Tito, perfecta est à Romanis, excisa vrbe & templo. Tūc enim ipsi in templo Iudeos trucidarunt, ibique collocarunt sua vexilla insignita imaginibus Iouis, Martis, aliorumque suorum deorum & idolorum, quæ in Scriptura vocantur abominationes, vt docet Ioseph. l. 7. Belli cap. 13. Hec enim fuit summa templi & vrbis desolatio, scilicet tanta, quantam & Iudeorum culpa (putà sacrilegia in Christum & templum admissa) & Romanorum ita poscebat. Daniel hæc omnia complectitur per abominationem desolationis: Christus vero tantum primū, putà initium eius, respicit: monet enim vt eo viro fugiat, utpote signo instantis cladi & excidij vrbis & tem-

pli.

Abominatio
triplex.

pli. Quis enim vir prudens non ominaretur, reiici à Deo locum, eiusque desolationem instare, qui haec tenus habitus erat sanctissimus, cùm iam eum cædibus & sceleribus hominum execrandorum pollui cerneret? licet enim iam à Christi nece locus ille non amplius à Deo habetur sanctus, tamen quia talis à multis saeculis habitus erat, & etiamnum talis à Iudeis habebatur, quin & à Christianis: illi enim (vt patet de S. Petro & Ioanne Acto. 3. 1.) oratūrī ascēdebant in templum, ibique Deus per eos faciebat miracula; hinc etiamnū sanctus vocatus, sic vt haec scelerā illū profanare censantur, illiq; desolationē & exitium allatura omninetur, idque à Christo prænuntietur. Iudei enim suis armis & stragibus, etiam Romanorum, ibidem patratis, prouocarunt Romanos in urbis & templi excidium. Christus ergo maximè, vt notat Baron. & Franc. Lucas, loqui videtur de initio rebellionis Iudeorū, cùm Cestius Syriae præfes, audiens quod Iudei præsidios milites Romanorum interemiserent, eo atque in circitu Iudeos cecidit, Ioppen, alia que oppida cepit, ac Ierusalem obsedit: cumque seditioni Iudei in interiorē templi partem refugissent, Cestius illud oppignauit pér milites marina suffidentes, & templi portas succendere co[n]nantes. Verum cùm Cestius temere militem reuocaret, ac turpi fuga discederet, Iudei prudētes, præsertim Christiani, ex Christi monitu fuga sibi consiluerūt. Vnde Ioseph. l. 2. de Bello c. 25. Post Cestij, inquit, casus aduersos nobilium Iudeorum multi, tamquam è nauj pessum itura ex ciuitate evanescant. Idque consultè. Nam mox Nero Imp. Cestij fugam intelligens, post sex menses submisit Vespasianum, qui primū Galilæam, mox Samariam, & totam Iudeam, excepta urbe Ierusalem, vastauit & cepit: ac Nerone interempto creatus Imp. Romi abiit, relicto Tito filio, qui ex improviso Ierusalē obsedit in Paschate, ac post sex menses occupauit, templo primò omnium expugnato, & à militibus, renidente Tito, incenso, vt docet Ioseph. l. 6. & 7. de Bello. Vnde tunc è Ierusalē fugere, & res suas efferre non licuit, præsertim, quia Galilæa occupata à Vespasiano, Zelotæ ita Ierusalem custodijs arctarunt, vt nulli facultas esset effugiendi, nisi qui pecunia custodibus data, eam redemisset. Adde, nouæ tum conspirationis & seditionis Iudeorum princeps exortus, Simon Gerasentis, Ierusalem obsedit, ac à ciuib[us] spe auxilij contra Zelotas accipiendi intromissus nihilo minus quam Zelotæ gressatus est, ciuesque afflixit, donec Titus urbem obsideret. ita Ioseph. lib. 5. c. 6. & sequi. Quocirca Christus præmonuit, vt visa hac abominatione, statim fugiant: hoc enim significant illæ phrasæ, *Qui in techo, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam.* Hæ enim phrasæ sunt proverbia, non aliud significantia, quam celerrimè esse fugiendum, ne fugæ aditus intercludatur, vt h[ic] factum est.

Zelotarum
impetas.

Porro quam hi Zelotæ fuerint impij, homicidae, & sceleri templi profanatores, inter se depugnantes, tamque se iniicem, quam ciues & hostes macantes, fusè narrat Iosephus tum lib. 6. 1. & sequent. tum lib. 7. 4. *Cadaueribus*, inquit, non ciuitas tantum, sed & omne templum repletum est, &c. Vnde ibidem narrat, Titum obsidentem urbem & templum, ob illud violatum Zelotas arguisse, ac dixisse: *Quid in templo etiam mortuos conculeatis à nocentissimi? aut cur templum externi & gentilis sanguinis confusione polluitis?* Testor deos patrios, non ego vos violare haec

Cornelius in Danielem.

A compellam. Seruabo autem vobis etiam templum, si locum acies vestra mutauerit. Zelotæ enim ex templo, quasi ex arce tela iaciebant in Romanos. Idem l. 6. Belli cap. 1. *Misilia*, ait, *machinarum vi, ut aram usque templumque peruenientia, in sacerdotes sacra celebrantes* & debant, ac multi qui ad templum ab ultimis terra finibus venissent, ante ipsas hostias procubuerunt, aramque sanguine imbuerunt. Indigeni autem mortuis alienigenæ, at sacerdotibus profani miscabantur: perque atria diuinæ stagnum fecerat diuersorum cadauerum sanguis. *Quid tantum passa es à Romanis à miserrima ciuitate*, qui tua intestina sclera purgaturi flammis introiere! Lam enim Dei locus non erat, neque manere poteras, domesticorum funerum facta sepulchrum, & que sanum ciuili bello tunulum constitueras. Idem lib. 6. 16. Puto, inquit, quod si Romanis contra tam noxios nostræ gentis homines venire tardassent, aut biatu terre deorandum fuisse ciuitatem, aut diluvio perituram, aut fulminum instar Sodomæ incendia passuram. Multò enim magis impiam progeniem tulit, quam ea fuit que illa supplicia pertulerat. Ecce hæc est abominatio desolationis.

Moraliter abominatio desolationis est hæresis, *Moralis*, præsertim iconoclasmus, ac sacrilegia. Hæresis enim est idolum abominabile Deo, ob quod desolationem regnis & gentibus, ac iugum Turcum inducit, vt iam Africæ, Græciae, Syriae, Asia, &c. inductum videmus. Vide Barrad. tom. 3. lib. 9. cap. 8. in morali. Cùm enim hæretici, præsertim iconoclastæ, sacra & tempora violent, Sanctorum imagines confringunt, & loca sacra profanant, tunc certa imminet reip. clades & desolatio. Ut omittam Scotiam, Angliam, Germaniam, Galliam, &c. exemplo sit Belgium nostrum, quod post iconoclasmatum anni 1566. sexaginta & amplius annos assiduis bellis ita vastatum est, vt ijs plusquam vicies centena millia, siue plusquam duo milliones hominum interempti sint, ac ipsum Belgium, quod olim erat paradiſus, & orbis delicie, iam non nisi ærumnarum & lacrymarum vallis esse videatur. Ita Deus vlciscitur sacrilegia, & violatam Numinis maiestatem, cultum & religionem.

ET VSQVE AD CONSUMMATIONEM ET FINEM PERSEVERABIT DESOLATIO] Septuag. & usque ad consummationem temporis consummatio dabatur super desolationem. Videntur ipsi pro Τίτον titiach, de quo mox, legisse Τίτον titten, id est, dabatur. nun enim & capi finale, eodem penè charactere scribuntur. Hebr. ad verbum habent, & usque ad finem perseverabit, vel conflabitur, vel liquefiet (hoc enim significat Hebr. titiach) ipsa (Ierusalem, vel desolatio & ira Dei) super desolationem Hierosolymæ. ita Galatin, suprà, q. d. Sicut in Ætna, & olla Vulcania perpetuo conflatur & bullit ignis, sulphur, saxa, cineres, aliaeque res igne Ætnæ afflatae & exustæ, ita in ira Dei Ierusalem conflabitur, vt quasi iugiter ebulliat, & ostentet cineres suæ desolationis, quia afflata est à Deo per Romanos, & perget afflari usque ad finem mundi, vt fit in Sodoma & Pentapolii.

Perperam ergo R. Salomon vertit & exponit, q. d. Titus ponet desolationem, id est sui idolum, in templo, & usque ad consummationem & constitutionem ipsius desolantis per Messiae manus faciendam, perseuerabit desolatio, q. d. Donec Messias in fine mundi consumat & perdat hostes Iudeorum, qui Iudeam desolarunt, durabit hæc Iudeorum desolatio. Nec enim Titus vixit ad finem mundi, nec tunc à Christo perimendus est. Variabil. vertit & explicat, q. d. Destructus Titus Ierusalem,

Y y y y

doreo

^donec consumptio, & quidem certa descendat super attoritum vel stuporem populi, propter desolationem urbis & templi.

Quam vera sit haec prophetia, docte experientia 1600. annorum, quibus Iudei saepius se & templum erigere sunt aggressi, sed irrito conatu & frustra; vt inde certo coniudere licet, perennem hanc force corum desolationem usque ad finem mundi, ut prophetat hic Daniel. Ut alia exempla omittam; Julianus Apostata volens sacrificia idolorum restituere, hortatus est Iudeos, ut similia sacrificia more maiorum peragerent; responderunt illi, sibi ex lege non licere extra Hierosolymam, eiusque templum sacrificare. Ergo Julianus iussit templum eis redificari, deditque ad hoc ex suo sacro sumptu & operas magna Iudeorum laetitia, & Christianorum luctu & metu. Sed eos animauit Cyrilus Hieros. Episcop. ostendens ex hoc Danielis oraculo, & ex verbis Christi Matth. 24. Deum non permisurum ut hoc templum restauretur. Verus fuit vates, immo doctor. Nam Deus eos a fabrica tribus ostentis deterruit. Primo, cum iacerent fundamenta, ingentem terrae motum excitauit, qui fundamenta disturbauit. Secundo, igne de caelo missa omnia fabrorum instrumenta, omnia ligna & lapides, omnemque fabricae materiam absumpserit: durauit hoc incendium per diem integrum. Tertio, nocte sequenti effigies crucis, radiorum lumine insignitas, illorum vestibus impressit, quas cum dies illucesceret, cernentes Iudei, eluere ac delere cupientes, nullo modo potuerunt. Ita refert Socrates lib. 3. 17. & Ruffin. li. 1. cap. 37. & Chrysost. orat. 2. contra Iudeos. Huius, ait, rei omnes nos testes sumus: nostra enim etate ante annos viginti haec contigerunt, considera ergo insignem victoriam veritatis.

Iuliani fabrica templi calitus distracta.

A Prædictum ergo hic Daniel perpetuam desolationem, tam templi, quam urbis, faciendam a Tito; ita ut urbs Ierusalem non sit amplius regia Davidis & posterorum, ac Iudeorum; sed serua & quasi mancipium Gentium, putat Romanorum, ac deinde Christianorum, ac postea Turcarum, ut iam est, eritque usque ad finem mundi, quando Antichristus rex Iudeorum, Hierosolymæ sedem regni constituet, ut patet Apoc. 11. v. 8. Quocirca Hadrianus Imp. 64. anno post excidiu Titi, putat anno Christi 104. Gentium coloniam in Ierusalem deduxit, eamque Eliam Capitolinam nuncupauit, ac in ea templum Ioui edificari curauit: cumque Iudei hoc ægre ferentes arma mouerent, ita ab eo casi sunt, ut pauci eus essent, inquit Dionis Epitome in Hadriano, & quinquaginta eorum arces munitissime, viciq; celeberrimi & nobilissimi 985. funditus eueri sint. B Cesa sunt in excursionibus, prelatis, hominum quingenta octoginta millia; eorum autem qui fame, morbo & igni interierunt, infinita fuit multitudo, ut omnis penè Iudea deserta fuerit. Addit portenta quæ id præsignificauit: Namque monumentum Salomonis, quod illi summa religione colunt, se sponte diuisum corruerat: lupi preterea & hyene multe, in urbes eorum rugientes atque vulnentes introierant. Templum ergo Iudeorum non reparabit nisi in fine mundi ab Antichristo, qui in illo sedebit & adorabitur, ut dixi 2. Thessal. 2. 4. Vnde etiam tunc manebit in templo abominatione & desolatio, putat idolum Antichristi: licet enim Antichristus initio fortè apud Iudeos simulaturus sit, se templum hoc velle reparare Deo eorum, tamen reuera illud non Deo, sed sibi edificabit: intendet enim hoc templum facere sedem suam, in qua ut numen sedeat & colatur. ita Franc. Suarez, & passim alij supra citati.

CAPUT DECIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Hoc caput duorum quæ sequuntur præfatio est: nihil enim aliud Propheta facit, quam in genere proponere visionem, quam illi particulatim cap. II. & 12. angelus exponit. ita Maldon. Daniel ergo lugens & ieunans ob interruptam templi fabricam, videt angelum mirè fulgidum, a quo audit u. 12. exauditas esse precessuas, dicitq; u. 13. pugnam angeli Iudeorum cum angelo Persarum & Graecorum.

Vers. 1.

Anno tertio Cyri regis Persarum, verbum revelatum est Danieli cognomento Baltassar, & verbum verum & fortitudo magna: intellexitque sermonem: intelligentia enim est opus in visione.

2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus,

3. panem desiderabilem non comedи, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vncus sum; donec complerentur trium hebdomadarum dies.

4. Die autem vigesima & quarta mensis primi eram iuxta fluvium magnum, qui est Tigris.

Vers. 1.

Anno tertio Cyri] Anno 1. monarchiae suæ euersa Babylone, Cyrus ex ea liberauerat Iudeos, eosque in Iudeam dimiserat: anno 2.

Cyri, Iudei post redditum coeperunt templum redificare; sed statim vicinæ gentes illud impediuerunt, Esdrae 4. 4. Intelligens hoc Daniel luxit & orauit Deum, ut haec impedimenta tolleret. Vnde Deus illi haec visa obiicit, quibus eius votis satisficit. Tradunt Hebrei, Cyrum tres tantum annos regnasse ut monacham: vnde & Daniel in tertio anno finit regnum Cyri.

ET VERBUM VERVM] visio quam vidi, fuit vera, non ficta, non illusoria. Rursum, visio haec non fuit somnium, nec in somnis ostensa, ut fuerunt præcedentes cap. 7. & 8. quas vero non vidi, sed in somnis visus sum mihi eas videre: hanc vero vigilans & re ipsa vidi, ut patet v. 7. Porro haec visio, id est visum, siue res visa, fuit species augusta angeli, quam describit v. 5. cum suo exercitu, putat cum angelis ei subditis.

ET FORTITUDO MAGNA] Hebr. est נְבָבָה tsaba, quod alij capiunt pro נְבָבָה tsabi, id est voluptas, q.d. Ex hac visione magna me incessit laetitia & voluptas. Sed obstat quod v. 8. Danielis hac visione non delectatum, sed exterritum dicat.

Secun-

VERS. 2. Secundò Maldon. sic explicat, q.d. Visio hæc A mihi visa fuit valde fortis, id est vehemens, terribilis & tremenda.

Tertiò, & genuinè, *tuba* est exercitus, q.d. Militia: vel exercitus magnus fuit obiectum visionis meæ, partim enim vidi, partim ab anglo audiui exercitus angelorum cum suis principibus inter se depugnantes. Licet enim unus angelus apparuerit Danieli; tamen non dubium est, cum utpote principé, suos habuisse ascleas, squalque copias. idque fatis innuit vox eorum; hæc enim erat vox multitudinis, ut dicitur v. 6. Hoc enim cap. narrantur prælia angelorum, sequenti verò prælia hominum.

VERS. 3. *Lvgebam*] eò quod viderem multos Iudæos seruitutem libertati præferentes malle in Chaldaea maneré, quām in patriam redire, inquit Theod. Secundò & genuinè, *lugebam*, eò quod ob peccata populi vrbs Ierusalem esset desolata, & templi fabrica à Cyro concessa, per Iudæorum hostes & dolos impediretur, neque possem apud Cyrū hac de re agere, nouumque edictū ad continuandam fabricam impetrare; eò quod Cyrus ad bellum Scythicum, in quo & hoc eodem anno perijt, profectus erat: & Cambyses eius filius, qui regnum absente Cyro administrabat, Iudæos non amabat, ut patet Esdræ 4. v. 6. & 7. Luget ergo & flet hic Daniel per tres septimanas pro salute populi, quam ut vir desideriorum vincere exoptabat. Nam, ut ait S. Aug. 20. Ciuit. 17. *Quanto quis est sanctior, & sancti desiderij plenior, tanto est eius in orando fletus uberior.* Dum ergo orat, lacrymatur Daniel, quia cor quasi liquefactum per oculos & lacrymas Deo effundit, Deo que vim quasi affert, eiusque pietatis viscera commouet. Violentæ enim sunt piorum preces lacrymis armatae & ieiunijs. Est hysterologia, hic enim v. 2. & 3. præponendi sunt versui primo: illa enim visio v. 1. contigit post ieiunium Danielis, explicaturque v. 4. & sequent.

PANEM DESIDERABILEM] Id est, patiem deliciatum, regium, candidū non comedī, sed cibariū, atrum & filigineum. ita S. Hieron. Notat S. Chrys. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura, Daniel per abstinentiam meruisse celebrem illam visionem, & retuelationem angeli, quæ hoc cap. & duobus sequentibus enarratur; cum per ieiunium, inquit, mens eius facta esset leuior & spiritualior.

CARO ET VINUM NON INTROIERUNT IN OS MEVM] Nota hic Danielum in ieiunio usum fuisse delectu ciborum, & abstinuisse carne & vino: cur ergo Nouantes hunc delectum taxant? præsertim cum veteres Christiani eum adhibuerint, usque sint xerophagia, id est cibis aridis, vti testantur Tertull. Cyprian. Basili. & alij. Idque faciebant tridici de caula, Primò ad poenitentiam: sicut enim potus, quia liquidus & subtilis, ac penetrans intima, intimis singulas corporis partes afficit & recreat: ita abstinere à potu, & à liquidis, usque aridis, maior est poenitentia, quām usque liquidis, & abstinere aridis. Sic sitis magis affligit hominem quām famæ; ac proinde facilius est elurienti abstinere à cibo, quām stienti abstinere à potu. Secundò ad castitatem: cibi enim aridi arefaciunt corpus, & humorem venereum consumunt. Tertiò, ad sapientiam, studium & orationem: qui enim liquidis abstinet, caret vaporibus & fumis, qui caput, rationem & iudicium offuscant, obscurant & hebetant. Hinc vetus dictum: *Animæ secca est sapientissima.* Huc spectat illud S. Bernardi serm. 4. de Cornel. in Danielém.

A Quadragesima: ieiunium gratiam promeretur orandi, qua scilicet grātē Deo oretur, ideoq; impetratur, in quo cōsistit tota orationis vis & felicitas. S. Chrysost. orat. i. contra Iudæos, putat Danielē hīc omni omnino carnē & cibō abstinuisse, ac proinde nocte comedisse phase, quod tamen lege præceptū erat: hæc enim contigerunt mense primo die 14. (vt patet v. 3. & 4.) quando comedendum erat phase. Hæc sententia vera est: quia Iudæi in Babylone non celebratunt phase: illud enim celebrandum erat Hierosolymæ, iuxta legem Deuter. 16. 6.

B SED NEQVE VNGVENTO VNCTVS SVI] Orientales vtebantur vnguentis & balneis, sed ieiunantes & poenitentes ijs quasi delicis abstinebant hinc monet Iudæos Christus, ut, cū ieiunant, vngant caput suum, ne videantur hominibus ieiunare, Matth. 6. 16. Sic Magdalena Christum in conuicio vnxit, Luc. 7. 46. Huius vñctiōis originem vide apud Plinii lib. 13.

TIGRIS] Dicitus est Tigris à tigre fera, eò quod Tigris id est quod ja- eius celeritatem in fluxu imitetur. ita aliqui. Ve- gittæ, na- rūm Q. Curtius, & Plinius lib. 6. c. 7. afferunt Ti- grim esse vocem Medorum, & significare sagittā; celereitatem, eò quod Tigris fluuius in suo cursu celeritatem sagittæ videatur penè adæquare.

5. Et leuavi oculos meos, & vidi: & ecce vir unus vestitus lineis, & tenes eius accincti auro obrido:

6. & corpus eius quasi chrysolithus & facies eius velut species fulguris, & oculi eius ut lampas ardens: & brachia eius, & quæ deorsum sunt usque ad pedes, quasi species æris candentis: & vox sermonum eius ut vox multitudinis.

7. Vidi autem ego Daniel solus visionem: porro viri, qui erant mecum, non viderunt: sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.

8. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emacui, nec habui quidquam virium.

9. Et audui vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meā, & vultus meus hærebat tetræ.

10. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.

11. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens.

12. Et ait ad me: Noli mettere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti eorū tuū ad intelligendum ut te affligentes in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua; & ego veni propter sermones tuos.

VERS. 5. Ecce vir unus specie viri. Notant Primò, Theod. Carthus. & Pererius, angelum hunc fuisse eundem qui c. 8. & 9. apparuit Daniell,

scilicet Gabrielem. S. Greg. autem l. 17. Moral. c. 8. & Cassian. collat. 8. c. 13. suspicantur angelum hunc peculiarem habuisse curam Hebræorum, qui in Babylonie erant captiui. Notat Anton. Fernand. visione 26. sect. 1. tres angelos destinatos à Deo ad custodiam Hebræorum: Primum Michaelem, qui illorum erat custos, quatenus ipsi erant populus & Ecclesia Dei: huius enim olim, & etiam nūm præses est Michael. Secundum, angelum peculiarem, qui Hebræos, ut gens quædam erat, sicut cæteræ per orbem sparsæ, custodiebat: omniū enim communis opinio est, cuilibet regno vnum præesse angelum. Tertium Gabrielem, cui speciale curam Hebræorum captiuorum mandarat Deus. Aptè autem vocatur Gabriel, id est *virtus Dei*, vel *Deus fortis*; ac specie, non iuuenis alati, vt aliás, sed viri fortis apparuit: quia eius visio spectabat, vt Daniel agnosceret Dei virtutem ac robur, cuius eximia do-

Ex Daniele.

1. Leuat oculos Daniel, & ecce vir vñus
2. Vestitus linceis, seu byssina;
3. Renes eius accincti auro obrizo,
4. Oculi ei vt lampas ardens,
5. Brachia eius, & quæ deorsum usque ad pedes, quasi species æris carentis,
6. Vox sermonum eius vt vox multitudinis,
7. Facies eius velut species fulguris.
8. Consternatur Daniel, & vultus eius hæret in terra;
9. Tangitur manu, & erigitur super genua, & super articulos manuum.

Plura vide apud Alcazar in Apocal. i. v. 18. notat. 17. pag. 244. & sequent.

Secundo, Linea vestis significat Machabæorum sacerdotium & labores.

Hinc nota Secundò. Linea vestis significat angelorum puritatem & innocentiam; item sacerdotium & religionem Machabæorum: Tertiò, labores & ærumnas, quibus ipsi pro ea instar lini carminati & probati fuerunt: hæc enim prædicet angelus cap. 11. ideoque eadem suo habitu repræsentat. Porro hæc linea vestis fuit tenuis admodum & subtilis, vt sunt telæ Cameracenses pretiosæ (quæ veterum fuit byssus) nam Daniel per hanc vestem introspexit ipsum angelii corpus, viditque simile esse chrysolitho.

Tertiò, Zona aurea significat charitatem, bella & regnum Machab.

Nota Tertiò. Zona angeli erat ex auro obrizo, hebr. *ophaz*, de quo dixi Ierem. 10. 9. Fuit ergo accinctus, quasi promptus, expeditus, & armatus ad bellum: nuntiat enim cap. seq. bella in quibus ipse Machabæos, aliosque fideles adiuturus erat. Ex aduerso molles, inermes & desides apud veteres vocabantur discincti. Hinc proverbiū: Ne glorieatur accinctus æquè vt discinctus, q. d. Ne canat dux, vel miles epiniciū ante victoriam, & vt clarè Chald. vertit, ne laudet se expeditus, & descendens in prælium (hic enim est accinctus) sicut vir qui vincit, & ascendit ex eo: hic enim bello confecto arma ponit, seque discingit. Quod usurpat rex Israel contra superbum & insolentem Benadad regem Syriæ, 3. Reg. 20. 11. Porro zona aurea symbolum est charitatis: hæc enim est, quæ angelum promptum & expeditum faciebat, impellebatque ad pugnandum pro populo Dei: illum ergo quasi zona militari accinxerat. Mysticè, significatur quod charitas cæteras virtutes, sicut zona vestes, stringat & complectatur, eisque emineat quasi omnium corona & complexio. Secundò, zona aurea significat charitatem Dei, quæ renes, id est omnem concupiscentiam, delectationem & amorem, succingit, atque in

A cumenta Deus ipse erat editurus in populi sūt liberatione per Machabæos, iuxta illud psalm. 67. Mirabilis Deus in sanctis suis, ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi sue. Pro quo Aduerte. Angelus hic *Gabriell* nouam & mirè augustani habet formam; quia *augustina* nuntiare Machabæorum victorias, atque *gloriæ formata* gniscait *victoriæ Machabæorum* *Christi* & *Christianorum*, quas Christiani adepturi erant de *Christianorum* idolatrias, alijsque infidelibus, Ecclesiæ perseverantibus. Vnde S. Ioannes Apoc. 1. v. 13. Christum vidit simili specie & ornatu, qualis fuit hic Danielis, qui sua & suorum Christianorum patientiæ bella & triumphos ei prædictit.

B Porro etiā alia fuerit visio Ioannis, alia Danielis, tamen in multis hæc illi fuit persimilis, vt patet ex hisce vtriusque parallelis.

Ex Apocalypsi.

1. Conuertitur Ioannes, & videt similem filio hominis,
2. Vestitum podere,
3. Præcinctum ad mamillas zona aurea,
4. Oculi eius tamquam flamma ignis,
5. Pedes eius similes aurichalco sicut in camino ardenti,
6. Vox illi tamquam vox aquarum multarum,
7. Facies eius sicut sol lucet in virtute sua.
8. Cadit Ioannes tamquam mortuus;
9. Imponitur super eum dextera, & mirificè confirmatur.

D Deum trahit. Rursum mysticè significat homines, qui hac charitate Dei circumcincti, carnis mundique amorem & concupiscentiam frænant, dignos esse angelorum consortio, colloquio & consolatione. Tertiò, zona est custodia sui & aliorum iugis, stabilis, eademque semper recurrens, inquit S. Dionys. cap. 15. Cæl. hierarch. Quartò, zona aurea significat regale sacerdotium Machabæorum, qui contra Antiochum; & Christianorum, qui contra Antichristum, quasi milites Dei & Christi, fortissime depugnabunt. Baltheus enim aureus olim fuit insigne regum: & Machabæi non tantum sacerdotes fuerunt, sed & principes ac reges. Tales quoque mysticè sunt omnes Christiani, auro charitatis quasi gladio inuicto succincti: hos enim, vt dixi, representat hic angelus. Ita S. Stephanus charitatem pro armis habebat, & per ipsam ubique vincebat. Per charitatem Dei, scuientibus Iudeis non cessit: per charitatem proximi, pro lapidantibus intercessit: charitatis virtute subinxus, vicit Saulum crudeliter scuientem: & quem habebat in terra persecutorem, in celo meruit habere consortem, ait S. Fulgent. serm. de S. Stephano.

Quartò, corpus eius erat quasi chrysolithus, id est aureus lapis: gemma enim hæc aureo colore translucet, eoque ita ardente, vt aurum cum eo collatum albicare videatur, ait Plinius libr. 37. 9. Hinc chrysolithi nomine subinde comprehenduntur topazij & hyacinthi, qui & ipsi aureo sunt colore. Anselmus Boëtius insignis gemmarius Rudolphi II. Imper. li. 2. de Gemmis cap. 65. Chrysolithus, inquit, est nature solaris, cuius speciem aureo suo colore refert. Hinc chrysolitho in Rationali pontificis insculpta erat Ephraim, vtpote aurea, id est regia, tribus regni Israel. Chrysolithus ergo hic significat angelorum naturam præcellentem, cælestem

lestem & spiritalem, quæ alijs creaturis eminet, vt si sol astris, aurum metallis. Adhæc, licet Alcazar in Apocal. 21. 20. censcat chrysolithum non alium quam aureum habere colorē, verius tamen est cum habere aureum cum marino permistum, inde enim hebr. vocatur *Tharsis*, id est marinus. Vnde Isidorus, *Chrysolythus*, ait, *auro simili est cum mari* colorū similitudine: quia enim in eo aureus color non opacatur, sed pellucet, idcirco quasi vitreus est & marinus, eoque resert cælestem Ierusalē, de qua ait S. Ioannes Apoc. 21. v. 18. *Ipsa ciuitas aurum mundum simile vitro mundo:* & v. 21. *Platea ciuitatis aurum mundum, tamquam vitrum pellucidum.* Quocirca opinantur multi chrysolithū esse illum, qui vulgo à gemmarijs vocatur chrysolica, cuius color est viridis dilutus, quique multis angulis laevigari ac poliri solet, vt excitatus fulgeat. Verum in chrysolica vix apparet color aureus. Adde, viridis color non est marinus. Quocirca Anselm. Boëtius loco citato, *Chrysolithus*, inquit, *aureum habet colorem, & aquam reubarbaro vel croco tintam resert.* Orientales purissimi auri instar rutilant: Europei crystallū instar molles cum aereo colore, vel multum, vel parum nigricant. Inter hos nonnulli parum flauedenis habent, vt, nisi nigredine à crystallis distinguerentur, ab ijs seceri non possent. Chrysolithus ergo translucens & maritus congruit Gabrieли, qui lucem suam transfundere, & illuminare venerat Danielem. Plin. l. 37. c. 9. asserit chrysolithum esse optimum, qui in collatione aurum albicare quadam argenti facie cogit. Sic Gabriel aurum, id est sapientia, argento, id est sermone sonoro, puro & sincero, albicanem, Danieli communicat. Quare Hugo Victorin. & ex eo Perer. & Fernand. vil. 26. *Chrysolithus*, inquit, fulget quasi aurum, & emitit ex se scintillas ardentes: quocirca significantur hoc lapide illi, qui intelligunt diuinam Scripturam, & id quod intelligunt, alijs demonstrant opere & sermone; & quasi scintillas boni operis & verbi iactant ex se, quibus alijs illuminantur & ascenduntur.

Quare, chrysolitus & gloria & triumphus Machab. Porro Boëtius, Rueus, & alijs gemmarij chrysolithos dant virtutes: valet, inquiunt, contra asthema, & pectoris angustias, ac contra pusillanimitatem, melancholiā, molestias & timores nocturnos, yti se expertum scribit Rueus, Cardanus, & ex eo Boëtius c. 66. Addit Abulensi in Exodi 28. v. 20. valere eum contra dæmones: quia scilicet valet contra melancholiā, per quam homines vexare & tentare solent dæmones. Chrysolithus ergo hic notat Gabrielem, qui à Machabæis & Christianis depellit metum Antiochi, & Antichristi, ac dæmonum, eosque animat & corroborat, vt omnia dura amore Dei fortiter superent. In Machabæis vero & Christianis notat eorum iniunctam constantiam & virtutem in tot aduersis resplendentē. Chrysolithus enim eius est naturæ, vt eum lux celet, prodat obscurum. Hec enim in illo est diuersitas, vt nocte igneus sit, die pallidus, inquit Solinus Poliphist. c. 33. Isidor. & Abulensi. Sic de chrysolampi scribit Plinius lib. 37. c. 10. *Chrysolampis in Aethiopia nascitur pallidi coloris die, noctu igni.* Quocirca chrysolithus notat poenitentes (est enim marini coloris: vnde lacrymas poenitentium repræsentat) æquè ac patientes, qui Christi amore ardentes omnia aduersa generose superant, & fulgent quasi aurum in fornace. Hinc Apoc. 21. 20. chrysolithus notat S. Matthæum Apost. & Euangel. qui sua poenitentia & Euangeliū quasi ignea fax noctem huius saeculi & Ecclesiæ illuminavit. Ita hīc Machabæis & fidelibus in per-

Cornel. in Danielum.

secutione positis, significat immortale decus & cælestem gloriam, quam sua tolerantia & fortitudine adipiscuntur. Audi Mathathiam 1. Machab. 2. 64. *Vos ergo filii confortamini, & viriliter agite in lege, quia in ipsa glorioſi eritis: & 1. Machab. 5. 63. Viri tuta magnificati sunt valde in conspectu omnis Israel, & Gentium omnium.* Maldon. per chrysolithum accipit crystal- lum, qui cælesti albanticū colore est. Verum Hebræum Θάρση tharsis, non crystallum, sed chrysolithum propriæ dictum significat.

Quintō, erat Gabriel facie fulgurante. *Quintus,* facies fulgurantis significat Primō, gloriam angelorum, quæ diuinæ cognoscuntur. Secundō, zelum, terror, rem & iram eorum contra impios, hostesque Dei, violentum. Idem significat in Machabæis, alijsque fidelibus in hostes. Dei militibus, qui instar fulguris in tenebris idolatriæ & peccatorum emicuerunt, hostesque fidei zelo suo afflarent & prostrauerūt. Denique fulgur notat gloriam resurrectionis, quam c. 12. Gabriel Machabæis & fidelibus viriliter pro Deo certantibus proponit & promittit: corpora enim Christi & Sanctorum in resurrectione coruscabunt ut fulgura. Vnde & de angelo qui Christi resurrectionē annuntiavit & repræsentauit, dicitur Matth. 28. 3. *Erat autem aspectus eius sicut fulgur.* Sic & hic Gabriel facie fulgurabat; id est, inquit Théod. splendor illuminans & coruscans à facie eius emanabit: sicut enim fulguris est scintillare, ita è vultu Gabrieli ita illustrato, emicabant radij quaquaversum. Hæc tria facie fulguratae repræsentat angelus, sed præcertim secundum. Fulgur enim est symbolū bellī acris & celeris, ac bellatorum actuum & ardentium. fulgur enim iungitur cum tonitru, ex eoque quasi flamma erumpit. Atidi Plinii l. 2. c. 43. *Si in nube liqueatur flatus, aut vapor, tonitrua edī: si cæmpat ardens, fulmina: si longiore tractu nitatur, fulgetrashi findi nubem, illa perrumpi.* Ibidem c. 54. Fulgurum prius certi quā tonitritum audiri (cum simul fiant) certum est. Nec mirum, quoniam lux sonitu velutior. Rursus, fulmen omnia sternit, & Iupiter, ait Virgil. 1. Georg. disiecit fulmine montes. Hinc trifulca fulmina, ac fulminantes acies & aquile. Sicut ergo dixit Poëta, *Duo fulmina bellī Scipio* & putat Cn. & P. Scipiones: ita fuere duo fulmina bellī Machathia, putat Iudas & Ionathas, filij Mathathiae. Ita & Ioanties & Iacobus à Christo vocati fuere Boanerges, id est, filij tonitrui, hoc est tonantes & fulminantes. Hac de causa angeli optimè depinguntur quasi fulgura & corpore fulgureo: nil enim eos ita nobis repræsentat ut fulgur.

Sextō, oculi Gabrieli erat ut lampas ardens. *Sexto, oculi & Sept. ut lampades ignis.* Hi significant claritatem intellectus angelici, tum naturalem, tum beatissimam, putat lumen gloriæ, ex quo oritur summus genitrix Dei visi amor & fruitio. In Machabæis vero hic oculi significant prudentiam, industriam, vigiliam, quæ in bellis plurimum valet, dux enim belli callidior, quam fortior sit oportet, inquit Vegetius. Sed utrumque habent & indicant oculi fulgurantes, scilicet & calliditatē & acrimoniam prægnandi, percellendiisque hostes.

Ita legimus in Vita S. Francisci viduæ Romanæ *Mira S.* (c. 4.) quæ mira sanctitate Romæ vixit, & vitam *Franciscus* angelicā simili morte conclusit an. Domini 1440. *cum angelis* atque à S. D. N. Paulo V. Pont. in Sanctorū catafætum relata est quod ipsa continuò cernebat angelum suum, quasi iuuenem elegantissimum, acribus oculis, & vultu in cælum semper suspiciente;

ac manibus in formam crucis ad pectus cancellatis (vnde & tali figura angelus appingitur eius imaginis) facie ita coruscante, ut ipsa vix in eam intendere posset, ita vt in hoc eius lumine sine candela noctu per domum ambularet, recitaret diuinum Officium, aliaque exercitia sua perageret. Si ipsa morbo laborabat, aut a dæmonibus verberabatur, vel terribilibus spectris percellebatur, vel quasi ab angelo lucis tentabatur; angelus dabat ei signum mouendo crines suos, iisque spargendo magnam lucem, ex qua illa miram accipiebat consolationem, illuminationem & robur, ita vt dæmones confusi abscederent. Quod si quid ipsa verbo, opere aut cogitatione peccasset, subducebat se, & disparebat angelus: vnde ipsa portentis culpam indagabat, eamque agnitam lacrymis abluebat, itaque angelus rursum ei suam presentiam exhibebat. Quocirca hic angelus erat Primo, quasi eius prædagogus, eam in omnibus actionibus dirigens. Deinde erat ei instat scuti ad repellendas omnes temptationes & scrupulos: quibus quadam vice grauiter cruciata inter orandum, aspiciens angelum lætam & serenam frontem exporrigente, itaque re ipsa dicente, istas diaboli suggestiones esse res leues & nullius momenti, adeo mox mente serenata fuit, ut nullam deinceps senserit anxietatem. Tertiò, erat ei socius orationis, omnisque gustus & consolationis spiritualis: quocirca colloquens cum angelo, tantam ex eius cælesti voce percipiebat dulcedinem, ut omnis humana vox & harmonia ei aspera & absonta videretur, atque cum sponsa diceret: Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Quartò, hic angelus mirum afflabat ei spiritum: vnde meditans de hac angelica specie, loquebatur cum incredibili efficacia de virtutibus omnibus, maximè de innocentia & puritate, qua præ hominibus cernebat pollere angelum. Eadem postea Religionem instituens, superiorem habuit angelum ex quarto ordine, maiori fulgore coruscantem, vti habetur c. 15. Vitæ eiusdem. Hinc S. Basil. virginis exhortatur vt in cubiculis, in lecto, in mensa, &c. decorè se gerant, quia habent spectatorem angelum oculatissimum.

Septimò, brachia significant fortitudinem actionis, quæ est in angelis: crura & pedes significat motus celeritatem. ita S. Dionys. suprà. Porro hæc erant ex ære candente sive albidente, id est, vt Hebr. polito & terso, id eoque fulgentes, vt vertunt Septuag. ob fortitudinem, quam perpetuò exacuant angelii, quaque nulli cedunt, sed subito omnia frangere & cōterere possunt. In Machabæis vero, & fidelibus, hæc significant tum fortitudinis, tum armorum splendorem, quantamq; per ea cædem facturi sint. Machabæi enim in hostes irruerunt acerrimè, perinde ac si brachia & crura habuissent ænea. Plura de ære candenti dixi Ezech. i. in fine cap.

Ottavo, vox sermonum eius erat vt vox multitudinis, id est, magna & confusa, q.d. Visus tibi essem illum angelū audiens, audire multam hominū inter se colloquienti turbam; talis erat eius vox, quæ essem solet multitudinis, & aquarum murmur: huic enim comparari solet vox Dei & angelorum, vt patet Ezech. i. 24. Apoc. i. v. 15. & alibi. Ratio erat Prima, quia angelus hic non erat solus, sed veniebat comitatus multis angelis sui ordinis; erat enim princeps. Secunda, quia hæc magna vox significabat copiam scientiæ, & docendi & illuminandi vim, quam habent angelii. ita Theod. In Machabæis hec

A vox significabat eorum exercitus & phalanges.

TERROR NIMIVS IRRVIT SVPER EOS] Quia VERS. 7 licet angelum non viderent, eius tamen vocem & strepitum, aut certè lumen mirabile, & quasi fulgorans persentiscebāt. Simile cōtigit locis S. Pauli, cùm ipse videt Christū Actor. 22. 9. Causa, cur solus Daniel viderit angelum, non locis, non sicut *αστρα*, qua socios percussit angelus, vti percussit Sodomitas Gen. 19. 17. sed quod angeli in corpore assumpto, æquè ac homines beati, species visuas sui corporis gloriose habeant in potestate, facientes ut ad libitum corpus sui speciem emittat in oculum unius, v.g. Danielis, non in aliorum ei astantes. Ita docent Scholastici in 4. dist. 4. 8. & sequ.

B EMARCVI] clangui: olim enim in lege veteri, VERS. 8, quæ erat timoris & terroris, Deus per angelum se hominibus, etiam Sanctis & Prophetis, augustum & terribilem exhibebat, vti dixi Deuter. 4. 33. Scilicet facit in lege noua, quæ est lex amoris.

Mysticè, emarcui; quia, vt ait S. Gregor. lib. 3. Dialog. 24. Caro, ea quæ sunt spiritus capere non valet, & idcirco cùm mens humana ultra se ad videndum dicitur, necesse est vt hoc carneum vesculum, quod ferre talenti pondus non valet, infirmetur. Rursum mens humana dum in Deum concordit, eius fortitudinem conspicit, itaque eius quasi desiderio absorbetur & liquatur.

C ET SVPER ARTICVLOS] Hebr. super psalmas manus, q.d. Angelus me collabentem crexit, atque genibus & manibus niti fecit, vt surgerem.

Nota hic. Angeli boni primò terrunt, deinde cōsolantur suos, eosque corroborant, itaq; sensim & gradatim eos à terrenis ad cælestia abducunt. Vnde S. Greg. l. 22. Moral. c. 14. aut iuxta aliam editionem 22. docet quod Daniel hic primò prostratus, secundò erectus, tertio tremens, in semetipso nobis omnem ordinem nostrum profectus innescit. Verba enim Dei in terra iacentes audiuiimus, cùm in peccatis positi, terrenæ pollutioni coniuncti, sanctorum voce spiritualia precepta cognoscimus. Ad quæ precepta, quasi super genua & super manuū nostrarum articulos erigimur, quia à terrenis contagijs recedentes, quasi iam ab infimis ventrem levamus. Ad extremum vero voce Dominica recti quidem, sed tremetes assustim, cùm à terrenis desiderijs perfectè subleuati, verba Dei quo pleniū cognoscimus, plus timemus. Subdit paulò pôst: Vbi apie diuina voce subiungitur: Noli metuere: quia cùm plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur quod amemus, vt timor transeat in charitatem.

D STA IN GRADV TWO] sta rectus, vti stabas VERS. 11. ante visionem, in qua percussus corruisti.

POSVISTI COR TVVM, adiecisti animum, vt VERS. 12. TE AFFLIGERES] per ieunia, preces & gemitus. Nam tu affligeres referendū est ad posuisti, q.d. Posuisti cor tuū vt te affligeres, & per istam afflictionem impetrares intelligentiam, quia cognosceres an & quando ista impedimenta fabricæ templi, & plenæ Iudæorum libertati, ab hostibus obiecta, ob quæ luxisti, & te afflixisti vers. 2. disjicenda forent. Ecce enim ego à Deo ad te missus sum, vt tibi significant exauditas esse preces tuas; ac proinde breui, vti postulasti, templum reædificandum esse, nimur post Cambysesem, qui septem tantum annis regnabit, sub initiu regni Darij Hyrcanis, tuncque multos Iudæorum è Babylone eò conuolaturos. Rursum Artaxerxe anno septimo regni missurum Esdram, & anno vigesimo missurum Nehemiah,

Septimò, brachia & crura ænea significant fortitudinem & armorum splendorem.

Ottavo, vox multitudinis, significans exercitū & phalanges tam angelorum quam Machab.

miam, qui reliquos in Babylone Iudæos secum abducant in Ierusalæm, ciuiisque muros & domos reædificant & perficiant: id enim re ipsa præstabat Nehemias. Verisimile est hæc, vel horum partem, Gabrielem reuelasse Danieli, etiamsi id ipse hæc non enarrat, quia ad alia festinat.

Nota hæc rursum. Ieiunio & maceratione corporis, atque precibus impetrarunt Sancti à Deo intelligentiam, imò prophetiam. Ita S. Thom. ieiunio impetrabat explicationē locorum difficultū S. Script. Vnde S. Greg. 30. Mor. 9. vel iuxta aliā editionē 18. Daniel, inquit, delicijs abstinuit, vt tanto audiū gustū sapientie intus acciperet, quanto saporem carnis pro eadem sapientia foris robustius repressisset. Si enim à carne hoc quod libet abscedimus, mos in spiritu quod delectet, inuenimus. Intentioni quippe anime, si exterior enagatio clauditur, interior secessus aperitur. Nam quod extra se spargi propter disciplinam mens non potest, & super se tendere per profectum potest: quia & in altum crescere arbor cogitur, quod per ramos diffundi prohibetur; & cum riuos fontis obstruimus, fluenta surgere ad superiora prouocamus. Atque hos censet à S. Iob vocari ibices, quæ in petris foetus ponunt c. 39. 1.

PROPTER SERMONES Tvos] propter preces tuas iam exauditas à Deo.

13. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti & uno diebus: & ecce Michael unus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta regem Persarum.

14. Veni autem vt docerem te quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus, quoniam adhuc visio in dies.

15. Cumque loqueretur mihi huiuscemodi verbis, deieci vultum meum ad terram, & tacui.

16. Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea: & aperiens meum locutus sum, & dixi ad eum, qui stabat contra me: Domine mi in visione tua disolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.

17. Et quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur.

PRINCEPS AVTEM REGNI PERSARVM] No-
ta tò autem: occurrit enim angelus tacitæ obiectio-
ni, q.d. Dices mihi, ô Daniel, Si oratio mea die
primo fuit exaudita, vt dixisti v. 12. cur ergo ilicò
ad me non aduenisti? cur expectasti tres septima-
nas, vt dicitur v. 2. putà 21. dies, vt dicitur hoc ver-
su? Respondeo, me tot diebus fuisse impeditum,
quia restiti principi Persarum, qui contrarijs preci-
bus & rationibus tua postulata, si non in totum,
certè ex parte euertere conabatur.

Quæres, Quisnam fuit hic princeps Persarum? Respondent Iudæi & hæretici fuisse Cyri filium Cambyssem, Iudæis infensum, aut principes eius, qui templi restaurationē apud eum impediebant: hi enim Iudæis, & consequenter angelo protecto-
ri Iudæorum resistebant.

Secundò, Rupert. & Cassian, collat. 8. c. 13. pu-

A tant fuisse malum angelum, siue dæmonem: hic fuisse dæmo-
enim pugnat cum angelo bono. Idem sentit Pro-
sper in Dimidio temp. c. 4. vbi docet hoc prælium
idem esse cum prælio draconis contra Michaelem
Apocal. 12. v. 7. Sicut enim cuilibet homini à natu-
ritate, assignatur à Deo angelus bonus ad custo-
diam; ita eidem à Luciferō assignatur angelus ma-
lus ad temptationem: & sicut cuilibet regno assigna-
tur à Deo angelus bonus ad tutelam, quasi præ-
ses; ita à Luciferō eidem assignatur angelus malus
præses, qui regni statum turbet & euertat. Dæmon
ergo assignatus præses Iudæis à Luciferō, vocatur
hīc princeps Persarum, qui ex odio Dei yaldè ob-
sistebat, ne Iudæi, vtpote populus Dei, è captiu-
tate liberarentur. Hoc autem faciebat quatuor
modis. Primò, instigando & inducendo Iudæos
ad grauia crimina; vt liberatione indignos se red-
derent. Secundò, sugerendo Iudæis amorem Ba-
byloniæ, ob libertatem & rerum copiam; odium
verò Iudææ, quasi sterili & planè vastata. Tertiò,
persuadendo Cyro & Cambyssem, id quod olim su-
serat Pharaoni Exodi 1. scilicet Iudæos regno esse
viles, ac proinde retinendos. Quartò, allegando
apud Deum scelerâ Iudæorum, quæ necdum fatis
captiuitate vindicata & expiata erant. ita Rupert.
lib. 9. de Victoria verbi Dei c. 6.

Verū dico, hunc angelum fuisse bonum, qui Tertia &
à Deo præfetus fuit datuſque custos regno Per-
vera, fuisse
sarfum. Sic enim Deus cuique genti & regno suum angelum
præficit angelum, vti docent S. Basilius lib. 3. con-
tra Eunomium, Clemens Rom. S. Dionys. Grego-
rius Nazianz. & alij, quos citat Ludouicus Molina
1. p. qu. 113, in fine, idque patet hīc ex angelo
Græcorum, qui nominatur v. 20. Et ita intelligent

C Patres illud Deuter 32. 8. iuxta Septuag. Constituit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei. Confirmatur Primò, ex eo quod statim subdit: Ec-
ce Michael unus de principibus primis, venit in adiuto-
rium meum; vbi cùm Michaelem unum de princi-
pibus vocet, innuit se aliquem alium angelum bo-
num, principem regni Persarum appellare. Secun-
dò, ex v. 21. vbi ait: Nemo adiutor meus est in omnibus
his, nisi Michael princeps vester. hīc enim opponit
principem Iudæorum principi Persarum, quasi an-
gelum angelō.

Hæc est sententia S. Hieron. (qui tamen etiam Tertiò.
contrariam sententiam refert, sed vt alienam, non
vt suam, more suo) Theodor. S. Gregor. 17. Moral.
c. 7. S. Thomæ 1. p. q. 113. art. 7. Lyrani, Cathus. Pe-
terij, Fernandij, & aliorum.

Notat Molina 1. p. q. 108. angelus infimæ hic-
D rarchiæ esse tutclares gentium, ac hominum; scili-
-præfuns re-
-gnis, Ar-
-changeli
-provincijs,
-Angelis ho-
-minibus.

RESTITIT MIHI] Dices, Ergone inter se pu-
gnant angeli, & quomodo angelus princeps Per-
sarfum restitit Gabrieli? Respondet Maldon. hos lis.
duos angelorum principes apud regem Persarum,
putà Cambyssem, inter se pugnasse, dum contraria
illi pro sua quisque gente & prouincia suggestere &
persuadere nitebantur. Ideo enim ait: Ego remansi
ibi iuxta regem Persarum.

Secundò & potius, hæc pugna angelorum a-
Secundò,
pud Deum peracta est: adierunt enim ipsi ipsum
fontem, putà Deum, ex quo tam animum regis
Persarum, quam Iudæorum libertatem & captiui-

tatem pendere sciebant, atque coram eo disceptabant. Licet enim angeli summa charitate se inuicem amarent, sicutque summè concordes (quod enim dicitur Iob 25.2. *Qui facit concordiam in sublimibus : &c.* 38.37. *Concentum celi quis dormire faciet ?* de cælis & stellis, longè verius est in angelis. Omnia enim una victoria est, sibi super se creatoris voluntas summa: quam dum semper afficiunt, quod obtinere non valent, nunquam volant, ait S. Gregor. superius citatus:) tamen in quibusdam rebus, in quibus Deus necedum patet fecit suam voluntatem, sibi inuicem contraria velle possunt, non absolute & efficaciter, sed conditionatè, si videlicet Deo placuerit id, quod ipsi optant & desiderant. Itaque hæc eorum pugna conditionata est, non absoluta: absolute enim ultraque pars, licet inuicem aduersa, resignat se in voluntatem & sententiam Dei. ita Gregor. de Valentia 1. p. disp. 8. de quinto effectu gubernat, diuinæ quæst. 6. puncto 4. Sic ergo Gabriel hic pro suis Iudæis orabat Deum, ut omnes è Babylone in patriā reduceret, ne Babyloniorum idolatria & vitijs inficeretur, vt aliquos infici videbat, atque urbem & templum restaurari curaret, iuxta promissa sua; ut ibi piè, securè & quietè Deo seruissent: quod tam instanter postulauerat, & assidue postulabat Daniel, cùm templi fabricā anno primo Cyri inchoatam, sed anno secundo eiusdem propter hostes interruptam & inhibitam fuisse audisset. Addebat, Iudæos esse populum Dei, & gentem ex omnibus ab eo electam & dilectam, ex qua nascitus erat Messias. Allegabat merita Abrahæ, Isaac, Jacob, Mosis, &c. preces Ieremie, Ezechielis, Nehemiae, Iesu, & aliorum tum viventium, præfertim Danielis. E contrario angelus Persarum orabat, ut Deus aliquos Iudæos in Babylone relinqueret ad Babyloniorum & Persarum conuersionem, vtque illi à Iudæis unum verum Deum, eiusque cultum dissererent; illudque Iudæis esse vtile, vt pote qui aduersis meliores fierent. ita Theod. & S. Greg. suprà. Verum est enim illud Seneca l. 3. de Ira c. 8. *Quantum consuetudo posuit intelliges, si videris feras quoque committu nostro mansuescere, nullique immanni bestie vim suam permanere, si hominis contubernium passa est.* Tantum valet conuersatio, exempla, consuetudo; ut merito angelus Persarum, conuictum Iudæorum suis Persis tam acri bello depoposcerit. Qui Patres & alii causam addunt, scilicet principem Persarum restitisse Gabrieli & Iudæis ex zelo iustitiae; quod dicere Iudæos, qui tot à Deo beneficia acceperant, iisque malè viuendo tam ingratiti extiterant, debebant adhuc magis puniri & purgari.

Nota. Hæc pugna Gabrielis cum angelo Persa-
rum peracta est non digladiando , nec verberan-
do, sed Primo contraria volendo ; Secundò , con-
tra antagonistam disputando ; Tertiò , Michaelem,
& alios angelos ad idem contra eum aduocando
& concitando ; Quartò , Deum ardenter orando
contra vota alterius, eiusque rationes soluendo , &
finas perurgendo.

VIGINTI ET VNO DIEBUS] scilicet toto tempore trium septimanarum , quo ieiunauit Daniel v.2. Tamdiu durauit hæc pugna, non propter ipsos angelos : eorum enim actus sunt instantanei , & perficiuntur in instanti, sed Primo, vt interim acceretur Daniel ad magis orandum pro Iudæorum plena libertate ; Secundo, vt Iudei scirent pugnæ cuius & liberationis suæ difficultatem.

Moraliter, si inter angelos, immo principes an-

A gelorum, sunt dissidia , quid mitum inter homines
sanctos subinde oriuntur dissensiones, vel opinionum,
vel voluntatum , salua utramque charitate. Ita dis-
sensio orta inter Paulum & Barnabam , causa fuit
ut pluribus Gentibus prædicaretur Euangelium,
Acto. 5.39. Ita S. Paulus a S. Petro dissentit, Galat.
2.11. Ita & S. Cyprianus a S. Stephano Pontif. S.
Chrysostomus a S. Epiphanio , S. Hieronymus a
S. Augustino : quos tamen caritas una cum Deo,
& cum se se inuicem nexos vincit que iungebat.

ET ECCE MICHAEL VNVS (id est primus: sa-
pè enim Hebrai numerum cardinalem capiunt
pro ordinali) DE PRINCIPIBVS PRIMVS] q.d. Michael ex
Michael primus principium, scilicet Archangelo- quo ordine
rum. ita S.Hieron. & Theodor. vnde à S.Iuda in
sua epistola, & ab Ecclesia Michael vocatur Ar- S.Hieron.
Archango.
B changelus. videtur ergo quòd Michael sit princeps li.
ordinis Archangelorum dumtaxat. Secundò, alij Secundò,
sic exponūt, *vñus de principibvs*, id est primus in ordi- S.Thom.
ne Principatum, qui regnis præsunt: ex quo se esse ex
quitur Michaelē esse principem ultimæ hierar- Principatibus.
chiae dumtaxat. ita S.Thom. i.p.q.113. art.3. & in-
nuit S.Dionys. cap.9. Cælest. hierarc. Idem sentiunt
Ægidius Rom. in 2. dist. 10. dub. 1. Toletus in Lucæ
ca. 1.26. annot. 45. Gabriel Valsquez 1.p. disp. 244.
n. 14. vbi ait S. Michaelē esse ex Principatibus qui
toti orbi præsunt. Tertiò, multi iam valde proba- Tertiò, &
biliter censem, Michaelē tum nature, tum gratiæ & verius alij
gloriæ dignitate esse absolutè primū & principem censem tum
omniū omnino angelorū. Idque probatur Primò, esse primum
quia hac de causa Apocal. 12. 1. Michael cum Luci- inter Seraphinos,
fero, & angelis eius pugnasse dicitur, dum eius su- Probatup
perbiæ restitit, dixitque humillimè לְאַתָּה mi ca el, Primò.
quis vt Deus? Sicut ergo Lucifer dæmonum, sic Mi-
chael angelorum, pro Deo est imperator, estque
primus inter Seraphinos. Secundò, quia Ecclesia Secundò.
Michaelē vocat primatē cælestis exæcitus, præ-
positum paradisi, atque eius nomine festum om- Tertiò,
nim angelorum colit. Tertiò, quia Michael, vti o-
lim Synagogæ, ita nunc Ecclesiæ totius præses &
custos à fidelibus colitur. Hinc Ecclesia in Missa
pro defunctis vocat eum signiferum Christi. Rur-
sum, Ecclesia vocat eum præpositū animabus sus-
cipiens. Hac de causa S.Franciscus, licet singulari
amore & cultu prosequetur omnes angelos, ad-
eò vt in honorem eorum à festo Assumptionis B. Vir-
ginis quadraginta diebus iejunans orationi ingiter insiste-
ret; tamen S. Michaelē Archangelo; eò quòd aummarum
repræsentandarum habet officium, spirituali erat amore
devotior, propter feruidum quem habebat zelum ad salutem
omnium salvandorū, inquit S.Bonau. in eius Vita, c.9.

Ita anno Domini 1087. moriente S. Arnulfo Episcopo Sueffion. cella eius contremuit, eique apparuit S. Michael cum multis angelicis spiritibus, pollicens se ei fore ducem ad beatam vitam. ita habet Lisiardus in eius Vita.

Ita anno Domini 705. ægrotanti S. Wilfrido Archiep. Eboracenſi apparuit S. Michael, eiique ſan- nitate reſtituit, addens, ſe poſt quadriennium reuer- furum, tumque cum in pace tranquilla vita in ter- minaturum. ita Beda lib. 5. hiſt. Anglic. c. 20.

Ita anno Domini 922. in morte Sisifandi Episcopi Compostel. audita est vox angelorum canentium, *Veni electe Dei, & intra in gaudium Domini tui,* inquit Valæus in Chronic.

Ita S. Antonio morienti angelos occurrisse, eumque contra diaboli calumnias defendisse, testatur S. Athanasius.

*Quarto
ex Parte
bus.*

Ita S. Germani Capuani animam in cælum ab angelis ferri vidit S. Benedictus, teste S. Gregorio lib. 2. Dialog. c. 35. Idem contigisse animæ S. Radegundis reginæ docet Gregor. Turon. de Gloria Confes. c. 106. & animæ S. Hildæ Abbatissæ, docet Beda l. 4. histor. Anglic. c. 23.

Denique S. Michaelem esse principem angelorum omnium, ideoque primum inter Seraphinos, sentit S. Basilus hom. de angelis. *Tibi*, inquit, o Michael, duci supernorum spirituum, qui dignitate & honore prelatus es & ceteris omnibus spiritibus supernis, tibi in quam supplico. Et Pantaleon Diaconus apud Lipom. in hom. de S. Michael: *Primum*, inquit, locum obtinet inter mille millia, & decies mille myriades angelorum, & proxime ac circa ullam stuporem (cùm cæteri angeli ad Dei maiestatem obstupecant) canit ter sanctum & admirabilem hymnum Michael, qui est maxima & clarissima stella angelici ordinis. Idem censet B. Laurent. Iustin. serm. de S. Michael, Rupert. in c. 8. Apocal. Ambros. Cathar. in c. 1. ad Hebræos, Molina 1. p. quæst. 108. & 112. Viegas in c. 12. Apoc. Salmeron tom. 3. c. 3. Bellarm. tom. 1. controu. 3. c. 9. & alij. Vnde Ioannes Molanus Doctor Louan. lib. 3. de Pictur. & imagin. c. 39. Michael; ait, dicitur Archangelus, non quid sit de ordine Archangelorum, sed quia omnium angelorum caput & dux est. De Michael plura dicam c. 12. 1. Potro quod vir doctus scripsit, duos esse Michaeles, unum Seraphinum victorem Luciferi, alterum Archangelum custodem Ecclesiæ, nouum est & hactenus inauditum, ac sine auctoritate æquè ac necessitate assertum.

C *VENIT IN ADIVTORIUM MEVM*] Michael venit in adiutorium Gabrielis, tum quia ipse præpositus erat Hebræorum, tum quia Gabriel meliorem causam tuebatur: iam enim effluxerant 70. anni captiuitatis, quibus elapsis promiserat Deus se Iudeos Babylone liberaturum. ita S. Gregor. suprà.

*Prudentia
dogma.*

D *ET EGO REMANSI IBI IVXTA REGEM PERSARVM*] ut scilicet Cyrum, &c. Cyro ad bellum Scythicum abeunte, Cambysem eius filium flectentem, eosque Iudeis beneulos redderem. ita Rupert. Docet hic angelus, se ita causam Iudeorum apud Deum egisse, vt eamdem quoque egerit apud regem Persarum, à quo post Deum Iudeorum liberatio pendebat. Discamus & nos ita Deo niti, vt tamen humana non negligamus media, & auxilia. Hanc prudentiam docuit nos S. P. N. Ignatius, dum monuit in rebus conficiendis ita fidendum esse Deo, ac si ab ipso solo res tota penderet; ac deinde in executione ita sedulò rei incumbendum esse, omniaque humana auxilia accersenda esse, ac si ijs solis res conficienda foret.

V**E****R****S.** 14. *QVONIAM ADHVC VISIO IN DIES*] scilicet plurimos erit, q.d. Post multos annos implenda est visio sequens, quæ cap. proximo enarratur.

V**E****R****S.** 15. *DEIECI VVLTVM*] non ex metu: nam eum iam absteserat angelus, sed ex reuerentia, & ex debilitate contracta ex consernatione prioris visionis angeli, vt pote terribilis & augustæ.

V**E****R****S.** 16. *QVASI SIMILITVDI FILII HOMINIS*] Videatur hic idem fuisse angelus quem viderat Daniel, quiq[ue] cum ipso loquebatur: mox enim illi ait, *Dominus in visione tua dissolutæ sunt compages meæ*; &c., *Loquere Domine, quia confortasti me*. Angelus ergo hic primò formam & vocem tam augustam & splendidae induit, vt supra hominem esse videretur: ex ea enim perculsus Daniel elonguit, & corruit in terram. Vnde angelus altam formam, putâ vulgari

A homini similiorem, & familiarem induit, itaq[ue] comiter Danielem affatus, eum sibi restituuit. Adde, hunc angelum fuisse typum Christi hominis, eadq[ue] quoque de causa dicitur similis filio hominis.

T**E****T****I****G****I****T** *L***A****B**I****A** *M***E****A**, *E***T *A***P**E***R***I****E***N***S *O***S *M***E****V***M*] q.d. Os meum, quod antea præ reuerentia obmutuerat, angelus tangendo aperuit, vt liberè, fidenter & promptè cum eo loquerer. Sic Seraphim tetigit labia Isaiae c. 6. v. 7. Loquitur ergo Daniel, aitque.**********

E**T** *Q***U****O****M****O****D****O** *P***O****T****E****R****I****T** *S***E****R****V****S** *D***O****M****I****N***V***E****R****S.** 17. *M***E****I** *L***O****Q****U****I****V***I* *C***U****M** *D***O****M****I****N** *M***E****O**] Daniel vocat se seruum, angelum vero Dominum: erat enim augusta & terribili forma, quæ Danielem perculit & planè consernauit. Vnde subdit, *Nihil enim in me remansit virium, sed & halitus meus intercluditur*, vti fit in ingenti patiore & consernatione: Vnde Vatablus sic explicat q.d. Actum est de me, vidi angelum. Olim enim putabant Iudei se morituros, si vidissent angelum, adeò tunc apparebat terribilis. Vnde Manue pater Samsonis viso angelo ait ad vxorem: *Moriemur, quia vidimus Dominum*, Iudic. 13. v. 22. Verù sapientior erat Daniel, & iam metum ei absteserat aut temperarat Gabriel. Itaque verius est quod dixi, Gabrielem tam fulgida specie apparuisse, ac verberasse oculos Danielis, vt ille viribus penè deficeret, & animo linqueretur, vixque posset respirare. Quocircum angelus hunc splendorem moderans ait ei: *Pax tibi*. quod licet Vatabl. explicet q.d. Incolumnitas est tibi, non morieris, nihil detrimenti tibi accidet; tamen verius est, angelum imptecari pacem, id est animum, vires & robur Danieli. Subdit enim: *Confortare, & esto robustus*.

18. Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, & confortauit me.

19. & dixit: *Noli timere vir desideriorum: pax tibi: confortare, & esto robustus*. Cumque loqueretur mecum, conualui, & dixi: *Loquere Domine mihi, quia confortasti me*.

20. Et ait: *Numquid scis quare venerim ad te? & nunc reuertar ut prælier aduersum principem Persarum, cùm ego egrederer, apparuit princeps Græcorum veniens*.

21. *Vetum tamen annuntiabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: & nemus est adiutor meus in omnibus his nisi Michael princeps vester*.

T**E****T****I****G****I****T** *M***E****Q****U****A****S****I** *V***I****S****I****O** *H***O****M****I****N***I* *S*] tertiæ VERS. 18. git me angelus in specie humana apparet, & à me visus vt homo. Vide dicta v. 16.

N**Y****M****Q****V****I****D** *S***C****I****S? *jq.d. Non videris nosse cur ad V***E****R****S.** 20. *t*e venebam, sed ego tibi dicam: veni vt diccerem tibi, Primò, preces tuas esse exauditas, quoad plenū Hebreorum redditum in patriam. Secundò, quid sit populo Persico clementurum. Tertiò, quid futurum sit in fine mundi; sed reuertar citò, vt in conspectu Dei resistam angelo Persarum: nec enim minno sum securus: grauius enim certamen mihi instare vereor ex angelo Græcorum, de quo v. 20. Nihilominus priusquam abeo, & ad pugnam redeo, breuiter tibi futura nuntiabo, quæ expressa sunt in scriptura veritatis, id est in libro prædicto.**

& prædestinationis Dei, quæ verissima & certissima est, ac fallere nequit. Scriptura ergo veritatis vocatur hic Dei decretum, eò quod instar scripturæ fixum ac firmum sit, nec obliuione aut tempore mutetur. Porro hæc futura sunt tria illa paulò antè dicta, quæ angelus Danieli enarrat duobus capp. sequent. licet S. Hieron. putet ibi narrari alias visiones; sed quod dixi, videtur verius.

ET NVNC REVERTAR VT PRÆLIER, vt disputerem, & rationibus decertem ADVERSVM PRINCIPEM PERSARVM] Sic Grammatici suum habent bellum grammaticale, quo non verberibus, sed verbis inter se configunt de vocibus, & ad rauim usque decertant. Sic Philosophi sua habent prælia scholastica, dum suam sententiam hic propugnat, alter oppugnat. Sic, quod planè huic loco est simile, Aduocati apud iudicem forense agunt bellum, dum unus reum capitum ad necem adigere, alter eripere & defendere conatur. Sic Cicero se oratione & verbis præliatum assert lib. I. ad Attic. epist. II. Ego, inquit, quamdiu senatus auctoritas mihi defendenda fuit, sic acriter & vehementer præliatus sum, ut clamor concursusq; maxima cum laude mea fieret. Licet enim Gabriel v. 12. dixerit, Deum exaudisse preces Danielis, eisque annuisse; tamen verebatur, ne angelus Persarum eas contrarijs rationibus & precibus, saltem ex parte subuerteret. Festinat ergo, vt contra eum disceptet, & à Deo auditis vtriulq; rationibus, definitiua sententiam pro Daniele & Hebreis impetraret. Vnde Arabicus vertit, nunc ego revertar certare (ad certandum) cum rege Persidis.

CVM EGO EGREDERER, APPARVIT PRINCEPS GRÆCORVM VENIENS] Cassian. collat. 8. cap. 13. putat hosce principes fuisse angelos malos: vnde concludit, dæmones non tantum cum angelis bonis, sed & inter se dissidere ac configere. Legimus, ait, Græcorum quoq; principem similiter alium nuncupari, qui vtiq; fauens genti sibi subdit, tam populo Israel, quam nationi Persarum videbatur aduersus. Ex quo liquidò peruidetur, quod discordias gentium, & conflictus, ac simultates, quas inter se istis instigantibus gerunt, etiam contra se aduersæ exerceant potestates, & illarum vel vicitoria gaudent, vel diminutione crucientur: & ob hoc non possunt inter se esse concordes, dum unusquisq; pro his quibus praest, contra alterius gentis presulum inquieta semper emulatione contendit. Verum iam ostendi, omnes hosce principes fuisse angelos bonos, non malos; & certè si mali fuissent, non procurassent commoda gentis suæ, vti vult Cassian. sed eius exterminium agitassent. Flagrant enim dæmones in genti odio hominum omnium. Hunc ergo Græcorum angelum suspectum habuit angelus Danielis, timuitq; ne ipse fauaret angelo Persarum contra se & Hebreos, aut ne quasi tertius tragulam aliquam injiceret, qua retardaret aut diuerteret liberationem Hebraeorum: idèo enim maturat redditum ad prælium. Id confirmatur ex eo quod mox subiicit: Nemo est adiutor meus, nisi Michael princeps vester: ergo angelus Græcorum non erat ei adiutor. Vnde & Biblia regia, atque alia sic legunt: Cum enim egredierer, apparuit princeps Græcorū. Vbi rō enim, dat causam præcedentium, q.d. Illic reuertor; ecce enim nouum video venire mihi antagonistam; scilicet principem Græcorum. vnde & Vatablus vertit, sed princeps Græcie aduenit me egrediente.

Cur princeps Græcorum, id est Macedonum, venerit, quidque egerit aut postularit à Deo, incertum est. Non dubium est, eum Græcorum sibi

A comissorum causam egisse; ac proinde verissime est eum petiisse, vt aliqui Hebræi in Græciam mitterentur, aut Græcos in Perside & aula regis existentibus miscerentur, ibique detinerentur, vt Primis Græcos sensim vnius Dei cognitione & cultu imbuuerent; itaque ex parte restitit Gabrieli sollicitati vt omnes in Iudæam redirent, ne inter Gentes ad idola & Gentium vitia deflecterent.

Secundò, S. Hieron. putat angelum hunc Græcæ Secundæ corum restitisse angelo Persarum, eorumque tyrannidem & peccata accusasse, ac petiisse, vt Persis imperio diectis, regnum Alexandri & Macedonum succederet: quod & factum est, vt patet cap. sequenti. Verum hoc factum est post multa tempora, scilicet post ducentos annos: vnde non videatur hoc tempore angelus pro eo orasse & sollicitasse. Sed responderi potest, angelum ignorasse decretum Dei de tot annis dandis regno Persarum; aut, si illud sciuit, putasse illud non esse absolutum, sed conditionatum. nam & angelus Danielis, ei cap. sequent. v. 2. tres tantum reges Persarum numerat, qui in Perside regnaturi sint. Fortè ergo hic angelus ex hisce alijsque argumentis opinatus est, instare finem regno Persarum, petijtque illud ad Græcos transferri, tempusque accelerari, ac prōinde Hebreos non dimitti, vt Græcis mox regnantis prodeßent, vti dixi in resp. I.

Tertiò, S. Greg. 17. Moral. c. 7. putat angelū Græcæ Tertiæ corum restitisse Hebreis, eò quod Hebrei contra Græcos aliquid antè cōmisissent, eosque lassissent. Hec mera est coniectura: nā nil tale indicat Script.

Quartò, Maldon. censet angelum Græcorum, IV. impre-
æquè ac alios omnes, excepto Michaele, impedi-
uisse Iudaorum libertatem, eò quod peccata co-
rum nostrum essent expiata: maxime vero post
angelum Persarum id fecisse angelum Græcorum,
eò quod sciret regnum Persarum transferendum
ad Græcos, ideoque nollet Iudaos inde in patriam
redire, vt maior esset Græcorum præda, atque hac
de causa eum in auxilium angeli Persarum venisse.
Verum quis credat hoc de angelo bono, cuius est
tueri fideles, nec fauere tyrannidi?

Nota Deus voluit hanc angelorum pugnam fieri, vt scirent homines, quantam angelorum quisque suæ gentis prouidentiam & curam gerat.

Vide hic ergo, vt Gabriel & angeli fortiter suos Angelis suis adiuuent, & in prælijs dent victoriam. Elesbaan in bello dant rex Æthiopum cum Dunaan tyranno Homeritæ opem & vi-
rum pugnaturus, cum eius castra & fame laborarent, & ab hoste valde premerentur, supplicatione facta, & sacra communione percepta, cum lacrymis Domini inuocauit auxilium. Ipse autem eos audiuit: & statim vox quedam fuit de celo audita, quæ dicebat, Gabriel, Gabriel, Gabriel. Confidentes itaque Æthiopes cum descendissent de na-
uibus, & manus conseruissent cum hostibus, eos fuderunt, & omnes interfecerunt, etiam regem ipsum catenâ vincitum. Vide Baron. anno Christi 523. ex actis Aretæ Martyris.

Anno Domini 601. qui numeratur quintus regū Francorū Theodeberti atque Theodorici fratrū, conflatum est ciuale bellum inter eos atque Clo-
thariū filium regis Chilperici, heredem vero Gun-
theramni, magnaque facta vtrimeque cæde, cessit tandem victoria Theodeberto atque Theodori-
co, fugiente Clothario. In qua pugna, ait Aimo-
nius de Gest. Franc. l. 3. c. 87. & 88. angelus Domini adstant euaginatum visus est tenuisse gladium.

Tradit

Tradit Luitprandus lib. 2. hist. cap. 14. Wenceslaus Bohemus regem occuruisse in finibus Ducis Carineni, qui fines regni huius vastabat, eique obtulisse singulare certamen, ut multorum cedibus parceret. Vbi ventum est ad manus, angeli apparuerent, qui Wenceslaus protegentes arma ministrabant. Quo viso Dux petiit veniam, eaque obtenta discessit.

Congense regnum anno Domini 1484. Lusitanorum classibus est exploratum. Cumque Christo rex nomen dedisset vna cum multis suorum, victoriam mirabiliter de quibusdam rebellibus, vexillo crucis educto in prælium, reportauit. Ioanni nomen huic regi fuit. Eo defuncto filius natu maior Alfonsus fidem patris sequebatur, minor erat omnino alienus: quo circa in certamen acquirendi regni venerunt. Innumeri qui nondum Christum colebant, natu minorem sequebantur, & maximas copias aduersus alterum paucis stipatum militibus conficiebant. Ventum tandem ad pugnam. vix initum prælium, Christi hostes in fugam se protinus subito pauore correpti dederunt. Dux exercitus hostilis captus palam confessus est, se magnam militum copiam in equis insidentein, & crucibus insignitam, tantaque luce splendentem, ut oculos omnium perstringeret, in prælio conspexisse, eius metu perterritum cum suis se fugæ commisisse, ita Hieron. Osor. lib. 3. hist.

Beato Moysi Abbatu quodam tempore tam vehementem intulit impugnationem fornicationis dæmon, ut quietus in cella sua nequiret diutius.

A permanere. Contulit se itaque ad S. Abbatem Isidorum, ac violentiam insultus huius acerrimi magna cum animi moestitudine narravit. Cumque è Scripturis sanctis Abbas Isidorus testimonia proferens eum consolaretur, eumque ut in suam cellulam reuerteretur rogaret, isque ut id faceret, non posset induci; tunc illum Abbas Isidorus ad suæ mansiunculae superiora perduxit, eique dixit, *Respite ad Occidentem, & vide.* Vedit autem versus illam mundi plagam innumerabilem dæmonum multitudinem vehementer cum furore perturbari, & quasi ad prælium præparatos in conflictum turmatim ruere & pugnare. Dixit ei iterum Abbas Isidorus, *Respite ad Orientem.* Cumque eam in partem attentius oculos conijceret, vidit innumerabilem sanctorum angelorum frequentiam, splendentemque super lumen Solis copiam cælestium virtutum. Ait tum ei Abbas Isidorus: *Ecce quos in Occidente vidi, illi ipsi sunt, qui etiam Sanctos Dei impugnant. Quos verò versus Orientem conspexisti, hi sunt, quos in adiutorium seruus suis mittit Dominus exercituum Deus.* Cognoscere igitur, quod plures nobiscum sint quam cum illis, sicut dixit Elies Propheta, ut & S. Iohannes ait, *Quia maior est, qui in nobis est, quam qui in hoc mundo.* His auditis confortatus in Domino Abbas Moyses reuersus est ad cellulam suam, gratias agens, & glorificans Domini Iesu Christi potentiam & bonitatem. Ita habet eius Vita in Vitis Patr. Plura recenset noster d'Aurout in Catechis. cap. de Angelis.

IN SCRIPTVRA VERITATIS] Quænam hæc sit dixi v. 20. initio.

CAPUT VNDÉCIMVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Angelus prædictus Danieli bella posterorum Alexandri Magni, putè Selencidarum, regum Asia, & Ptolemaeorum regum Aegypti: ac tandem v. 21. descendit ad Antiochum Epiphænum, in quo Antichristum, eiusq; tyrannidem describit.

Vers. 1. **E**go autem ab anno primo Darij Me-
di stabam ut confortaretur, & robora-
retur.

2. Et nunc veritatem annuntiabo ti-
bi. Ecce adhuc tres reges stabunt in Per-
side, & quartus ditabitur opibus nimis
super omnes: &c, cum inualuerit diuitijs
suis, concitabit omnes aduersum regnum
Græcia.

Vers. 1. **E**go autem ab anno primo Darij
STABAM UT CONFORTARETVR] Non sunt
hæc verba Danielis, vt vult S. Hieron. sed angelus D
cum Daniele loquentis: angelus enim orationem
cap. præced. coepit hæc continuat, ut patet ex ip-
sa serie contextus, maximè ex fine cap. præced. &
ex v. 2. hæc, alijsque seqq. ita Theodor. & Hebræi.
q.d. Ego angelus qui Iudeorum sum custos, ab ini-
tio procuraui, ut regnum à Chaldaëis & Balsafare
ad Medos & Persas, putè ad Darium & Cyrusum,
transferretur. Sciebam enim eos Iudeis fore be-
nevolos magis quam Babylonios reges, quodque
ipsi Iudeos è Babylone in patriam dimitterent,
ideoque ab initio ego Darium adiuui, ut in regno
Babylonis confirmaretur & roboraretur.

Vers. 2. **E**cce adhuc tres reges stabant in

- PERSIDE] Imperitè Iudei ex hoc loco numerant
tantum quinque reges Persarum: nam, ut docent
S. Hieron. Euseb. Ioseph. Thucydides, Diodorus, *Reges Persarum* 14.
Herodotus & alij, vniuersim fuerunt 14. scilicet:
I. Cyrus, qui regnauit annos 30.
II. Cambyses filius Cyri; regnauit annos 7. &
menses 6.
III. Smerdes magus, tyrannus regnauit menses 6.
IV. Darius Hystralis regnauit annos 36.
V. Xerxes Darij filius, regnauit annos 20.
VI. Artabanus præfector, qui Xerxem occidit,
menses 7.
VII. Artaxerxes dictus Longimanus, eò quod al-
tera manus ei esset longior, filius Xerxis,
regnauit annos 40.
VIII. Xerxes secundus, tyrannus regnauit menses 2.
IX. Sogdianus, tyrannus regnauit menses 7.
X. Darius Nothus, scilicet filius Artaxerxes Longi-
mani, regnauit annos 19.
XI. Artaxerxes dictus Mnemon, à præstantia
memoriæ, regnauit annos 43.
XII. Artaxerxes Ochus regnauit annos 23.
XIII. Arses regnauit annos 4.
XIV. Darius Codomannus, qui ab Alexandro vi-
ctus est, regnauit annos 6.

Stetit ergo regnum Persarum per annos 230. li-
cet monarchia eorum tantum steterit annos 203.

Nam

Nam Cyrus anno 27. regni sui cepit Babyloniem, & Ballasarem occidit, tumque factus est monarca, tantumque per tres annos regnauit ut monarca, vti ostendi 1. Esdræ i.v.i.

Dices, Qui sunt ergo hi quatuor; quos solos post Cyrum hic numerat Daniel? Cyrum enim hic non numerat: quia Cyrus iam regnabat. Nam Cyri anno tertio hanc prophetiam ab angelo accepit Daniel, vt patet c. 10. 1. Respondeo, Sunt pri-
mi quatuor qui proxime Cyro successerunt scilicet Cambyses, Smerdes, Darius & Xerxes. Nam Xerxes est ultimus horum quatuor, qui, vt ait Daniel, fuit opulentissimus, quique bellum mouit Græcos. Præterit ergo hic angelus alios nouem re-
ges, quia, vt ait S. Hieron. spiritui propheticō non fuit curae ordinem historiæ prosequi, sed tantum ea attingere, quæ ad eius scopum pertinent. Scopus autem eius hic, describere regnum Græcorum, putat Alexandri, eiusque successorum Seleucidarum & Ptolemæorum. Transit ergo à Xerxe ad Græcos; quia cum ipsi Xerxem tam infami clade ceciderunt, tum cœperunt se erigere, atque Xerxis & Persarum opibus & regno inhiare.

Xerxes. **QVARTVS DITABITVR OPIBVS**] Hunc esse Xerxem omnes consentiunt, cuius tantæ fuerunt opes & copiae, vt flumina ab exercitu eius siccata ferantur, naues quoque decies centum millia numero habuisse dicatur, inquit Iustin. l. 2.

3. **Surget vero rex fortis, & dominabitur potestate multa: & faciet quod placuerit ei.**

4. **Et cum steterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quatuor ventos cœli: sed non in posteros eius; neque secundum potentiam illius, qua dominatus est Iacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.**

VERS. 3. **SURGET VERO REX FORTIS**] Hic est Alexander Macedo, qui in summa fuit gloria, sed breui: nam post duodecim regni annos Babylone decessit, regnumque eius diuisum fuit in quatuor, non posteros, id est filios (etsi duos moriens reliquerit: nam hos regno exclusit, doloque occidit Cæsander) sed duces eius, scilicet Aridaeum fratrem Alexandri, Seleucum, Antigonum & Ptolemaeum: atque præter hos partem imperij tenuerunt Perdicas, Craterus, Lysimachus, insuper & exteri, vt Arsaces apud Parthos; atque Macedones, aliisque Græci paulò post alios sibi reges crearunt. Angelus hic agit de Alexandro, tum quia Iudeis cum eo fuit negotium, vt patet ex Iosepho 11. Antiq. 8. tum vt ex eo quasi capite descendat ad Seleucidas, & Ptolemæos: de quibus ex professo agere intendit, vt per eos descendat ad Antiochum Epiphanem, & ad Antichristum, vt patebit v. 5.

VERS. 4. **DIVIDETVR IN QVATVOR VENTOS**] ad quatuor mundi plagas, vti ostendi c. 8. 8. Comparantur regna ventis, vti & somnio cap. 2. 28. quia transirent & euanebant ut venti. Secundò, quia inter se pugnant ut venti. Porro tanta fuit gloria Alexandri, vt multi Imperatores eam affectarint, esto stolidè. Antoninus Caracalla, teste Spartiano in eius Vita, dicebat Alexandri animū in corpus Augusti Cæsaris, ac deinde in se transmigrasse, vt quoniam illi brevis fuerat vita, in Augusto viueret diu-

A tiis, ac deinde in se, quocirca ipse se Alexandrum Orientalem Augustum vocabat. Sic & Julianus Apostata credi voluit Alexandrum in se transmigrasse, ac se non minorem de Persis, quam Alexander, victoriam reportaturum, idque credebat ex persuasione Maximi Philosophi, vti ex priscis historicis narrat Baron. anno Christi 636. sed fefellit, & falsus est: nam Julianus in Perse vietus & occisus est.

Alexander Seiceras Imp. teste Læpidio in eius vita, Alexandri nomen acceptit, eò quod in templo dicato Alexandro Magno apud Arcenam urbem natus esset, cum casu illuc pater eius cum uxore patriæ solemnitatis causa venisset: & quod eadem die natus esset, qua Alexander Magnus excessit è vita. Alter ergo Alexander esse voluit.

5. **Et confortabitur rex Austri: & de principibus eius præualebit super eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio eius.**

6. **Et post finem annorum fœderabuntur: filiaque regis Austri veniet ad regem Aquilonis facere amicitiam, & non obtinebit fortitudinem brachij, nec stabit femme eius: & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes eius, & qui confortabant eam in temporibus.**

VERS. 5. **ET CONFORTABITVR REX AVSTRI**] Hic **VERS. 5.** est Ptolemæus, non Philopator, vt vult Theodor. sed Lagi, primus post Alexandrum Ægypti rex, eiusque filius Ptol. Philadelphus, secundus Ægypti rex, ita S. Hieron. Ptolemæus enim Lagi vir **Lagi filius.** fortissimus, non tantum Ægyptum, sed & Cyprum, Phœnicem, multaque alias insulas & regiones occupauit; quin & Pyrrhum Epirotarum regem expulsum in regnum restituit. Idem fecit Seleuco Antiochi filio, quem Antigonus Asias rex eiecerat, ita S. Hieron.

Nota. Angelus hic omissis duobus alijs Alexandri successoribus, scilicet Aridae & Antigono, cæterorum duorum tantum gesta hic enarrat, scilicet regum Austri, id est Ptolemæorum, qui regnarunt Reges **AU-** in Ægypto, quæ Iudeæ est ad Austrum; & regum stri, id est Aquilonis, id est Seleucidarum, id est posterorum **Egypti,** & Seleuci, qui dominati sunt Asia & Syria, quæ ad Aquilonem sunt Iudeæ, per 270. ann. ait Appianus. Id facit angelus: quia Iudeæ inter Syriam & Ægyptum media interiacet, ideoque bellorum inter Seleucidas & Ptolemæos gestorum fuit particeps; perinde ac isthmus inter duo maria interiacens, vtriusq; maris fluctibus vtrimeque tunditur. ita S. Hieron. Hoc ergo hic fixum sit, reges Austri, esse reges Ægypti, reges Aquilonis esse reges Syriae.

Recenset ergo hic bella, quæ inter hos reges per 140. annos gesta sunt, scilicet à tertio rege Syriae, qui dictus est Antiochus Theos, usque ad octauum, scilicet Antiochum Epiphanem; & à secundo rege Ægypti, qui fuit Ptolemæus Philadelphus, usque ad sextum, scilicet Ptolemæum Philometorem. Ponam hinc hosce reges ordine.

Seleucidae.

I. rex Syriae, qui anno 12. post mortem Alex- **Reges A-** andri, victo Antigono cœpit regnare, fuit Seleucus Nicænor; hic regnauit annos 30. Dictus Ni- **quilonis, se** canor, vel, vt alij, Nicator, à cæso Nicatore, vel po- **ue Seleuci-** tius

tius à multis & illustribus victorijs, quas habuit. ita A Appian.in Syriaco.

II. Antiochus Soter, filius Seleuci Nicatoris, regnauit annos 19.

III. Antiochus Theos, filius Soteris, regnauit annos 15. hunc describit angelus v.5.

IV. Seleucus Callinicus regnauit annos 20. hunc describit angelus v.7.

V. Seleucus Ceraunius, id est fulmineus, quod audaci & veloci ingenio præditus videretur esse quasi fulmen. hic regnauit annos 3. hunc describit angelus v.10.

VI. Antiochus Magnus regnauit annos 37. hunc describit angelus v.10.

VII. Seleucus Philopator regnauit annos 12. hunc describit angelus v.20.

VIII. Antiochus Epiphanes regnauit annos 12. hunc describit angelus v.21. & sequent. Hic Epiphantes Christi ortum 170. annis antecessit.

Ptolem.ei.

I. Post Alexandrum primus rex Ægypti fuit Ptolemæus, Lagi filius, vir prudentissimus & fortissimus. hic regnauit annis 40.

II. Ptolemæus Philadelphus, qui curauit Septuag. interpretes vertere Biblia Hebr. in Græcum idioma. hic regnauit annis 38. hunc describit angelus v.5.

III. Ptolemæus Euergetes regnauit annis 26. hunc describit angelus v.7.

IV. Ptolemæus Philopator regnauit annis 17. hunc describit angelus v.10.

V. Ptolemæus Epiphanes regnauit annis 24. hunc describit angelus v.13.

VI. Ptolemæus Philometor regnauit annis 35. hunc describit angelus v.22.

Hinc patet, Daniel horum inter se prælia prædictiss. 260. annis ante eorum inchoationem. Prædictis enim ea sub finem regni Cyri, qui 200, annis Alexandrum Magnum præcessit. Prælia autem hæc coepérunt sub Antiocho, cognomento Theos, qui Alexandro 60. annis fuit posterior.

Quæres, Cur reges hos clare non exprimit & nominat Daniel? Resp. Quia prophetiam scribit, non historiā: historia enim clara est; prophetia vero symbolica & obscura. Secundò, id voluit Deus, ne turbaret causarum secundarum, & prouidentiæ suæ stauen dispositionem, quæ res, præsertim humanas, finit agi suis motibus, easque permittit suæ libertati. Hic enim ordo, & hæc libertas multum impediretur, si homines præscirent ea quæ à se, vel alijs facienda: aut quæ eis euentura sunt. Sicut, si homo sciret in particulari tribulationes omnes sibi per vitam obuenturas, eatumque ordinem, numerum & grauitatem unico intuitu conspiceret, desiceret animo, & desperaret: nunc autem cum sensim singulæ prodeint, vnaque tantum præsens est, ceteræ latent, facile quælibet toleratur & carpitur. Hoc est quod angelus in fine huius visionis ait Danieli c.8.4. Tu autem Daniel claudis sermones, & signas usque ad tempus statutum.

ET DE PRINCIPIBVS EIUS PRÆVALEBIT SVPER EVM] Theodor. putat hic significari Seopam, Ptolemæi Philopatoris ducem; quasi hic describat bellum inter Philopatorem & Antiochum Magnum: verum de hoc agit angelus v.11. Secundò, Maldon. intelligit Antiochum Epiphanem: verum de hoc agitur v.21. Tertiò, S.Hieron.

Cornel. in Danielem,

intelligit Ptolemæum Philadelphum, qui patrem suum Ptolemæū Lagi gloria & opibus superauit:

verum quia angelus cum non filium, sed principē vocat, eius scilicet regis fortis, putà Alexandri Magni, de quo egit v.3. & sequ. hinc melius intelligimus Antiochū, qui Theos, id est Deus, cognomatus est à Milefis, eò quid Limarchum eorum tyrannum extulisset, inquit Appian. Hic Theos

præualebit super eum, scilicet regem Austri, id est Ægypti, putà contra Ptolemæum Philadelphum: nā contra eū feliciter & fortiter totis Asiae & Orientis viribus dimicauit. Causa belli fuit, quod Theos ad illud sollicitatus fuerit à genero suo Magas, qui erat

frater Ptolemæi Philadelphi. hic enim Magas du-

xerat filiam Antiochi, & oderat fratre suum Philadelphum, atque contra eum Antiochum cōcitauit, ait Pausan. in Atticis. Porro Philadelphus vidēs

se inferiorem Antiocho, cum eo foedus inijt, eiique filiam suā Berenicem vxorem dedit, cum maxima

dote: sed non obtinebit fortitudinem brachij, nec stabit semen eius, id est,

Berenice non diu permanebit in regno Syriæ.

Nam Laodice prior Antiochi vxor non ferens Berenicem sibi p̄tulatam, dolo Betenice

cum eius filio & fautoribus, quin & Antiochum maritum suum v eneno interemit, atque p̄ eo regem creauit filium suum ex Antiocho, Seleucum Callinicum. ita Iustin. l.27. S.Hieron. & alij.

Nota. Brachium vocat robur regni Syriæ, quod per hoc connubium à rege Ægypti corroboratur:

per connubium enim, quasi brachium ab uno re-

gno in aliud porrectum fuit, quo dexteræ duorum

regum ad firmam amicitiam dabantur; itaque

C vtrumque regnum quasi iungebatur & corroborabatur. ita Maldon.

7. Et stabit de germe radiceth eius plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam regis Aquilonis: & abutetur eis, & obtinebit.

8. Insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti & auri captiua ducet in Ægyptum: ipse præualebit aduersus regem Aquilonis.

9. Et intrabit in regnum rex Austri, & reuertetur ad terram suam.

ET STABIT DE GERME PLANTATIO] Hæc plantatio id est planta, fuit Ptolemæus Euergetes successor Ptolemæi Philadelphi, qui fuit ex eodē

D germe, quia fuit frater eius. hic enim vltus est iniuriam fratri suo Philadpho illatam, simulque mortem neptis suæ Berenices.

Nā ingressis prouinciam regis Aquilonis, scilicet regnum Syriæ, in quo regnabat Callinicus, eam occupauit, simulque totam ferè Asiam, atque Laodicem Berenices

mulam interfecit. Sed cum audisset in Ægypto se-

ditionem moueri, diripiens regnum Callinici, ex eo quadraginta millia talentorum auri abstulit, sim-

mulq; vasa pretiosa & simulacra deorum ad duo

millia & quingenta, inter quæ erant & illa quæ

Cambyses, cum caperet Ægyptum, inde in Persas

asportarat. Hæc, inquam, retulit Euergetes, itaque

in regnum suum, & in terram suam, putà in Ægyptum, reuersus est, vt ait hic angelus: atque hac de

causa (ob deos, scilicet patrios, ab eo relatos in Ægyptum) Ægyptij Ptolemæum hunc Euergetem,

id est benefactorem, nuncuparunt. ita S.Hieron.

VERS.6
Ptolemæus
Euergetes
pugnat con-
tra Seleu-
cum Callo-
nicum.

ABUTETVR EIS] Hebr. faciet de illis, supple, pro voluntate sua, q.d. Ad libitum eos capiet, spoliabit, vexabit, occidet.

10. Filii autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum; & veniet properans, & inundans: & reuertetur & concitatibus, & congregetur cum robore eius.

11. Et prouocatus rex Austri egredietur, & pugnabit aduersus regem Aquilonis, & preparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius.

12. Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deiiciet multa millia, sed non praeualebit.

13. Conuertetur enim rex Aquilonis, & preparabit multitudinem multo maiorem quam prius: & in fine temporum annorumque; veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis.

14. Et in temporibus illis multi consurgent aduersus regem Austri: filii quoque praevaricatorum populi tui extollentur ut impleant visionem, & corruent.

VERS. 10. **FILII AVTEM EIUS**] *Eius*, scilicet regis nos Seleucus Callinicus. Auctri, sed Aquilonis, id est Syriae, putat Seleucus Callinici, qui cum Ptolemaeo Euergete infelicititer dimicauerat, & tandem amissio regno equo præcipitatus interiit, teste Iustino lib. 27. huius enim Callinici filii duo fuerunt Seleucus Ceraunius, & Antiochus Magnus, qui ut cladem & iniuriam parenti illatam vicerentur, collegerunt exercitum contra Ptolemaeum quartum, qui fuit filius Euergetis, dictusque est Philopator, per antiphrasin, quod patrem, matrem, fratrem, vxorem & sororem occidisset. Sed cum Seleucus Ceraunius, senior Callinici filius, do lo a suis interfecitus esset, solus Antiochus Magnus rem aggressus, totam Syriam, proditione Theodosi, Ptolemaeo Philopatori parricidæ, & libidinibus vacanti ademit. ita ex Iustino & Polybio S. Hieron. unde in singulari ait angelus: *Et veniet properans, scilicet Antiochus, & inundans, id est quasi fluuius terram operiens multitudine militum.*

VERS. 11. **ET PROVOCATVS REX AVSTRI**] Cum enim Antiochus recuperasset Syriam, & usque ad Raphiam urbem, quæ est in foribus Ægypti, peruenisset; excitatus Philopator, collegit maximas copias, praesertim ex Græcia, atque iuxta Raphiam cum Antiocho cœflicxit eodem anno, quo Hannibal Romanos apud Trasimenum lacum cecidit, quo in prælio Antiochus succubuit, amissisque exercitum, atque per deserta fugiens penè captus est. Nam, ut narrat lib. 3. Machabæorum initio, commisso acri prælio, cum fortius pugnaretur ab Antiocho, Arsinoë Ptolemaea soror, copias obambulans cum lacrymis obsecratabat milites, vti sibi openi fortiter & audacter pugnando ferrent, binas aurum minas se singulis, si vincerent, daturam promittens: itaque milites resumptis animis Antiochi copias ceciderunt, multosque ex ijs ceperunt.

VERS. 12. **SED NON PRÆVALEBIT**] Philopator: quia hostem suum Antiochum capere, aut regno exire non poterit: nam Antiochus fuga elapsus, cum

Ptolemaio, pacis & voluptatum amante, fœdus in ijs: ea conditione, vt tota Syria cederet, eamque Philopatori traderet. Hic enim Philopator, inquit Iustinus, Eurydicem sororem pariter & uxorem suam occidit, atque adhæsit Agathocleæ meretrici; noctes in stupris, dies in coniuiciis consumens. Agathocles ergo frater Agathocleæ, qui & ipse regis erat concubinus, regem & regnum regebat: qui Philopatore mortuo cum ærarium regium regnumque inuadere vellet, cum Agathoclea sorore, ambo à populo concurrente tenti & suspensi sunt.

CONVERTETVR ENIM REX AQVILONIS. **VERS. 13.** Quia Antiochus Magnus videns luxuriam & ignauiam Philopatoris, exercitum reparauit; & Philopatore interim mortuo, IN FINE TEMPO- RVM ANNORVMQVE,] id est reuoluto aliquot annorum tempore, contra filium eius Ptolemaeum Epiphanem, quatuor annorum puerum, castra mouit, adiutus à Philippo Macedonum rege, ea conditione, vt inter se diuidenter regnum Ægypti, & hoc est quod subdit angelus, *Multi consurgent aduersus regem Austri, id est Ægypti, ita Iustin. lib. 30. & 31. Qui & addit, Alexandrinos mississe legatos Romam, ut pupilli pueri, putat Ptolemaei Epiphanis, tutelam susciperent, quod & fecerunt Romanis, indeque ortum est bellum inter Romanos & Antiochum, quo victus Antiochus Romanis A- sianis cessit. de quo v. 18.*

FILII QVOQUE PRÆVARICATORVM] q.d. **VERS. 14.** Multi Iudæi prævaricatores leges Dei, occasione horum bellorum inter vicinos reges, desciscunt & deficient alij ad Ptolemaeum, alij ad Antiochum; ac tandem mortuo Antiocho, contra legem, quæ iubet in solo templo Hierosolymitano Deum colli, extollentur in superbiam, atque ædificabunt templum Heliopoli in Ægypto, quod sua habeat sacrificia & sacerdotes, æquæ ac Hierosolymitanum, idque ut impleant visionem Isaiae 19. 19. quæ habet: *Erit altare Domini in medio terre Ægypti; impleant, inquam, secundum prauam & peruersam suam intelligentiam. Nam Isaia ibi non loquitur de templo Iudaico, quod vnicum esse voluit Deus, idque Hierosolymæ tantum; sed de templis Christianorum in Ægypto, & passim toto orbe ædificandis. Horum dux fuit Onias, filius Onias pontifex fuisse Onias.*

15. Et veniet rex Aquilonis, & comporabit aggerem, & capiet urbes munitissimas: & brachia Austri non sustinebunt, & consurgent electi eius ad resistendum, & non erit fortitudo.

16. Et faciet veniens super eum iuxta placitum suum, & non erit qui stet contra faciem eius: & stabit in terra inclyta, & consumetur in manu eius.

17. Et

17. Et ponet faciem suam ut veniat ad tenendum vniuersum regnum eius ; & recta faciet cum eo:& filiam feminarum dabit ei, ut euerterat illud : & non stabit, nec illius erit.

18. Et conuertet faciem suam ad insulas, & capiet multas : & cessare faciet principem opprobrij sui, & opprobrium eius conuertetur in eum.

19. Et conuertet faciem suam ad imperium terrae sue, & impinget, & corruet, & non inuenietur.

VERS. 15. ET VENIET REX AQVILONIS] Antiochus Magnus defuncto Ptolemaeo Philopatore, contra filium eius Ptolemem, maximo exercitu B venit in Syriam, volens illam superiori bello amissam, cum Iudea sibi subiucere; & Scopam ducem Ptolemaei iuxta fontes Iordanis, vbi postea Panias, id est Cæfarea Philippi, condita est, inito certamine fugauit; cumque cum decent millibus militum obsedit in Sidone, ob quem liberandum misit Ptolemeus duces electos & indylos. Eropum, Menoclem & Damoxentum; sed obsidionem soluere non potuit: sic tandem fame superatus Scopas manus dedit Antiocho, & cum socijs dimisissus est. Mox & aliq. plurimæ vrbes captæ sunt ab Antiocho, & hoc est quod ait hic angelus: Et faciet Antiochus veniens super eum, id est contra Scopam & Ptolemaeum; iuxta placitum suum. quin & stabit in terra inclita (hebr. est 'אָתָּה תְּשִׁיבֵי, de quo dixi c. 8. 9.) id est in Iudea, quæ fertilissima est & Dei cultu ac templo inclita. Vnde Syrus & Arabicus vertunt, & stabit (manebit, vel durabit) in terra Israel.

VERS. 16. CONSUMETUR IN MANY EIVS] Id est, vastabit & affligetur ab Antiocho Iudea, quamque sibi subiuciet, & faciet ibi quidquid volet; nimis Iudeis vltro se ipsi dederibus, ipsumque honorificè excipientibus, & omni ope ac studio adiuuantibus, maximè in arce Hierosolymorum à Ptolemaeo incessu expugnata. ita ex Iosepho & Polybio S. Hieron.

VERS. 17. ET RECTA FACIET CVM EO] Id est, Antiochus simulabit se bona fide amicitiam velle cum Ptolemaeo, sed dolosè id faciet, ut eum euerterat. Vnde sequitur:

ET FILIAM FEMINARVM] Quia Antiochus volens non tantum Syriam, Ciliciam, Lyciam, & alia; sed & Aegyptum Ptolemaeo Epiphanem, puer septenni, adimere, Cleopatram suam filiam feminarum, id est pulcherrimam, ei despondit, & post sex annos tradidit, data ei nomine dotis Cœleſyria & Iudea; quod speraret fore, ut filia incautu adolescentem aut falleret, aut occideret, itaq; regnum eius ad se perueniret. Sed non stabit, id est non succedet ei dolus. nam Ptol. Epiphanes, eiusq; duces aduertentes dolum Antiochi, cautiū se gefitterunt; & Cleopatra magis mariti, quam patris sui partes fouit. ita ex Iosepho & Appiano S. Hieron.

VERS. 18. CONVERTET FACIEM SVAM AD INSULAS] Antiochus dolum suum in Aegypto discussum videns, aliò se vertit, cepitque Rhodum, Samum, Colophonem, Phocæam, & alias multas insulas; sed occurrit ei L. Scipio cum fratre suo P. Scipione Africano, qui Hannibalem vicerat: tandemque victus Antiochus à L. Scipione, qui propter ea Asiaticus dictus est, annum tributum mille

Cornel. in Danielum.

A talentorum Romanis promisit, obsidemque dedit L. Scipio filium iuniorē Antiochum Epiphanem, qui postea ^{L. Scipio} ^{vincit An-} ^{tiocham.} Iudeam vastauit. ita Liuius libr. 37. Plutarchus in Vita Scipionis, Appianus in Syriaco, Iustini libr. 31. & ex ijs S. Hieron. Vnde sequitur:

ET CESSARE FACIET PRINCIPEM OPPROBRII SVI] Pro principem, Septuag. vertunt, ἀρχατας, id est principes, q.d. Antiochus cessare faciet, id est, principatu suo deponet & deiçiet principes opprobrij sui, id est principes hostiles, quos ipse vicit, atque probro & ludibrio exposuit, dum eos in triumphum duxit; sed opprobriū eius in ipsummet conuersum recidit, cum ipse pari modo ad Thermopylas à Romanis vicit, annū tributum mille talentorum pendere coactus orbi ludibrio fuit. Verum quia hebr. est ΡΩΜΑΝΟΣ, katsin, id est principem, in singulari: & quia Syrus & Arabicus vertunt, cessare faciet principem, qui eum opprobrio afficiebat vel conciabatur; hinc melius per principem opprobrij accipias Scipionem Africatum: hic enim sua ope & consilio dirigens L. Scipionem, fratrem suum, belli ducem, vicit Antiochum, spernente prudentissimum Hannibalis consilium, cumque probrosè fugere compulit. Hannibal enim prudenter suadebat Antiocho, ut vicinis relictis, Italiā inuaderet, se auxilia Carthagine edittenda cirraturum. Scipio & Romani ut Hannibalis sana consilia disturbarent, crebro & familiariter agebant cum eo, ut eum Antiocho facerent suscep̄tum, quasi ambientem amicitiam Scipionis & Roman. Vnde inter alia, quæsivit Scipio ab Hannibale, quem censeret inter bellī dūces fuisse vel esse primum? respondet Hannibal, Alexandrum Magnum. Intulit Scipio, Quem secundūm respōdit, Pyrrhum Epiri regem ob animos & audaciam. Rursum Scipio, Quem tertium? Cui Hannibal: Meipsum. Sensit id Scipio, aegrè ferebat se postpositum, additque, Quid ergo si me vicissim Hannibal sentiens Scipionem tactum, ut eum tillaret, & celebraret: Anteferrem, inquit, me Alexandro, tacite significans Scipionem extra comparationem esse & maiorem Alexandro. Intellēxit hæc Antiochus, & Hannibalem quasi Scipioni adularitem, suspectum habuit: simus, ne gloria vicitorij Hannibali tribueretur, non sibi eius sana consilia aspernatus est; ideoque à Romanis cæsus & superatus est. ita Plutarch. in Vita Scipionis, Appianus in Syriaco, & Iustinius libr. 31. qui & addit, Hannibalem hanc sui consilij de Italia inuadenda rationem, Antiocho evidentem dedisse: Cum Romano, inquit, seu occupaueris prior aliqua extera, seu viceris, tum etiam cum victo & iacente luctandum eris. Quamobrem si quis eos in Italia lacerberit, suis eos opibus, suis viribus, suis artis possē vinciri, sicut ipse fecerit. Sin vero quis illis Italia vclut fonte virium cesserit, perinde falli, ac si quis amnes non ab ipsis fontium primordijs deriuare, sed concretis iam aquarum molibus auertere, vel exsiccari vellet. Antiochus ergo vicitus Scipionem placare & conciliare studuit, ut ab ulteriori bello cessaret. Tidem enim cessare faciet, idem est quod contabitur & studebit, ut etim cessare faciat: significatur enim actus inchoatus, non perfectus.

ET OPPROBRIUM EIVS CONVERTETUR IN EVM] Victor enim Antiochus, ut opprobrium suum tegeter opprobrio hostis vicitoris; filium Scipionis Africani, quem captiuum tenebat, ad patrem remisit, pacemque petiit. Sed hoc opprobriū in eum recidit. nam Africanus reipublicæ commi-

da suis præposituit, dixitque, ait Iustinus lib. 31. Alia esse patris officia alia patrie iura, que non liberis tantum, verum etiam vite ipse præponantur. Denique ut maiestate eius dignum erat, armis se recepturum filium assertuit. Et Liuius libr. 37. Cum, inquit, Antiochi legatus Scipioni ingens auti pondus esset pollicitus, & nomine tantum excepto, societatem omnis regni, si per eum pacem impetrasset; respondit Scipio: Pro filio priuatam gratiam rependam: publicè nec habeo quidquam ab Antiocho, nec dabo. Has ergo Antiocho pacis leges dixit, ut Asia Romanis cederet, ipse vero contentus regno Syriae esset, naues vniuersis, captiuos & trans fugas, ac Hannibalem bellum incentorem Romanis traderet; sumptuineque omnem bellum Romanis restitueret, ac tributum penderet. Quæ cum nuntiata essent Antiocho, nondum ita victum se esse respondit, ut spoliari se regno pateretur. Itaque reparato iterum bello, iterum vincitur, cæsis ex eius exercitu quinquaginta millibus, captis vnde decim millibus: tunc coactus est pacem ijs conditionibus, quas antea reculauerat, postulare: nihilque ad eas propter nouam victoriam à Romanis eit additum, Africano prædicante: Neque Romanos si vincantur, animis minui; nec si vincant, secundis rebus insolescere, inquit Iustin. lib. 31. & Liuius lib. 37. Perperit tamen hæc res calumniam Scipioni. Nam ipse Romæ rediens, ab æmulis accusatus eft, quod largitionibus corruptus publicam utilitatem vendidisset: cumque dictus ei eft dies, comparuit non ut reus, sed quasi festum acturus; ac accusatio ne dissimulata & contempta, magna conscientia confidentia, Hoc die, ait, Quirites, ego olim Carthaginenses, vici: æquum ergo eft ut dijs gratias agamus. Ergo acclamantibus vniuersis, sacrificaturus, festumque acturus Capitolium magna pompa ascendit, itaque accusatores confudit. ita Appianus in Syriaco, & Plutarch. in Scipione, qui & addit, Antiochum non tantum filium remisisse Scipioni, sed & Scipioni regnum suum, titulo eius tantum sibi reseruato, obtulisse, si eius partes tutari vellet; sed Scipionem gratijs regi actis, in fide Roman. persistuisse: inde tamen amulos eum accusandi occasionem sumpsisse, diemque ei dixisse; sed Africanum accusationem elusisse, eo modo quo recenti: verum post eum diem urbe excessisse, ut rure vitæ ageret procul ambitione & foro. Itaque Linerum se contulisse, ibique defunctum esse anno ætatis 54. Eius epitaphium Caietæ in marmoreo sepulchro exstat:

Deinde Hannibale, capta Carthagine, & aucto
Imperio, hos cineres marmore tectus habet.

Cui non Europa, non obstitit Africa quondam,
(Respicere res hominum) quam breuis urna premis.
Hic nimis est, cui paulò antea clamatum,
Neque Roma cadet Scipione stante, neque Scipio viuet ur
be cadente.

Tertiò, sic appositè ex Hebræo cum Vatablo vertas, princeps cæsare faciet, siue compescet eius probra, retorquens in eum sine omni suo dedecore: id eft, Scipio Africanus coget Antiochum desistere à probro, quo afficiebat populum Romanum, invadendo socias insulas, imò in ipsummet eius probra retorquebit, dum eum bello subiget, pacisq; leges ei præscribet, qua ratione omne dedecus absterget, quod ei ex captiuitate & remissione filij afflare potuerat Antiochus. In Antiocho ergo verum fuit istud: Ipsus se ledit, alium qui ledere

A querit. Et illud elegans Italorum, Ben venuto, vien per battere, fu battuto.

Quartò, Lyran. vertit, & reducit princeps, vel dominus, opprobrium eius super eum: ac per principem, vel dominum, intelligit Deum, q.d. Deus cæsare faciet blasphemias & probra contra se iactata ab Antiocho, eaque absque suo opprobrio & dedecore, retorquebit in eum. Vnde & Pagnin. vertit, & cæsare faciet princeps probris afficiens Deum, ne quispiam probrum suum inferat ei. Verum vox Deum non eft in Hebræo, nec legitimus hunc Antiochum blasphemasse Deum.

Quintò, Glossa, & ex ea Pererius explicant, q.d. Antiochus conuertens se ab Ægypto ad Asiam, & insulas, quiescere fecit principem, id eft Ptolem. Epiphanem, à quo probro eft affectus, ademptis sibi per Scopam ducem eius multis viribus: maxime verò à patre eius, Ptolem. Philopatore, à quo iuxta Raphiam vietus eft cum dedecore. Sed opprobrium eius conuertetur in eum, q.d. Probra & damnatione quibus gentes à se vietas afficiebat, vertentur in eum: similibus enim malis ipse vietus à Romanis afficitur. Verum hæc probra Ptolemæorum iam deleuerat Antiochus Scopam capiendo, vti dixi v. 15. & filiam suam dando coniugem Epiphani, vti dixit v. 17. Adde, hæc non fuisse probra eius, id eft quæ ipse gentibus viatis imposuit.

CONVERTET FACIEM SVAM AD IMPERIVM VERS. 19.
TERRÆ SVÆ] Antiochus vietus à Romanis, ab ijs intra Taurum montem regnare iussus eft, & inde fugit ad Apamiam, Susalim, aliaque ultimas regni sui urbes, cumque aduersus Elymæos pugnaret, ab eis cum omni suo deletus eft exercitu.

C ita S. Hieron. Licet alij aliter eum mortuum narrant, scilicet oppressum fuisse ab accolis, cum occiditur. Beli, vt Strabo; vel Louis Dodonæi, vt Iustinus, templum spoliare vellet. Porro Antiochus, inquit Plutarch. in Scipione, regno spoliatus Asiae à Romanis, benignè sibi à populo Rom. factum dixit, quod magna cura liberatus, modicis regni terminis vteretur. Ampla enim imperia & nimis que expetuntur opes totamq; varias, & vndique circumfusas molestias habent, vt verè dixerit Theocritus.

Non mihi sint nec opes Pelopis, nec multa talenta:
At vacuo curis liceat cantare sub antro,
Et procul è specula mare prospectare profundum.

20. Et stabit in loco eius vilissimus, & indignus decore regio: & in paucis diebus conteretur, non in futuro, nec in prælio.

D ET STABIT IN LOCO EIUS VILISSIMVS VERS. 20.
Nō Antiochus Epiphanes, vt vult Theodor. de eo enim agitur v. sequ. non etiam Ptolemaeus Epiphanes, vt vult Porphyrius apud S. Hieron. hic enim non successit Antiochus Magno. Non etiam Tryphon, qui fuit tutor Antiochi, filij Alexandri Velis, eoque occiso inuasit regnum, vt volunt Hebræi. Tryphon enim diu post, scilicet post Seleucus, Epiphanem, Eupatorem, Demetrium, Alexandrum, & filium eius Antiochum, sexto ordine occupauit regnum: sed Seleucus Philopator, senior Antiochi Magni filius, qui patri in regno suc- Philopator cessit, regnauitque per 12. annos, sed absque ullis Antiochii prælijs inglorius, inquit S. Hieron. auatus & sacri-silius. legus; vnde hebr. est stabit in loco eius transire faciens exactorem decoris regni, id eft, qui toto regno exacto-

res discursare faciet, vt eius opes decoremque de-
prædentur. Hic enim Seleucus, vt alia taceam, licet
initio sumptus suppeditaret sacrificijs templi Iu-
dæorum, vti dicitur 2. Machab. 3. v. 3. tamen postea
misit Heliodorum in Ierusalem, vt ærarium tem-
pli expilareret. Verum Heliodorus ab angelo flagel-
latus, vix Oniæ precibus seriatuſ est, vti narratur
2. Machab. 3. 33. Quare iusto Dei iudicio Seleu-
cū iam sacrilegus, ideoque indignus decoro regio, in
panuis diebus ab eodem Heliodoro occisus est; cum-
que eo mortuo Heliodorus regnum inuadere co-
naretur, Eumenes & Attalus reges eum pepule-
runt, atque Antiochum Epiphanem iuniorem An-
tiochi Magni filium, fratri defuncto in regnum
substituerunt. ita Appianus in Syriaco.

21. Et stabit in loco eius despectus, &
non tribuetur ei honor regius: & veniet
clam, & obtinebit regnum in fraudulen-
tia.

22. Et brachia pugnantis expugnabun-
tur à facie eius, & conterentur: insuper
& dux fœderis.

23. Et post amicitias, cum eo faciet do-
lum: & assendet & superabit in modico
populo.

24. Et abundantes & vberes vrbes in-
gredietur & faciet quæ non fecerunt pa-
tres eius, & patres patrum eius: rapinas,
& prædam, & diuitias eorum dissipabit,
& contra firmissimas cogitationes ini-
bit: & hoc vsque ad tempus.

25. Et concitabitur fortitudo eius, &
cor eius aduersum regem Austri in exer-
citū magno: & rex Austri prouocabitur
ad bellum multis auxilijs, & fortibus ni-
mis: & non stabunt, quia inibunt aduer-
sus eum consilia.

26. Et comedentes panem cum eo,
conterent illum, exercitusque eius op-
primetur: & cadent interfecti plurimi.

27. Duorum quoque regum cor erit vt
malefacent, & ad mensam vnam men-
daciū loquentur, & nō perficient: quia
adhuc finis in aliud tempus.

V E R S . 2 1 . ET STABIT IN LOCO EIVS DESPECTVS.] Hic est Antiochus Epiphanes, filius iunior An-
tiochi Magni, & Seleuci Philopatoris frater: qui
cum sine spe regni obses Rōmæ téneteret, inde
furtim, vel, vt alij volunt, conscio senatu, elapsus,
regnū Syriæ inuasit, excluso legitimo herede De-
metrio, qui erat ei ex fratre nepos. Erat enim De-
metrius filius Seleuci Philopatoris: atq; hinc inter
posteros huius Demetrij & Antiochi perpetua fu-
erunt bella pro regno, per 200. annos, alio alium
vicissim obtruncante, & pro eo regnante. De hoc
Antiocho maximo Iudæorum persecutore, deinceps
vsque ad finē capitū agit angelus ac sub eius
nomine partim Allegoricè, partim Symbolicè ag-
it de Antichristo. Hic enim Antiochus fuit typus
& præcursor Antichristi. Sicut enim Antiochus
persecutus est Ecclesiam Iudaicam, sic Antichris-
tus persequetur Christianam. Vnde angelus hic
Corn. in Danielen.

A sub finem capitū multa dicit, quæ magis compre-
hendunt Antichristo, quam Antiochο. vide canon. 4.
Hinc etiam veteres teste S. Hieron. haec omnia in-
terpretati sunt de Antichristo, non de Antiochο.

ET NON TRIBVETVR EI HONOR REGIUS.] Quia Antiochus Epiphanes initio non fuit accep-
tus vt rex: quippe ab ijs, qui in Syria fauebant
Ptolemæo, non ei dabatur honor regius. Porro
Antiochus hic à rerum magnarum molitione po-
tius quam effectione, dictus est Epiphanes, id est
Illustris. Fuit enim ingenio inquieto, versatili, tur-
bido, vago & vario: vnde multa machinatus est,
paucā ad felicem exitum perduxit. Vt inde
huius Antiochi, de quo multa h̄c Daniel, & plu-
ra libri Machab. magis perspicias, audi quæ de eo
scribit Leonicus lib. 3. Variae histor. cap. 91. Profu-
sissimum regum omnium, & genio voluptatibus, in con-
tinenter & immodec deditum fuisse Antiochum cognos-
mento Epiphanem, Polybius in historiis suis resert: quem
cognominè paululum immutato, aliquando Epimanem
pro Epiphanē, id est suribundum & mente captum appella-
lat. Hunc namque scribit immensos pecuniarum thesa-
uros in comeditionibus & symposiis prodegitse, & breuiter
profusus, solitumq; esse ludibundum interā & ebrium
grandis sculos nummorū sacculos in viis publicis abi-
dere, & subinde dictitatere: Isth. ec accipiant ij, quos sors fortu-
nae huic commodo iam pridem destinauit. Nonnumquā
etiam rosis coronatum; aureaq; induitum chlamyde v. i-
gari solitum dicit, lapides simi gestantem, quibus obuios
quosque impeteret. Publicis quin etiam (vt ait) balneis iste
cum populo promiscue lauari consuerat, pretiosissimisq;
vnguentis inungi. Vnde cum quidam aliquando illi ē po-
pulo dixisset: Beatus es o rex, qui adeo bene oles. At ego, in-
quit, hac tibi in re continuo satisfaciā, & perquam sa-
turum reddam: quo dicto bicongium vias pretiosissimi ple-
num vnguenti, super illius effundi caput inssit, ex quo ve-
hemens adeo odoris fragrantia est oxorta, vt plorosque à
foro ipso & longinquis etiam orbis partibus excitos ad eum
statim locum contraxerit, vt impellentium se se studio
hinc inde & crassi lubricitate vnguenti, & plurimi balneariorum
humii caderent, & rex ipse profusissimo penè ene-
ctus cachino prouo corriuerit, &, vt in turba solet, non
bellè etiam acceptus & conflicitatus fuerit. Hunc aliquan-
do ferunt in certaminibus que Antiochis celebravit, om-
nes qui aderant Grecos inuitasse, pretiosissimisque vnguen-
tis ex aureis guttis perunctos omnes, amaracino videlicet,
& telino, & cinnamomino, crocinoq; insuper & nardino
celeberrimo, mille & quingentorum tricliniorum conu-
cio suscepisse, in quo ipse inuicem discubuisse, & discum-
bentibus ministrasse dicitur: eum minus, quin etiam &
histrionibus licenter adeo & impudenter saltasse, vt omnes
coniuinas præ pudore oculos a se auertere cogeret. Is
est Antiochus qui Romæ aliquando pro obside fuerat, &
inde ad regni cuectus apicem, ad has insanie notas regale
licentia sine respectu turpiter declinavit. Hucusque
Leonicus. Porro de Antiochii huius superbia, au-
taritia, crudelitate, impietate & sacrilegijs, vide
1. Machab. 1. 11. & sequ. ac lib. 2. cap. 5. v. 11. & sequ.
c. 6. c. 7. c. 9.

ET VENIET CLAM] clanculum fugiens Roma
venit in Syriam.

ET OBTINEBIT REGNUM IN FRAUDULEN-
TIA.] Hebr. בְּתַלְקָנִים bachalaclacot, id est bla-
ndimentis, putâ simulatione benevolentia, & cle-
mentia: simulans enim se velle agere tutorem pu-
pilli nepotis sui Demetrij, cum regno exclusit, re-
gnumque occupauit adiuuantibus eum Attalo &
Eumene Asiae regibus, vt dixi. Talis erit & Anti-

*Antichri-
tus erit
hypocrita.*

christus, scilicet maximus hypocrita. Audi Hippolytum tract. de Consummat. seculi: *Antichristus, inquit, in primordiis suis clemens erit, quietus, religiosus, odio habens iniustitiam, detestans munera, idololatriam non admittens, amans Scripturas, obseruans sacerdotes, honorans senes, scortationes & adulteria repudians, non damna aures obtractatoribus, hospitalis, studiosus pauperum, pupillos & viditas defendens, dissidentes inter se pacificans, nullum diniistarum studium praeserens: atque haec omnia faciet consilio simulato ac fraudulentio, quo circumueniet omnes, ut se regem creent.*

VERS. 22. *ET BRACHIA PVGNANTIS EXPVGNABVNTVR A FACIE EIVS]* Brachia vocat vires & copias eorum, qui contra Antiochum pro Demetrio regni herede pugnauerunt: sed ab Antiocho oppressi sunt. Vnde hebrei, est, & brachia inundationis inundabuntur, id est auxilia Demetrij, quæ tamquam riuiuli vindique confluent, ab Antiocho, tamquam maiore quodam fluamine, obruentur. ita Maldon.

INSUPER ET DVX FOEDERIS] Dux fæderis, inquit Theodor. fuit Onias pontifex, qui veteris testamenti dux erat: hic enim ab Antiocho pontificatu priuatus est, procurante id Iasone fratre Oniae, qui pontificatum ambiebat, ut patet 2. Machab. 4. 9. Secundò S. Hieron. dux fæderis, inquit, fuit Iudas Machabeus, qui fuit dux populi Iudaici, Deo per fidus astrixi, quem Antiochus fraudibus superauit. Tertiò, & optimè, Ptolemeus Philometor vocatur hic dux fæderis tunc quia cum Antiocho Epiphane auunculo suo fædus inijicit, tum quia filius fuit Cleopatrae sororis Antiochi Epiphanis, quam Antiochus Magnus Antiochi Epiphanis pater, Ptolemeo Epiphanis, Philometoris patri, iungendi fæderis causa despôderat. Itaque Ptolemeus Philometor ex eo fædere natus, velut vinculu & dux fæderis erat. ita S. Hieron. Hic ergo Philometor ab Antiocho Epiphane contritus est; quia duces Philometoris ab Antiocho Epiphane, inter Pelusium & montem Casium prælio victi sunt.

VERS. 23. *ET POST AMICITIAS CVM EO FACIET DOLVM]* Quia Antiochus post victoriam parcens Philometori puero & amicitiam simulans, ascendit Memphis, & ibi ex more Ægypti regnum accipiens, puerique rebus se prouidere dicens, cum modico populo omnes vberes & marcatorias Ægypti vrbes (quod nemo patrum suorum fecerat) otio, pace & opibus abundantes, ut habent Hebrei, ideoque securas subegit, earumque diuitias occupauit & dissipauit; atque tam callidus fuit, ut prudentes cogitationes eorum, qui duces erant regis pueri, sua fraude subuerteret. Deinde, ut ait angelus, contra munitas & firmissimas, scilicet vrbes Ægypti, cogitationes inibit, & hoc usque ad tempus, id est, obleruato idoneo eas capiendi tempore: aut potius, ut Maldon. q.d. Cogitationes & consilia sua animo premet, quoad oportunum tempus aduenire: tunc enim aperto marte regnum Ægypti inuidet, & hoc est quod sequitur:

VERS. 25. *ET CONCITABITVR FORTITVDO EIVS,* scilicet Antiochi Epiphanis, *ADVERSVM REGEM AVSTRÌ]* contra Ptolemaeum Philometorem, regem Ægypti; ut iam non fraudibus, sed aperto bello eum inuadat. Bellum hoc describitur lib. I. Machab. I. v. 19.

ET NON STABVNT] scilicet copiae & auxilia regis Austri, putâ Philometoris; quia Antiochus suis fraudulentis consilijs omnia subuertit, & Ægyptios quosdam regis Philometoris aulicos, qui comedere-

A bant cum ipso panem, magnis promissis ad defensione, & regis sui perniciem induxit, ut sequitur.

DVORVM QVOQVE REGVM COR ERIT] q.d. **VERS. 27.**

Antiochus & Philometor, vel potius Philometoris pueri principes, sancient fœdus, sed utrumque fictum: uterque enim cogitat de alterius exitio; sed neuter poterit alterum penitus delere, quia adhuc finis in aliud tempus, id est, quia nondum venit tempus fini utriusque regis & regni à Deo præstitutum. Haec omnia de Antichristo ad literam accipit S. Hieron. Verum ex antecedentibus & sequentibus patet, hæc omnia primariò dici de Antiocho.

28. Et reuertetur in terram suam cum opibus multis: & cor eius aduersum testamentum sanctum, & faciet, & reuertetur in terram suam.

29. Statuto tempore reuertetur, & veniet ad Austrum: & non erit prioris simile nouissimum.

30. Et venient super eum trieres & Romani: & percutietur, & reuertetur, & indignabitur contra testamentum sanctuarium, & faciet: reuerteturq; & cogitat aduersum eos, qui dereliquerunt testamentum sanctuarium.

C 31. Et brachia ex eo stabunt, & polluent sanctuarium fortitudinis & auferent iugae sacrificium: & dabunt abominationem in desolationem.

32. Et impii in testamentum simulant fraudulenter: populus autem sciens Deum suum, obtinebit, & faciet.

33. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruerint in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum.

34. Cumque corruerint, sublevabuntur auxilio parvulo: & applicabuntur eis plurimi fraudulenter.

35. Et de eruditis ruerint, ut conflentur, & eligantur & dealbentur usque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit.

D 36. ET REVERTETVR IN TERRAM SVAM CVM VERS. 28. OPIBVS] cùm prætextu tutelæ pueri regis Ægyptum expilauerit, ut dictum est v. 21. & 24.

ET COR EIVS ADVERSVM TESTAMENTVM SANCTVM] cogitat Antiochus vastare quoque Iudæam, Ierusalem & templū; ubi diuina lex, quæ sanctum Dei testamentum dicitur, seruabatur.

ET FACIET, ET REVERTETVR] q.d. Compôs factus voti, scilicet expilata Iudæa, Ierusalem & templo, reuertetur in Syriam.

STATVTO TEMPORE REVERTETVR] Significat angelus quod historici & S. Hieron. docent, Antiochum Epiphanem bis intrasse in Ægyptum: cùm enim prima vice doli non omnino ei ex votu cessissent, secundò reuersus maximis copijs Alexandriae Philometorem regem obsedit. Hoc est enim quod sequitur: *Et veniet ad Austrum, id est in Ægyptum, sed nouissimum, id est, secunda hæc eius expeditio, non erit simile priori.* Nam

VERS. 30.
Popilius
An. Epiph.
virga cir-
cumscripta,
affigata cum
Egypto ex-
pedierat.

VENIENT SVPER EVM TRIERES ET ROMANI] q.d. Venient contra eum legati Romanorum vecti tricemibus. Publius enim Popilius Lenas legatus Roman. qui Romæ Antiocho Epiphani familiaris fuerat, nauibus appulsus Alexandriam, Antiochum virga circumscribens circulo in arena, illi dixit: *Senatus populusque Romanus precipiunt ut Agypto recedas, nec pugnes in Ptolem. eos: & isto in loco respondeas quid consilij geras; an pacem, an bellum cupias.* Quibus ille perterritus, ait: *Si hoc placet Romanis, recedendum est.* Itaque statim mouit exercitum. Ita Iosephus l.12. Antiq. c.7. Liuius l.5. dec.5. Appianus in Syriaco, Iustinus, & alij. Vide hīc in Antiocho quā verum sit istud: *Omne sub regno grauiore regnum est.*

Nota. Pro Romani Hebr. est קִתִּים kittim; Septuag. vertunt, Citij. Citium vrbs est in Cypro; & Vatabl. vertit, naues Cypri. Vnde Theodot. putat hīc significari, quōd Antiocho pugnanti contra Ptolem. Philometorem auxilia missa sint ex Cypro & Græcia. Verū hoc non consonat historicis, & repugnat nostro Interpret. Kitim ergo Cyprum significat, indequē quasuis insulas, & transmarinas gentes, quales erant Romani & Itali: sic etiam accipitur Num. 24. v. 24. & Ezech. 27. 6. Hinc & Syrus ac Arabicus vertunt, *venient super eum turmae ē Macedonia;* vel de insulis Itali.e.

PERCVTIETVR] Antiochus, non ferro, sed metu Romanorum. vnde hebr. eit, οὐκέτι nicha, id est infirmabitur, &c, vt Vatabl. vertit, confernabitur, dolore & ira afficietur, quam mox euomet in Iudeos. Vnde sequitur,

ET INDIGNABITVR CONTRA TESTAMENTVM SANCTVARIJ] q.d. Iram quam non potuerat in Agyptios effundere, effundet Antiochus in Iudeos, templumque corum, quod hīc vocatur *testamentum sanctuarij*, id est sanctuarium testamenti, seu sanctum templum, in quo seruabatur testamentum, id est, lex & tabulae legis. Est hypallage.

Moraliter disce hīc in Antiochis & Ptolemæis, quā regna sint varia & mutabilia. Ita Fortuna principum est aurea, sed vitrea. Hinc Fortuna aurea olim seruabatur in Imperatorum cubiculis, quasi regni fatum. Hanc Seuerus Imp. moriens in duos filios ita diuidi iussit, vt alternis esset apud vtrumque, ita Spartan. in Seuero. Ita Antoninus Pius moriens, ait Capitolin. M. Antonio remp. & filiam presentibus prefectis commendauit, Fortunamq. auream que in principum cubiculo ponis solebat, transferri ad eum iussit. Merito Tacitus l.13. Nihil, ait, rerum mortalium tam instabile & fluxum est, quā potentia non sua vinixa. Nam Fortunam citius reperias quā reaines. Quocirca Romani coluerunt Fortunam. Viscatam, vt visco glutinoū eam illigarent, sibique firmam & constantem efficerent. Sed frustra vagam alliges. Nam, vt ait Philo libr. *Quod Deus sit immutabilis: Umbra, aut aura est, antequam subsistat pretercurrans. Accedit & recedit, euripis & estibus maris similis.* Fortune obsequantis pullus fuit Scruius Tullius, ex seruo factus rex Rom. qui prædicabat sibi familiarē esse deam Fortunam, eamq; per fenestram in cubiculum ad se delabi, ideoque in Capitolio Fortune Primigeniam & obsequentem dedicauit, ait Plutarch. in Fortune Rom. sed Fortune nimum quem fouet stultum facit, ait Epictetus.

ET COGITABIT ADVERSVM EOS, QVI DE RELIQVERVNT TESTAMENTVM SANCTVARIJ]

A Nota. Iudæi nonnulli proditores Antiochum contra ciues, & patriam ac legem suam accerserunt, sed illos postea foedifragos foedifragè pariter in exilium egit vel sustulit Antiochus: tales fuerunt Simon, Ialon, Menelatis, de quibus 2. Machab. 4. & sequent.

ET BRACHIA EX EO STABVNT] Brachia hæc sunt duces & principes, quos Antiochus post biennium ingressus sui in Ierusalem, misit in Iudeam, vt tributa exigerent, qui magis affixerunt Iudeos quā Antiochus affixerat, i. Machab. 1. 30. & 53. hi profanarunt sanctuarium fortitudinis, id est templum Dei omnipotentis & fortissimi. Vide cap. 8. vers. 10. & 11. Secundò, fortitudinis, quia templum munitissimum erat instat arcis; & quia contra hostes invisibilis orantibus in eo, Deumque inuocantibus, firmissimum erat asylum, pariter & præsidium.

ET DABVNT, id est ponent, ABOMINATIO-
NEM, id est simulacrum Iouis Olympij, IN DESO-
LATIONEM, id est, in templo desolato & profana-
to, ad omnimodā eius desolationem. Vide 2. Ma-
chab. 6. v. 1. & 2. Hebr. est, dabunt abominationem de-
solationis, id est, ponēt in templo idolatri Ioui, quod
desolati suisque sacris destituti templi erit signum
pariter & causa. Vatabl. vertit, dabunt abominationem
vastatoris, id est Antiochi, vel stupefacentem, hoc est
quæ reddet homines stupentes & attonitos.

Nota. Hebræi idolum vocant abominationem, id est, rem summè abominabilem.

ET IMPII IN TESTAMENTVM SIMVLABVNT] q.d. Nonnulli ex perfidis Iudeis simulantes se diuini cultus & testamenti, id est legis, amore flagrare, populum, patriam & religionem Antiocho prædant, vii paulò antè dixi. Vide 1. Machab. 1. 12.

POPVLVS SCIENS DÉVM OBTINEBIT, ET
FACIET] Hebr. est, populus sciens Deum roborabit, scilicet cor suum; & faciet, id est viriliter aget, atque constanter ad ultimum vitæ halitum auitam reli-
gionem retinebit, vincetque tyrannum, non pu-
gnando, sed moriendo: ita enim Antiochus se à se-
ptem illis fratribus, cùm iam morentur, irrisum
esse indoluit, 2. Machab. 7. v. 2. 4. & 39.

ET DOCTI IN POPVLLO] Quos v. præced. voca-
uit populum scientem Deum suum, nunc doctos
appellat; qui enim Deum bene nouit, san-
cteque colit, is doctissimus est: callet enim scien-
tiā sanctorum, q.d. Pij Iudæi, quales præ ceteris
fuerunt Mathathias, Eleazarus, aliisque, præser-
tim sacerdotes & Scribæ; hi resistent Antiocho;
D suisque docebunt tum verbo, tum potius exem-
pli, fortiter stare in lege patria, ideoque extrema-
que ab eo patientur, adeò vt solo triduo occi-
sa sint ab Antiocho Iudeorum 80. millia, 40. millia
vincita, totidem venumdata, vt dicitur 2. Machab.
5. 14. vnde sequitur:

ET RVENT IN GLADIO, ET IN FLAMMA, ET
IN CAPTIVITATE, ET IN RAPINA DIERVM] Rapinam dierum vocat deprædationem bonorum, quā aliquot dies, id est annos, ab Antiocho passi sunt Iudæi. Audi Ioseph. 12. Antiq. Quotidie, ait, necabantur crudelissimis torti cruciatibus. Nam flagris vehementer cæsi, & corpore lacerati, viui etiamnum spirantesque suffigebantur cruci-
bus; vxores item, & circumcisos liberos strangula-
bant, & suspendebant à crucifixorum parentum
ceruicibus.

VERS. 31.

VERS. 34. CVMQUE CORRVERINT (Iudæi) SVBLEVA-
BVNTVR AVXILIO PARVULO] parvula manu,
paruis copijs Iudæ Machabæi, & siatrum eius, qui
maximos Antiochi exercitus Dei ope sèpè pro-
strauerunt, cui tamen multi fraudulenter se iunxe-
runt: hoc est enim quod sequitur, Et applicabun-
tur eis (Iudæi) plurimi fraudulenter. multi enī Iu-
dæi Machabæi liberatoribus suis inuidentes glo-
riam; eis infidias tetenderunt. Hinc patet perpe-
rat aliquos Hebreorum apud S. Hieron. haec re-
ferre ad Julianum Apostatam, qui Iudæos fidè
adiuuit, vt per eos deprimere Christianos. Sed au-
xilium hoc fuit patuolum & patui temporis: nam
ex contextu totius orationis liquet hæc pertinere
ad Antiochum & Machabæos, non ad Julianum.

VERS. 35. ET DE ERVITIS (scientibus Deum, vt dixit
v.32.) RVENT. In Hebreo pulchra est patronoma-
gia inter מְשֻׁלָּחַ m'shulach, id est doctos, &
אֵלֶיךָ' iichselu, id est corrident: doctorum enim est
cadere, non animo, sed corpore; non peccando,
sed fortiter pro lege Dei moriendo. Quare minus
recte vertit Arabicus, & desapientibus subuententur
cum perquisierint eos.

ET CONFLENTVR, id est, tamquam aurum in
igne coquantur, vt probentur & purgantur. Hoc
enim est Hebr. טְהָרָת tsaraph: ET ELIGANTVR
Hebr. לְבָרֵר lebarer, apte vertas. & purgantur; se-
quuntur enim, Et dealbentur. Noster vertit, elegantur:
quia quæ purgata sunt, ab impuris feligi & eligi
solent; vt aurum in fornace eligitur à scoria. Un-
de Hebr. barer, & purgare, & purgatum feligere,
significat. Sicut ergo aurum in fornace vi ignis
Primò, conflatur & coquuntur; Secundò, purgatur
& feligitur; Tertiò, nitescit & splendescit: sic iu-
stus in tribulatione per eam Primò, agitatur & co-
quuntur; Secundò, probatur, purgatur & feligitur;
Tertiò, albescit & splendescit. Itaque

ET ELIGANTVR] scilicet ad martyrium, & in-
signem gratiam ac gloriam; q.d. Deus permettit
tantam Antiochi persecutionem & stragem, vt
electi eius in diuinis rebus erudit, in ea quasi for-
nace bulliant, purgantur, enitecant & glorificer-
tur. Quod enim est ignis auro, lima ferro, ventilabrum tri-
plico, lixiuum panno, sal carni; hoc viris iustis est tribula-
tio. Videtur cauterium esse vulnus, sed est reme-
diū vulneris: ita vexatio malum esse videtur, sed
reuera malorum est remedium. Hoc est quod ait
Malach. cap. 3. 3. Deus, inquit, quasi ignis conflans, &
quasi herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans
argentum, & purgabit filios Levi, & colabit eos quasi au-
rum, & quasi argentum; & erunt Domino offerentes sa-
cerdicia in iustitia. Tradunt Alchymistæ mira de suo
lapide philosophico, scilicet eius ac ignis virtute
argentum viuum & metallum in aurum conuerti.
Malum id credere speculatiuè, quam practicè ex-
periri. Scio enim alchymiam multos diuites olim,
ad pauperiem redigisse. Verum mysticè id verissi-
mum est: lapis enim philosophicus est patientia,
quaे tribulationes omnes conuerit in aurum, id
est in consolationes, opes, & gloriam præsentem
& æternam. Rursum tribulatio in iusto consumit
omnes affectiones carnales, & quidquid in eo ter-
renum est & fæculentum; vt fiat purus, subtilis
spiritualis, cælestis & diuinus. Ad hoc excoquuntur ho-
mines tribulationibus, vt vasa electionis evacuentur ne-
quitia, & impleantur gratia, ait S. August. in Sen-
tent. num. 204. Ita pauperem Lazarum prouexit ad
Philosophiam paupertas, ad virtutem dolor. contemptus

A ad patientiam, inquit Chrysost. serm. 124. Tria, inquit Aulonius, commendatione non indigent, vt probentur vel improventur: sapiens oratio, cum profertur: bonum vinum, cum bibitur: vir bonus in calamitatibus. Pulchritudine S. August. in psalm. 52. Quo pungeris, inquit, inde nascitur rosa, qua coroneris. Sicut ergo è spinis rosa, sic è tribulationibus oritur consolatio. Quocirca idem August. in Sentent. n. 23. Iusto, ait, Dei iudicio datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius perse-
quantur, vt qui spiritu Dei aguntur, fiant per laborum exercita clariiores. De tribulationum utilitate multa dixi Genes. 33. in fine.

Allegoricè, hæc Antiochi persecutio, & Ma-
chabæorum patientia & constantia, typus fuit per-
secutionum decem Imperatorum, Persarum, Go-
thorum, & hæreticorum; ac Christianorum in eis
constantiae & triumphorum.

B Prima fuit Neronis circa annum Domini 68. Exempla
quo Roma incensa est & exusta: cuius occasionem Nero Imp. in peregrinos, Christianos & Iudeos Persecutio prima No-
relicet, & repente quæstione habita eius iussu cru-
deliter in eos saevitum est. Addebatur pereun-
tibus ludibria, vt ferarum tergis tecti canum la-
siatu interirent, aut crucibus affixi, aut flamman-
di; atque ubi defecisset dies, in usum nocturni lu-
minis ijs vterentur. Persecutio hæc prima in Chri-
stianos fuit Romæ: deinde per omnes prouincias
parti saevitia graffata est. ita Baronius tom. 1. an. 68.
ex Scuero lib. 2. histor.

C Domitianus Imp. in sceleratam Neroniani in Deum odij & impictatis hereditatem succedit. Secundus namque fuit, qui contra Christianos persecutionis incendium excitauit. Ipse enim Io-
annem Euangelistam de Epheso adduci iussit in Urbe, & in dolium feruentis olei mitri præcepit ante portam Latinam: ex quo cum illæsus exiret, eum in Pathmon insulam relegavit. ita Eusebius Cæsar. libr. 3. Eccles. hist. c. 13. Ioan. Naucler. vol. 2. gener. 3. Baron. anno Christi 93. tom. 1.

D Anno Christi 300. Diocletianus in Oriente, Maximianus vero Herculeus in Occidente, per-
secutionem decimam post Neronem exercuerunt in Christianos, quæ ceteris omnibus seuerior per decem annos & amplius Ecclesiam afflixit in-
cessanter: & quamvis antea semper Christianos persequerentur, tamen 19. anno imperij Diocle-
tiani tam crudelis, tam læua persecutio flagravit, vt intra unum mensem 17. millia martyrum inue-
niantur perpesta. Exiit enim edictum, vt cunctæ quæ erant in orbe ecclesiæ ad solum diruerentur,
& sacrae Scripturæ vbique igni comburerentur, omnesque qui Ecclesijs præsident, in vinculis po-
nerentur, ac deinde exquisitis supplicijs immola-
re dijs cogerentur. Rapiebant itaque, vt ait Euse-
bius, omnes Ecclesiarij principes, & sanctos Cle-
ricos, nobiles & ignobiles, viros ac mulieres vna
cum pueris: & varijs, inauditis ac crudelioribus, vt
excogitare poterant, supplicijs excruciant: ex
quibus nonnulli fatigati cedebant, alij usque ad
finem patientiam feruabant. ita Ioan. Naucler.
vol. 2. chronograph. gener. 11. ex Eusebio. Ex
hisce tribus persecutionibus disce quales fuerint ceteræ septem.

E Anno Christi Domini 420. Isdegerdes Persarū rex persecutionem contra Ecclesiam concitauit, occasione ex re gesta, quam sum narraturus, arre-
pta. Audas Episcopus, vir multis virtutis generi-
bus ornatus, zelo non opportuno illo quidem ac-
confus,

Tribulatio
est anima
dealbatio,
purgatio &
eleccio.

Morale, de
constanza
fidelium in
persecutio-
ne.

census, Pyreum demolitus est. Templa enim, in quibus ~~erat~~, id est ignis corum deus colitur, Pyrea vocat Perlae. De quo rex per magos certior factus, Audam accersit: ac primùm placidè eum coar-guit, ac Pyreum denuò ædificare iubet. Qui cùm ei contradiceret, negaretque se illud facturum; rex omnes ecclesias Christianorum se diruturum minatur, atque re ipsa perfecit. Nam vt primùm Audam diuinum illum virum trucidari mandauerat, ecclesias deturbari iussit. Quæ procella triginta annos continuos, à magis velut à quibusdam turbinibus agitata, durauit.

Gororanes,

Porro Gororanes filius Isdegerdis, vt regni paterni, sic belli contra pietatem à patre commoti successor extitit, quippe pater motiens hæc duo coniuncta filio reliquit. Tormentorum autem genera, & noua cruciamenta pijs hominibus ab illis inficta, vix enarrari possunt. Nam quorundam manibus, aliorum autem tergis corium detrahunt: aliorū capita à frōte exorsi ad barbam usque cute exiunt: deinde robustis vinculis à capite usque ad pedes circumligant, & singulos calamis vi arctè constringunt, vt partem cutis, ad quam mortæ erāt arundines, eo pacto grauiter lacerantes, acrioris doloris morsus efficerent. Quin etiam lacus effodiunt, eos summa cum diligentia iungunt, deinde ingentem soricinum numerum in eos concludunt: postremò pietatis athletas, eorum manibus pedibusque constrictis, ne bestias abigant, soricibus velut alimentum obiciunt. Sorices autem fame oppressi lensim carnes Sanctorum absument, sicque diuturnum & acerbum cruciatum illis afflunt. Sed tamen ne eo quidem modo athletarum fortitudinem & constantiam retundere potuerūt. Nam sua sponte accurrebant magno desiderio mortis oppetenda, per quam aditus ad vitam immortalem patefit, inflammati. ita Theodore, lib. 5. Ecclesiast. c. 39.

Arrianorum,

B. Fulgentius Episcopus Rupensis cuius opera doctissima extant, cùm prius Mauros fugisset persequentes, incidit in Arrianos: quorum crudelitatem immanem expertus, ad vicina prouinciae suæ loca regreditur, eligens Mauros potius Paganos habere vicinos, quām molestissimos Arrianos. ita habet auctor Vitæ eius.

Constantini,
Copronymi,

Circa annum Domini 770. sub Constantino Copronymo Iconomacho, monachi quadraginta duo truncatis naribus, barbisque illitis pīce combustis, in balnei fornice clausi, ibique fame consumpti martyrio coronati sunt, vt habet Chronic. Sigeberti anno Domini 770. & Martyrol. Romanum 12. Ianuarij.

Macedonij,

Macedonius hæresiarcha sub Constantio Imp. Catholicos inaudito tormentorū genere cruciatos occidit. Inter cetera, fidelium mulierum vbera inter labra arcarū compressa dissecuit, & carenti ferro combussit. ita Martyrol. Roman. 30. Martij.

Eutychian.

Eutychistæ Alexandrini statim post mortem Marciani Imp. Catholicæ, Proterium Episcopum & Patriarcham suum Catholicum cum alijs Clericis tanta crudelitate occiderunt, vt viscera eius gustarent, & crudas carnes comedenter, reliquum corpus per plateas urbis trahentes. ita Euagr. lib. 2. Historiæ Ecclesiast. cap. 9. Plura vide apud nostrum d'Aurout in Catech. cap. de fidel. persecut.

Caluinista-
rum.

Hæc veteres, quibus non cessere nostri hoc æ. uo vel in crudelitate carnifices, vel in constantia Martyres Angliae, Galliae & Belgij, vt patet ex

A Theatro hæreticæ crudelitatis. Audi vnum illustre è multis.

Delphis Batauiæ urbe Cornelius Musius captus est, & iussu Guilielmi Principis Auriaci sic varie est excruciatus: altissimæ scalæ manibus vindictis est appensus, & ad pedes intolerabile pondus alligatum, vt compages omnes laxarentur: inde ardentiibus tedis ambustæ axillæ. Mox resupinus constringitur, aqua feruens ori infunditur, eaquo totus venter oppletur, quem sic fustibus deinde tundunt, vt ex omnibus corporis foraminibus illa tota efflueret. Postea capite deorsum verso ex duobus pedum maioribus digitis appenditur: inde truncatis manuum pedumque digitis, per niuem sanguine proprio cruentatam in urbem Lugdunum Batauorum raptatur, atque ita demum post tot supplicia laqueo suspenditur. ita Annales Belgici, & ex ijs Thomas Bozius tom. 1. de Signis Ecclesiast. libr. 1. cap. 1.

VSQVE AD TEMPVS PRÆFINITVM, donec transeat hæc tempestas, cœlestisque tempore à Deo præfinito: QVIA ADHV C ALIVD TEMPVS ERIT] scilicet quietis & gaudij post tot luctus & funera: q.d. Agite, sperate, post nubila Phebus. Hebr. est, usque in finem temporis, quia adhuc in tempus constitutum (persecutio durabit) q.d. Hæc persecutio non prius cessabit, quām tempus puniendis, probandis & purgandis Iudeis à Deo præscriptum præterierit.

Moraliter hæc multa docemur. Primo, hasce afflictiones Iudeis, alijsque fidelibus non temere, sed Dei iudicio & consilio eueniunt. Secundo, Deum non sine modo & fine homines in hac vita punire, sed certum iræ suæ terminum ponere. Tertio, homines cùm à Deo iudicantur, vt ait S. Paulus, à Domino coripi, ne cùm hoc mundo damnentur. Quartò, homines non solum in altera, sed etiam in hac vita purgari. ita Maldon.

Præclarè S. Basilii hom. 11. de Patientia: Sicut, ait gubernatorem nauis tempestas, athletam stadii, militem acies, magnarium calamitas, sic Christianum hominem tentatio probat. Et sicut athletas certaminum labores coronis ad se alliciunt, ita etiam homines Christianos probatio, quæ ex temptationibus descendit, ad perfectiōnem dicit, si cum decenti tolerantia, ac omni gratiarum actione, ea quæ à Domino ordinantur suscepimus. Pater es? ne animum abiicias, sed omnem spem tuam in Domino ponito. Non enim ille non cernit angustiam, est illi cibis in manibus; sed tamen exhibitionem producit, vt constantiam tuam probet. Et paulò inferius: In morte eis latè fert: quia quem Dominus in oculis fert, eum castigat. Pauper es? exulta: quoniam ea bona in te confarentur, que quondam in Lazarum. Ignominia afficeris ob nomen Christi? ô beatum tel! quia ignominia tua in angelis gloriam commutabitur. Seruus es? è gratias tamen & sic agito: habes enim longè te inferiorem: gratias, inquam, agito, quod vnum prætereas, quodq; in pistrinum coniectus non sis, denique quod flagris non cederis. In iustè tibi compedes indit, & sunt? spe rerum futurarum te sustenta. Iustè condemnatus es? etiam si gratias habeto. Subiicit exempla: Periclis, qui verberantem se domum cum lumine deduxit: Socratis, qui cæderis se nomen fronti suæ inscripsit: Euclidis, qui minanti sibi mortem, iurauit se cum placaturum, & ex hoste amicum effecturum.

36. Et faciet iuxta voluntatem suam rex, & eleuabitur, & magnificabitur aduersus

versus omnem deum : & aduersus Deum deorum loquetur magnifica , & dirigeatur, donec compleatur iracundia: perpetrata quippe est definitio.

37. Et Deum patrum suorum nō reputabit : & erit in concupiscentijs feminatum , nec quēquam deorum curabit: quia aduersum vniuersa consurget.

38. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur : & Deum, quem ignorauerunt patres eius, colet auro & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis.

37. Et faciet ut muniat Maozim cum Deo alieno, quem cognouit, & multiplicabit gloriam; & dabit eis potestatem in multis, & terram diuidet gratuitō.

VERS. 36. **E**T FACIET] Hæc & quæ deinceps sequuntur vsque ad finē capitū, Illyricus accipit de Papa Romano, vt pote quem ipse afferit esse Antichristum: sed hoc ita insulsum est, vt etiā Caluino displicuerit. Secūdo, Caluinus accipit hæc de rege, id est de regno Romanorum, quod fuit ante & vsque ad Christum: Romani enim Gentiles in imperio illo suo amplio & superbo deos & idola nō nisi ad speciem, reuera autē tantum vnum Deum Maozim, id est virtutem suam, prudentiam & fortunā bellicam coluerunt ; vti etiam in faciunt reges & principes infideles & politici, qui dicunt:

Dextra mihi Deus est, & telum quod missile libro.

Vide dicta Ezech.29.3. Mars ergo, & arma fuerūt eis Deus Maozim: sensim enim ab imperijs & regibus ad Christum Regem regum, de quo cap. sequenti, suo more descendit Daniel. Verūm hoc quoque tortum & violentum est, vt patet : non enim agit hīc angelus de Romanis, sed de Antiocho & Antichristo. Tertiō, ergo Catholici, & iam, & olim teste S. Hieron. & Theodor. docēt hīc agi non de Antiocho, sed de Antichristo, Antiochi antitypo : ad Antichristum enim more propheticō auolare hīc angelum : nam de eo agit disertē cap. sequenti v.1. & 2.

Verūm dico cum S. Chrysost. & Maldon. angelus hīc vti coepit, ita & pergit in gestis Antiochi recensendis, vt patet ex ipsa horum versuum connexione & contextu; sed ita, vt ea tātūm obiter & leuiter perstringat, potiusque ad ea, quasi ad typum parabolicē alludat, quā ea exactē describat : reuebra autē sub specie Antiochi describit Antichristū, eiusque mores. Sic Christus Matth.24.25. ab excidio Ierusalem per Titum, transit & auolat ad excidium orbis. Sic Isaías c.14. agit de rege Babylonis, quasi de Luciferō: vnde quādā affert quā magis regi, quādam quāe magis ipsi Luciferō conueniunt. vide can.4. Id ita esse patebit in sequent.

ET DIRIGETVR] Hebr. וְלֹא vait sliach, id est, & proferabitur, q. d. Deum ipsum quodammodo vincet Antiochus, & post eum Antichristus, non fuis viribus; sed quia Deus se, propter peccata populi, vinci patietur, vt dictum est c.8.v.10. Vide & 2.Machab.6.v.12.

DONEC COMPLEATVR IRACUNDIA, donec ira Dei, populi sui peccatis offensi, satietur, donec Deus compleat indignationem & vindictā suam; quo facto incipiet vicissim sauire in tam immorta tum Antiochi, tum magis Antichristi, cuius

A is fuit typus, scelera. Nam PERPETRATA, id est facta & decreta, EST apud Deum hæc DEFINITIO] Id est, hæc certa temporis præscriptio: q.d. Hoc tempus in præscientia & prædestinatione Dei, eius punitioni præfinitum est.

ET DEUM PATRVM SVORVM NON REPUTABIT] Non quōd Antiochus deos patrios non coluerit: ad eos enim colendum compulit Iudeos; sed quōd Iudæorū Deum spreuerit & persecutus sit, quem tamen maiores eius Syriæ reges ita venerati fuerant, vt quamvis adhuc idola retinerent, tamen Hierosolymitanum templum multis donis ornarent, & sumptu ad sacrificia suppeditarent, vt patet 2.Machab.3.v.2. ita ex Polychronio & Hugone Cardin. Maldon.

Secundō, & propriè Antiochus, vt pote superbissimus, parui fecit deos patrum suorum, vt mox B dicam. Verius hoc erit in Antichristo, qui in templo sedebit, voletq; coli ut Deus. De Antichristo eiusq; doctrina, moribus, imperio, miraculis, &c. multa dixi 2.Thessal.2. Ea ergo hīc non repetā.

ET ERIT IN CONCUPISCENTIJS FEMINARVM] Antiochus enim publicē mīmis & scortis miscebarūt, inquit S.Hieron, adeoque vni concubinæ suæ dono dedit Mallotas & Tarlenses populos, vt patet 2.Machab.4.30. ita Theodor.

Nota. In Hebræo hæc sequentibus iungi possunt, itaque contrariè verti cum Septuag. & in concupiscentiam feminarum, & super omnem Deum non intelliget (Syrus, non considerabit) quia super omnes magnificabitur. Possunt etiam præcedentibus iungi, itaque verti cum Vatablo, non curabit etiam deos patrum suorum, nec mulierum concupiscentiam. Quod Primō, sic S.Hieron. & alij exponunt, q.d. Antichristus licet occulte spurcissimus sit futurus; exterius tamen magnam præ se feret castitatem, & simulabit se se castum. illud. Si non castè, saltem cautè.

Secundō, & aptiūs, q.d. Antiochus & Antichristus, etiā mulierosi erunt, tamen ambitio eorum & crudelitas superabit luxuriam, adeo ut nec mulieres, nec deos sint curatur, quando agetur de honore & imperio dilatando, vti dixi de Pompeio, Cæsare & Antonio c.2.43. Quinimò adeo crudelis erunt, vt ne feminarum quidem, quibus in bello parci solet, rationem habeant: ita enim mulieres Iudæas æquè ac viros necauit Antiochus, vt patet 2.Machab.5.1.3. ita Maldon.

Verūm noster Interpres aptiūs & verius hæc disiungit & dispūgit, vertitq; affirmatiū, & erit in concupiscentijs feminarum: quia certum est Antichristum fuisse mulierosum etiam publicē; & magis mulierosum fore Antichristum. Vnde & Iudæi inter alia terræ bona, etiam multitudinem vxorum ab hoc suo Messia expectant. Hinc & Arabicus vterque vertit, & faciet secundū voluntatem suam cum mulieribus.

Quare insulse, vel ipso Caluino assertore, Illyricus hæc refert ad cælibatum Clericis ab Ecclesia indictum, quasi hoc sit dogma & sanctio Antichristi, id est Papæ, vt ipse fingit.

NEC QVEMQVAM DEORVM CVRABIT] Hæc verba tenuiter conueniunt Antiocho; tum quia ipse Deum Iudæorum, qui solus verè est Deus, non curauit, sed hostiliter persecutus est, ita Maldonat, quasi angelus hīc opponat omnes falsos deos Deo vero, vt qui eum non curat, nullū Deum curare dicendus sit. tum potius, quia ipse superbia

Antiochus
mulierosi.

Antichri-
sus mulie-
rosus simu-
labit tamen

labit tamen

bia tumens parui deos suos fecit, plusque sibi suis que viribus, quam diis ipsis attribuit, putans se a nomine pendere, atque instar Dei posse ad libitum dominari, non tantum hominibus, sed etiam mari & montibus, vti dicitur 2. Machab. 9.8. sic enim politici & athei nullum Detum curant, immo negant omne numen. Quod ergo Antiochus in templo Iudeorum poni iussit statuam Iotis Olympij, id non tam religione & studio Iotis, quam ad profanandum Iudeorum templum, Deique cultum euertendum fecit.

Verum plenè & perfectè hæc competit Antichristo, vii mox dicam.

VERS. 38.

DEVM AVTEM MAOZIM IN LOCO SVO VENERABITVR] Imperite Porphyrius, ait S. Hieron. Maozim putauit esse Modin, quæ fuit patria Mathathiae & Machabæorum. Nota Maozim hebr. significat fortitudines, arcus, præsidia, vti vertit Theodotion, Aquila, Syrus, Arabicus, Vatabl. & alij: itaque accipit Noster v. sequenti; Symmachus vertit, *confugia*. Antiochus ergo in Ierusalem extruxit arcem, in eaque & alijs ciuitatibus valida posuit præsidia, quæ hebr. vocata sunt Maozim: indeque Iouem Olympium, illorum tutelarem, vocavit Deum Maozim, quasi dicas, Deum munitiōnum, quem ab omnibus Iudeis coli voluit: Iupiter enim apud Gentiles erat deorum princeps & potentissimus.

Clarissimum hoc & verius erit in Antichristo: ille enim licet ceteros deos contemnet, tamē viuum diabolum sibi familiarem priuatim venerabitur; nomine Maozim, quasi fortem & potentem Deum, qui omnia sibi subiicit: huic ipse imperium suum acceptum referet. Vnde Theodot. vertit, glorificabit Maozim, id est nominabit & celebrabit Deum Maozim, quasi fortem & potentem suum in bellis ducent, victorem & triumphatorem. Antichristus ergo colet Maozim, vti Romani Martem; immo Marinus in Lexico censet Maozim esse Martem. Dēmō ergo nomine & titulo Maozim vel Martis volet colii ab Antichristo; idque ut hoc nomen quod in Script. Deo tribuitur, sibi arroget, Deoq; adimat. Deus enim in Script. à Sanctis vocatur & inuocatur Maoz, id est robur, fortitudo, vis ut psal. 42. 2. *Quia tu es Deus fortitudo mea, hebr. Maoz.* 2. Reg. 22. 33. Deus qui accinxit me fortitudine, hebr. maoz. Prou. 10. 29. Fortitudo (hebr. maoz) simplicis via Domini. Et c. 18. 10. Turris fortissima (hebr. oz, idem quoad maoz) nomen Domini: ad ipsum currit iustus, & exaltabitur. Psal. 26. 1. Dominus protector (hebr. maoz) vita mea, & quo trepidabo? Psal. 36. 29. Salus autem iustorum à Domino: & protector (hebr. maoz, id est fortitudo, fortis defensor) eorum in tempore tribulationis. Porro honoris causa Antichristus sunm dæmonē, non in singulari Maoz, sed in plurali Maozim, vocabit: quia ab eo plurimū roboris, plurimas vires, immo omnes opes, omnem sapientiam, omnes dolos, omnem blandiloquentiam, omnem pompan, omne suum bonū accipiet. Hæc enim omnia hebr. vocantur Maoz, vel Maozim; quia ea possidentem faciunt fortem & potentem. Sic Deum ob excellentiam, Hebrei in plurali vocant Elohim, & Adonai, & El sabaoth, id est Deus virtutum vel exercituum.

Aliter Theodor. Deum enim Maozim putat vocari Antichristum, qui se ut fortē & potentem (hoc enim est Maozim) ab omnibus adorari faciet.

Ex hoc ergo v. & ex v. præced. colligitur Primò. Antichristum fore atheum, cumque cum pleno

A potietur imperio, non tantum Christum & idola, sed & Dei veri nomen & cultum ablaturum: Secundò, quod ipse solus publicè coli volet ut Deus, idem patet 2. Thessal. 2. 4. vt ibi dixi: Tertiò, quod tamen occultè dæmonē suum colet, nomine Maozim. Vnde patet quam insulsè Nouantes calumniantur, dum asserunt Papam Rom. esse Antichristum: nil enim horum fecerunt, aut faciunt Papæ.

Tradit Hippolytus l. de Consum. saeculi, quod Antichristus suos legatos, tum homines, tum dæmones toto orbe mittet, qui dicent, *Magnus rex natus est super terram, venite omnes ad eum adorandum: properate omnes ad spectandas vires potentie eius. En vobis ille prestatibit frumentum, vinum largietur; opes pretiosas, & sublimes dignitates prestat. Eius namq; imperio omnis terra mareque obtemperat, ad illum omnes accedite. Quibus venientibus eadē confirmabit Antichristus sua blandiloquentia. Assistent, inquit, præterea ipsi dæmones, splendentium angelorum speciem referentes, eumq; diuinis laudibus & honoribus celebrantes, & aliquando in celum euehentes, deinde ingenti pompa, & spectantium stupore, de celo in terras deducentes. Hæc singula ex Antichristi fastu & familiaritate cum dæmonibus probabiliter supicari & coniungere licet: at certò asserere non possumus. Nihil enim de his expressum & reuelatum habemus.*

Ex dictis patet, minus recte Arabicum vertere contrarie, repetendo nec, quod præcessit, hoc modo, nec Deum fortē in habitaculo suo honorabit.

ET DEVM QVEM IGNORAVERUNT PATRES EIVS (Deum Maozim iam dictum) COLET AVROR] Licet enim patres eius coluerint Iouē Olympium, tamen non coluerunt eum hoc nomine Maozim, quo eum colet Antiochus. Maozim enim loco Dei veri substitut, quasi proprium Iudeæ templum Deum.

Aliter ex Hebreo vertunt, explicantque de Iudeis S. Hieron. & Maldon. sic. q.d. Deum quem non cognoverūt patres eius (Iudei scilicet prisci, & patriarchæ) vnumquemq; colere faciunt, hoc est, coget Antiochus omnes Iudeos adorare nouum Deum, & partibus incognitum, scilicet Iouem Olympium.

ET FACIET UT MUNIAT MAOZIM] vt muniat VERS. 39. arcus & præsidia sua. Maozim enim hīc est appellatiuum nomen, non proprium, quamquam & proprium esse possit. Verisimile enim est Antichristū habiturum occultum aliquem locum idioli sui, quæ ab idolo, & à munitione vocabit Maozim.

CVM DEO ALIENO] Primò, sensus est, q.d. Ope Dei alieni, putā diaboli Maozim, id est fortitudinum. Secundò & aptius, q.d. Antiochus, ut præsidia Iudeæ magis firmet, sibi que assecuret; ponet in singulis urbibus deos alienos, putā idola; ut scilicet hac ratione Iudei cum religione legem & regem mutent, fiantque Gentiles, & Gentilem Antiochum ament & colant: id enim eum facisse patet 1. Machab. 1. 57. Sic in templo Hierosolymitanō posuit statuam Iouis Olympij, quo voluit urbem caput regni, perinde ac Romanum Iouē Capitolino muniti. ita Maldon. Ita Ierooboam timens, ne populus ad templum & ad Roboam rediret, vitulos aureos constituit in Dan & Bethel. Ita qui prinii tumultus hos Belgicos suscitauit, hærelim induxerunt; ne populus religione & conscientia motus, ad suum principem rediret. Huic sensu faciet versio Arabica Alexandr. & incumbens in imagine fortis super deos fortes, vel glorioſos;

Maozim,
quid?Antichri-
stus colet
diabolum
suum Mao-
zim.Antichri-
stus atheus
vt Deus
volat.

aliter Syrus, & transbit in oppida fortia super deos alienos, ut videat, & dominetur in multis.

ET MVLTIPLICABIT GLORIAM] Iudeis scilicet, qui cum sequi, ac Iouem Olympium à se eretum colere volent: vnde clarè vertit Vatabl. quem (Deum Maozim) qui agnoverit, eum honoribus augebit, & dominum multorum faciet, tam Antiochus, quam Antichristus.

ET TERRAM DIVIDET GRATVITO] Hebr. est, terram diuidet pretio, id est mercedem iniquitatis & idolatriæ, diuidet eam suis affeclis.

40. Et in tempore præfinito præliabitur aduersus eum rex Austri, & quasi tēpestas veniet contra illum rex Aquilonis in curribus & in equitibus, & in classe magna, & ingredietur terras, & conteret & pertransiat.

41. Et introibit in terram gloriosam, & multæ corrueunt: hæ autem solæ salubuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon.

42. Et mittet manum suam in terras: & terra Ægypti non effugiet.

43. Et dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyam quoque & Æthiopiam transibit.

44. Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone: & veniet in multitudine magna vt conterat & interficiat plurimos.

45. Et figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum: & veniet usque ad summitem eius, & nemo auxiliabitur ei.

VERS.40. ET IN TEMPORE PRÆFINITO PRALIABITVR ADVERSVS EVM REX AVSTRI] Pro præliabitur hebr. est ἡτονοῦς itnaggach, id est cornutabit, cornu petet, vti cornutantarietes: q.d. Irritabit Antiochum Ptol. Philometor rex Ægypti. Redit h̄c angelus ad bellum Antiochi cum Ptol. Philometore, quando scilicet secundam expeditionem in Ægyptum Antiochus suscepit, eamque intus magno exercitu, vti dictum est v.29. cō enim redit, ibique dicta refricat & confirmat. ita ex Polychronio & Hugone Maldon.

Antichristi regia erit Ierusalem.
Antichristus tres reges debellabit, mox reliqui se ei subdentes.

Verū S.Hieron. & veteres passim, hæc plenius & verius accipiunt de Antichristo: ipse enim erit rex Aquilonis, id est, Iudeæ & Syriæ tyrānus: regia enim eius erit Ierusalem; quare in eodem loco regnabit, in quo regnauit eius præcursor Antiochus: vnde per eum, quasi in eodem regno successorem; hæc continuat & terminat angelus historiam Antiochi & Seleucidarum. Porro Antichristus regem Austri, id est regem Ægypti, Æthiopiæ & Libyæ (sic enim se explicat angelus, & hosce nominat v.42. & 43.) primùm debellabit: qua strage territi reliqui reges septem ex deceni tunc futuris, Antichristo se subdentes, vti dixi cap.7. v.8. & 20. Cur Aquilo notet Antichristum & impios, dixi Ierem. i.v.13. & 14.

ET INTROIBIT IN TERRAM GLORIOSAM] putat in Iudæam, que hebr. dicitur יְהוָה תִּשְׁבֹ, id est

A terra glorioſa & inclyta. Causam dedi cap.8.9.

HÆ AVTEM SOLÆ SALVABVNTVR] Perperam VERS.41
Arabicus habet, non salvabuntur; quia, vt ait S.Hieron. Antiochus festinans contra Ptolemaeum regem Austri, Idumæos, Moabitas & Ammonitas, qui ex latere Iudeæ erant, non tetigit; ne occupatus alio p. elio Ptolemaeum redideret fortiorum. Antichristus quoque Idumæam, & Moabitas, & filios Ammon, id est, Arabiam relinquit intactam; quia illuc sancti ad deserta confugient, & ad montes, & ad speluncas.

PRINCIPIVM FILIORVM AMMON] Principium græcè est δέκα, id est principatus. q.d. Principes, vel præcipui, siue potior & optima pars (Syrus, reliquum, vel reliquia) Ammonitarum, etiam effugiet & salvabitur. Similis catachresis est psal.109.3. Tecum principium (id est principatus) in die virtutis tuae. Sic & Hebr. נַעֲמָן reficit, non tantum principium, sed & primitia, præcipua & electa significat, vt patet 1.Reg.15.21. & Amos c.6.v.6. Theodor. putat Antichristum hasce gentes præteritum, cō quod sint futurae sceleratissimæ, & Antichristo addictissimæ: ac mysticè, Edom, inquit, significat rufum; Moab de patre, Ammon populum eius. Ergo significari h̄c, quod sequente Antichristo stabunt in fide cōstantes, ideoque salvabuntur illi, qui virtute sanguinis Christi purparati, & in populum eius cooptati, non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati fuerint. Verū hic mysticus sensus eius literali sensu contrariatur. Prior ergo S.Hieron. explicatio verior est.

ET MITTET MANVM SVAM IN TERRAS] An- VERS.42
tiochus enim non tantum Syriam, sed & multas alias regiones occupavit.

ET DOMINABITVR THESAVRORVM] Antio- VERS.43
chus enim Ægyptum spoliauit, vt dixit angelus v.24. & patet 1.Machab.20.

PER LIBYAM QVOQVE ET ÆTHIOPIAM TRANSIBIT] quasi victor & triumphator cas calando. Vnde Hebr. habent, Libyes & Æthiopes in gressibus eius, id est, gradietur super illos, illos gressibus suis premet & percalcabit. Sic Habacuc 3.12. dicitur: In fremitu concubabis terram. Et Iob c.18. v.14. Calcet super eum, quasi rex, interitus. Vbi alij vertunt, calcet super eum, quasi rex mortis, vel rex terrorum. Hinc videtur quod Antiochus spoliata Ægypto, in Libyam quoque & Æthiopiam Ægypto vicinas, prædandi causa excurrerit. Hæc veriora erunt in Antichristo. Vnde S.Hieron. Theodor. & alij ex hoc loco colligunt, tres reges ex decem, ab Antichristo superandos & occidendos, fore regem Libyæ, regem Ægypti, & regem Æthiopiarum.

ET FAMA TVRBABIT EVM AB ORIENTE] VERS.44
Fama, putat rumor de Iudeorum defectione & rebellione, turbabit Antiochum: Iudea enim est quasi ad Orientem Ægypti. Audi 2.Machab.5.11. suspicatus est rex (Antiochus) societatem deserturos Iudeos, & ob hoc profectus est ex Ægypto efferratis animis: ciuitatem quidem armis cepit: iussit autem militibus interficere, nec parcere occursum, & per domos ascendentibus trucidare. ita ex Polychronio Maldon.

Verius hoc erit in Antichristo, qui cū Ægyptios, Libyes & Æthiopes expugnauerit, audiens in Oriente & Aquilone cōtra se bella consurgere, cō se conuerteret, inquit S.Hieron. Esto fama hæc, vt folet, vero maior, & viribus eius minor sit futura. Nam, vt ait Ouid.9. Metamorph. Fama est,

que veris addere falsa
Gaudet, & è minimo sua per mendacia crescit,
præsertim

præfertim in belli & hostium rumoribus, vbi verum est illud,

Péior est bello timor ipse bellum.

VERS. 45. **E**T FIGET TABERNACULVM SVVM APADNO] Porphyrius censuit Apadno fuisse in monte Elymæo, qui situs est in Elymaide inter duo maria, id est flumina magna, putè inter Tigrim & Euphratem: ibi ergo posuisse tabernaculum suum Antiochium, cumque templum Diana ibidem spoliare vellet, ab incolis fugatum, moerore interisse. Verum metitò hoc rejecit S.Hieron. Hic enim mons non est sanctus, nec in Iudea, nec inter duo maria: flumina enim non sunt maria. Isdem rationibus refellitur quod alij quidam suspicuntur, Apadno esse *l^m padan*, id est Mesopotamiam, ita dictam, quod sit in medio duorum fluminum, Tigris & Euphratis, *padan* enim hebr. idem est quod par, vel geminum. Aut certè esse Babyloniem, quæ vicina est Mesopotamiae, vbi confluunt Tigris & Euphrates. Censent enim Antichristum Babylonem vel nasciturum, vel regnatum. Melius S.Heroni. Apadno, inquit, non est nomen proprium, sed appellativum, significans palatium suum, vel solium aut thronum suum, uti vertit Chalda. Ierem. 43.10. Vnde Vatablus vertit; & plantabit tabernacula palatiū suū inter duo maria; Symmachus verò & Septuag. rō Apadno omitunt. Significat ergo angelus, non quod Antiochus in Ierusalem aut Iudea palatium aedificatus sit; sed quod eam bello sit capturus: ponete enim tabernaculum suum in aliqua urbe, et bello eam capere; nomen enim tabernaculi castrense est. ita Maldon. Huc accedunt Syrus & Arabicus, qui pariter Apadno accipiunt ut nomen appellativum, deductum à Syro *l^m padan*, id est duo, par. Inde enim Mesopotamia habet. vocatur *Padan Aram*. q.d. Syria quæ inter duo flumina, scilicet Tigrim & Euphratem, interiacet. Vnde posset quis suspicari Apadno esse in Mesopotamia. Porro Syrus & Arabicus sic hunc locum vertunt, & figet tabernaculum suum in loco plana (pari, æquali) inter mare & montem, & iustodiet sanctitatem suam, & veniet tempus finis eius, & non erit illi adiutor.

Apadno erit prius locis soli, Apadno videtur esse prout nomen loci in Iudea, à solo Antichristi, quod ibi ipse collocabit, sic appellandi, vnde non tantum S.Heron. sed & Theodotion & Aquila vertunt, in Apadno; omnesque scribunt Apadno per maiuscolum A, quasi proprium sit loci. Marinus Brix. in Lexico putat Apadno alludere ad Ephod (ab eadem enim radice utrumque deriuatur) q.d. Ad instar Ephod pretiosum, ephodinum: fiet enim ex purpura, bysso, hyacintho, coco & gemmis, ut factum erat Ephod pontificis: quod Itali simile voce vocant, *Padiglione di seta & d'oro*. S.Heron. Apadno ponit iuxta Nicopolim, quæ prius Emanus dicebatur, vbi incipiunt montana Iudeæ, & ibi Apadno consignat Adrichomius in suis Tabulis geographicis.

Nomen Apadno necdū est inditum loco, sed in- detur tempore Antichristi. Verum ipsi videntur non ex veterum historia, atut chorographia; sed ex eo quod Daniel hic Apadno ponit inter duo maria, ibidem Apadno confignare. quare si cum ijs qui de solo Antichristo hæc intelligunt, Apadno accipias ut nomen proprium: aptius veriusque dicas, hæc nomina Maozim & Apadno, necdum esse indita suis locis, sed indenda fore tempore Antichristi ab euentu, quo

Cornelius in Danielum.

A ibi ipse collocabit, vel solium suum, vel idolum dæmonis sui Maozim. Pati modo locus vbi cedes tur Antichristus cum suis, necdum vocatur; sed tum vocabitur ab euentu, putà à clade Antichristi, Armageddon, id est excidium excidij, hoc est plenum excidium, horum, siue anathema, Apocal. 16.v.16.

ITER MARIA] Ita Hebr. Septuag. Aquila, Symmach. Theodot. & Biblia Latin. Romani licet Complut. legant, *inter duo maria*, videlicet in Iudea, & forte in Ierusalem, quæ sita est inter duo maria, scilicet iitter mare Mortuum, & mare Mediterraneum. ita S.Heron. & Theodor. Significat angelus Antiochum, & multò magis Antichristum, toti Iudeæ, ab uno mari ad alterum dominaturum.

SUPER MONTEM INCLYTVM ET SANCTVM]

B Hic enim mons vel est templi, putà Sion & Maria; vel Oliueti, inquit S.Heron. ex quo putatur consensurus in cælum Antichristus; sed ab angelo deturbabitur & occidetur, nemoque ei auxiliari poterit. Hinc videtur quod Apadno, & tabernaculum Antichristi non erit iuxta Nicopolim, *Apadno erit iuxta Sion*, vt vult S.Heron. sed potius in Sion, vel monte Sion Oliueti.

ET VENIET VSQVE AD SUMMITATEM EIVS (montis Sion & templi,) ET NEMO AVXILIABITVR EI] scilicet monti & templo, inquit Maldon. q.d. Antiochus, & multò magis Antichristus, capiet Ierusalem & montem Sion; neque eum Deus vel homines defendant; vti fecisse Antiochum patet ex libris Machab. Verum alijs passim rō ei, exponunt Antiocho, vel Antichristo: Antiochus enim capta & profanata Sion, à Deo ultiore lethali morbo percussus est, nec nullus ei auxiliari potuit: multò magis Antichristus capiet Ierusalem & Sion, ibique regiam & solium suum constituet, vt patet Apocal. 11.8. atque iuxta eam cædatur, nec aliquis ei auxiliari poterit, vt paulò ante dixi. Prophetæ enim concisè loquuntur quasi in raptu, ideoque multa subtilent: sic hīc tacetur clades & cædes Antichristi. Vnde Vatablus vertit, *cum venerit finis eius, scilicet regni & vitæ Antichristi, nemo ei auxiliabitur.*

DNota. Apocal. 19.v.11. & sequ. vidit S.Ioannes Christum equo albo insidentem, & ore vibram gladium, ac in capite habentem diademata multa, & vestem aspersam sanguine, cælo egredi cum turmis cælestibus, ac Antichristum cum suo pseudopropheta apprehensum viuum deturbare in tartara; Gog verò & Magog, omnesque Antichristi milites occidere gladio qui procedebat de ore eius. Lactantius libr. 7. cap. 17. & 18. hunc Christi descensum, gladium, pugnam, &c. planè ad litetam, vt sonant, euentura asserere videtur. Audi eum: *Cum h.e.c. ait, ita gerentur, iusti & seftatores veritatis segregabunt se à malis, & fugient in solidines. Huc impius rex inflammatus ira veniet cum exercitu magno, & ad motis omnibus copijs circumdat montem in quo iusti morabitur, vt eos comprehendat. Illi verò vbi se clausos vindique atque obfessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, & auxilium cælestis implorabunt. Quorum anticipiti periculo, & miseranda comploratione commotus Deus mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur celum medium intempestia nocte & tenebrosa, vt in orbe toto lumen descendens Deum quam fulgit appareat. Qui priusquam descendat, hoc signum dabit: eadet repente gladius de celo, vt sciunt*

Aaaaaaaa iusti

iusti ducem sancte militis descendetur : & descendet ille comit. angelibus angelis in medium terrae. Virtus autem angelorum tradet in manus iustorum multitudinem illam quæ montem circumfederat, & concedetur ab hora tertia usque ad vesperum, & fluet sanguis more torrentis, deletisq; omnibus copiis impius solus effugiet, & peribit ab eo virtus sua. Hic est autem qui appellatur Antichristus: sed se ipse Christum mentietur, & contra verum dimicabit, & vicitus effugiet: & bellum sepè renouabit, & sepè vincetur, donec quarto p̄leū confectis omnibus impiis, debellatus & captus tandem scelerum suorum luet pñas.

*Reff. fulmine,
Probatur
Primò.*

Verùm verius videtur hæc symbolice ostensa Ioanni, tantum significare imperium, dominium & mandatum Christi, quo ipse manens in cælo per Michaelem, quasi ducem suum, comitatum alijs angelis, ingenti luce quasi fulmine siderabit & afflabit Antichristum, itaque eum omni vi, robore & vita priuabit, ac deturbabit in tartara. Id ita esse patet Primò, quia certum est quod ea quæ ibi dicuntur de cælo aperto, de albis equis, de Christi diadematisbus & veste aspersa sanguine, de titulo in fimo scripto, *Rex regum, & Dominus dominantium*, non realiter euident, sed tantum symbolice per visionem ostensa sint Ioanni ad representanda mysteria Christi, quæ explicui Apocal. 19. ergo & cetera, cum sint his similia, symbolice accipienda sunt, non vt realiter euentura. Simili schemate Psaltes psal. 17. symbolicè & poëticè describit Deum nubibus vestum, armatum grandine, tonitu, fulmine, &c. descendere ad proterendum impios, hostes suos.

Secundò.

Secundò, quia Apostolus ait 2. Thess. 2. 8. quod Christus occidet Antichristum, non gladio, sed spiritu, id est imperio, oris sui, & illustratione, id est fulgore prætio & prænuntio, *aduentus sui*. Hoc enim fulgore quasi fulmine è cælo emisso, siue per se, siue potius per Michaelem, siderabit & consumet Antichristum.

Tertiò.

Tertiò, quia Daniel c. 12. 1. ait, quod tunc conserget Michael in prælium, pro Christo & Christianis. Sicut ergo rex per ducem bellum gerit, & conficit hostem: ita Christus per Michaelem conficiet Antichristum; hic enim est Præses Ecclesiæ, ideoque dux Christi. Vnde & Apocal. 12. ponitur dux belli Christiani, quo scilicet in fine mundi cum Lucifero & Antichristo confliget pro Christo & Christianis, ac Antichristum profligabit.

Quartò.

Quartò, quia S. Petrus Acto 3. 21. docet Christum post ascensum in cælum, ibi mansurum, nec

A visibiliter ex eo descensurum, nisi in die iudicij quo restituet omnia. ergo non descendet vt occidat Antichristum. Hic enim occidetur multis diebus, & fortè septimanis ac mensibus, ante diem iudicij, vt ostendam c. seq. v. 11. & 12.

Quintò, subordinatio recta diuinæ prouidentiæ *Quintò.* id exigit. Solet enim Deus sua iudicia exercere per angelos: hi enim sunt administratorij eius spiritus, Hebr. 1. 14. Contrarium enim nec deceret Christum, nec Antichristum; vt quid enim Christus Deus & Dominus omnium, cum tot legionibus angelorum & Sanctorum cælo descenderet ad conficiendum Antichristum, qui miser & vilis erit homuncio, quem solo afflatus, immo nutu, potest occidere, immo annihilare? Vt quid tot legiones angelorum, quasi militum ei astant paratae ad omnem eius nutum, & ex quibus unus sufficit ad delenda plurima hominum millia?

B *Sextò*, quia Sibylla libr. 3. igne cælesti, putà *Sextò.* fulgere, afflandum Antichristum prædictum, cùm ait, *Cum potestas ardens (putà ignis & fulmen validum) inundans in terram veniet; & Beliar incendet, & superbos homines, omnes quicumque eis fidem profiterint. Beliar enim (id est Belial: subinde enim literal, in r. conuertitur) hoc est, homo impiissimus, sine iugo, sine Deo & lege, est Antichristus.*

Nota Secundò. Antichristus vt probet se esse Christum, quasi simia Christi finget se mori, & post mortem ad vitam resurgere, vt patet Apocal. 13. 12. Audi S. Gregor. lib. 11. epist. 3. *Veniens in mundum Antichristus, diem sabbati & diem Dominicum ab omni iubebit opere custodiri. Nam quia simulaturus est mori se ac resurgere, ideo diem Dominicum in veneratione haberi præcipiet: quia vero iudaizare populum compellet (vt videatur esse Messias Iudeis promissus) vt ritus Mosaicæ legis reuocet, & Iudeorum fibi subdat perfidiam, diem sabbati obseruari coget. Post finem hanc & hypocriticam resurrectionem, coram toto populo ascendet in montem Oliueti (vti hic significat Daniel) voletque instar Christi in cælum ascendere, ex quo primitus se descendisse mentietur: & tollent eum in aere daemones, sumentes speciem angelorum, cunctis admirantibus, & diuinitati eius acclamantibus, inquit Perer. Sed mox à Christo per Michaelem deturbabitur in tartara. Vnde Haymo in Isaiae 11. Occidetur, ait, Antichristus, sicut doctores tradunt, in monte Oliueti, in papilione ac folio suo, in loco illo contra quem Dominus (Christus) calos ascendit.*

C A P V T D V O D E C I M V M.

S Y N O P S I S C A P I T I S.

Hoc capite aperte transit angelus ad tempora nouissima (in ijsq; finit pariter suum oraculum) Antichristi, de quo cap. præced. v. 36. & sequent. recte sub nomine Antiochi loqui cœperat. Duo ergo tempora distinctissima, putà tempus Antiochi, & tempus Antichristi, in unū propter similitudinem coniungit; sicut Christus coniungit excidium urbis cum excidio orbis, Matth. 24. 25. vide can. 4. Primo, ergo prænuntiat angelus Michaelem fideles adiuturum contra Antichristum: mox edocet resurrectionē piorum & impiorum, denique gloriam doctorum. Secundò v. 7. docet Antichristi monarchiam, & persecutionem duraturam tres annos cum dimidio, siue dies 1290.

N IN tempore autem illō cōsurget Michael princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui: & veniet tempus quale nō fuit ab eo ex quo gentes esse cōperūt usque ad tempus illud. Et in tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui intentus fuit scriptus in libro.

2. Et multi de his qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt: alij in vitam aeternam, & alij in opprobrium ut videant semper.

N IN TEMPORE AVTEM ILLO] in tempore Antichristi, de quo paulo ante egi.

CONSURGET MICHAEL] Id est, Michael exsurget in praeium contra regem Aquilonis, id est contra Antichristum, ut tueatur fideles & sanctos in tantis persecutionibus contra eum & contra Luciferum. Vide de hoc p̄tēlio Michaelis & draconis, id est Luciferi, Apoc. 12. vers. 1. & sequent. ibi enim ad hunc locum Danielis alludit S. Ioannes. Vnde S. Thomas & alij docent, in hoc p̄tēlio occidendum esse Antichristum à Michael. Sic enim explicat illud 2. Thessal. 2. v. 8. Quem (Antichristum) Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, id est mandato suo; Quia, inquit, Michael interfectorum est eum in monte Oliveti, vnde Christus in celum ascendit. Christus ergo executionem suam sententiae contra Antichristum committet Michaeli, qui post Christum supremus est iudex, & praeses diuinæ iustitiae.

Hæretici, ut Sanctorum & angelorum patrocinia elidant, per Michaelem accipiunt Christum; sed insulse, ut patet: certum enim est, quod angelus etiā Michaelem hinc intelligat, quem intellexit cap. io. vers. 13. & 21. ibi autem intellexit Michaelem archangelum: vocat enim eum Principem Iudæorum. Simili modo nuncupat eum hinc dicens: Qui stat pro filiis populi tui, qui scilicet praest tueretur Iudæos tamquam fideles, populumque Dei, ac filios patriarcharum; ideoque curabit ut Iudæi in fine mundi ad Christum conuentantur & saluentur.

Alcazar in cap. 12. Apocal. pag. 645. Polychroni. hic, & R. Iosie apud Aben Esra, putant hinc adhuc agi de Antiochæ Epiphane, contra quem surrexit Michael, id est, inquit, Mathathias, cum filiis stans pro populo suo. Verum obstant sequentia: Et multi de ijs, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt; alij in vitam aeternam, & alij in opprobrium. quod ad litteram de resurrectione non morali, ad patrum & auorum virtutem & constantiam, ut ipse intelligit; sed naturali ad vitam aeternam, accipi debere clarum est, ut accipiunt S. Hieronymus, Theodor. & passim veteres ac recentiores: ac S. Hieron. acriter perstringit hinc Porphyrium, quod haec acceperit de Antiocho. Sic & Theodor. Nam Machabæi, inquit, etiam post victoriam occisi, vitam presentem perdiderunt: & quia omnes p̄i fuerunt, ad vitam omnes resurrexerunt, non ad opprobrium.

Aliqui per Michaelem intelligent Mathathiam.

S. Michaelis Hunc locum multis illustrat Pantaleon diaconus & Chartophylax Ecclesiæ magnæ, in suis de S. Michaelis homilijs, quæ extat apud Alois. Lipoman. in festo S. Michaelis. In ijs enim ipse illustrissimas quasque angelorum apparitiones, quæ olim patribus accidentunt, Michaeli attribuit. ac Primò,

A de Michaeli accipit illud psal. 33. 8. Immittet angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos, immitet, scilicet præsidium: hebraicè enim est חַנְחָה, id est castrimetabitur, &c. ut S. Hieron. vertit, Angelorum circumabit in gyro, ut opponatur Michael dæmoni, qui etiam dicitur tamquam leo rugiens circuitare. Itaque significat Psaltes quod Michael angelos in morem castrorum instruat & ordinat ad fideliū defensionem. Quod enim instar militum in acie angeli nos tueantur, patet Genes. 32. 2. vbi cu Iacob angelos vidisset, dixit, Castra Dei sunt haec: & 4. Reg. 6. v. 17. Erat mons plenus equorum & curruum ignorum in circuitu Elisei. Et Christus Matth. 26. 53.

An putas quia non possum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? Nam quod etiam dæmones in motem castrorum & aciei ordinantur contra homines, probat Tertull. B 1. 4. contra Marcion. 20. ex Lycæ 8. v. 30. vbi dæmon rogatus à Christo quod sibi esset nomen respondit, Legid.

Secundò, Michael fuit qui Adam paradiso secundum direxit, & terram ligone docuit colere, feminare, metere, omnemque agri culturam. Tertiò, Michael fuit qui Abraham gladium continuit, ne filium occideret, & in eo benedixit omnes gentes, Genes. 22.

Quartò, Michael legislatori Moysi pascenti quartum dies apparuit totus igneus in medio rubi, cumque vis sit, sed non combussit; itaque B. Virginis partum, generationemque Dei hominis adumbrauit, Exodi 3.

Quintò, Michael fuit qui appauit Balaam: in Quintum via, cumque pergentem ad maledicendū Israeli corripuit, & benedicere compulit, Numer. 22.

Sextò, Michael vice Dei dedit legem Hebreis sextum, in Sina, Exodi 20. Quocirca Titiae venerantur S. Michaelis. Nam in libro, cui titulus, Doctrina Mahomet, pag. 190. sic habetur: Michael, Gabriel, Raphael (id est sar, hoc est princeps, Raphael) Archangeli, secretarij deitatis. Et Rabanus l. i. de Cruce c. 7. hic de eo canit:

At Michael princeps habitantum dux & in alto,
Te memorat virtute Dei simul & hera cuncta
Et regere & tegere.

Et Ecclesia in festo S. Michaelis, ita eum inuocat: Princeps glorioſissime Michael Archangeli, esto memor nostri: hic & ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

Septimò, Michael apparuit stricto gladio Iosie, cum is aciem contra hostes dirigeret, cumque animauit ad praeium, Iosie 5. Michael est angelicarum copiarum dux, ait S. Basilius hom. de angelis. Quocirca quod Gentilibus fuit Mars, scilicet dux & praeses bellorum, Christiani est S. Michael. Quia de causa templi & oratoria, quæ olim Gentiles Marti dedicauerant Antuerpiæ, Leodij, Luneburgi, Bonnæ, Coloniæ, & alibi, Christiani exploso Marte in honorem S. Michaelis dedicarunt & cognominarunt, ut annotauit D. Braunius tom. 5. Vrbium, & ex eo noster Serarius in Iosie cap. 5. quæst. 14. in fine. Hinc S. Michael à Græcis vocavit Archistrategus: quin & exstat Imperatorum vexillum S. Michaelis imagine insignitum, ab eoque cognominatum, apud Cuiopalatai pag. 93.

Octauò, Michael Gedeoni apparuit, ab ipsoque fuit adoratus, & extensa virga quam manu tenebat, tangens carnes, quas sibi Gedeon obtinuit.

lerat, igne excitato consumpsit, & in flamma ignis ascendit ad cælum. Idem eum adiuuit ut cum trecentis militibus innumeros Medianitas profligaret, Iudic. 6. & 7.

Nonum.

Nonò, Michael fuit qui 185. millia Assyriorum in castris Sennacherib yna nocte occidit, 4. Regum 19.

Decimum.

Decimò, Michael cum Azaria & socijs descendit in fornacem, flamمام instar roris effecit, trespueos illæsos conseruauit, Dan. 3.

Undecimum.

Vndecimò, Michael Danielem in lacu leonum seruauit, oraque leonum frænauit, Dan. 6. & 14. Similiter S. Ephrem orat. de 40. Martyr. tomo 3. Ne conturbaret, inquit, Martyres Christi inimicus, angelis spatiū stagni custodiebant: hinc quidem Gabriel, illinc verò Michael, & ab alto Christus vniuersorum inspecto. Exstat in S. Procopij, qui olim Nicias dicebatur, B historia, insigne miraculum, quo ille ad christianismum impulsus est. Nam cum Scytopoli auream crucē dux illustris fabricari curaret, in ea diuinitus absque aurifabri opera & scitu, tria insculpta sunt nomina, Emmanuel, Michael, Gabriel; sed ita ut summum locum teneret Emmanuel; inferiorem instar brachiorum, Michael & Gabriel. Vide Gretserum l.2. de Cruce c. 13.

Duodecimum.

Duodecimò, Michael apprehendit Habacuc cincinno capitū, cumque cum prandio ex Iudea in Babylonē subito transtulit ut pasceret Danielē, atque eundem rursus repente in Iudeam repositū, Dan. 14.

Decimum tercium.

Decimotertiò, Michael fuit qui Probatice piscinæ aquas commouebat, & sanctificabat in figuram baptismi: ita ut qui primus in eam descendenter, ab omni ægritudine curaretur, Ioannis 5.

Rursum S. Michael Constantino Magno apparuit, indicans se olim Argonautas ad vellus aureum direxisse, eiique dixit: Ego sum Michael archidux Domini sabaoth, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fidelis & germano illius ministro, auxiliaria arma contuli. Vnde Constantinus fanum ab Argonautis erectum Numini quod ipsis salutem attulerat, indeque Softhenium dictum, in Michaelium, id est S. Michaelis templum, conuertit, in quo sanctus Michael septiū deinde apparuit. ita Nicephor. l.7. c. 50.

Decimum quartum.

Decimoquartò, Michael canet tuba nouissima, eaque excitabit mortuos ut veniant ad iudicium, 1. Thessal. 4. v. 16. Et de animabus mortuorum canit Ecclesia: Signifer tuus sanctus Michael representet eas in lucem sanctam, quam olim Abraham promisisti, & semini eius. Quocirca S. Michael pingi solet cum statera, quasi librans animas, earumque opera bona & mala. Nam, vt ait Viegas in Apoc. 12. Creditur Michael animarum è corpore discedentium particulare iudicium exercere: indeq; est, quod cum gladio & statera depingitur, ut summa eius potestas iustitiæ, & qualitas declaretur in nostris, sive meritis, sive demeritis ponderandis. Reprehendit hanc picturam Joannes Molanus in libr. de Picturis, sed eam defendit Serarius in cap. 5. Iosue q. 45. pag. 551. Addit Viegas, Michael vocari signiferum, quia signum sive vexillum crucis præferet Christo venienti ad iudicium extremum. Idem docet Eckius hom. 8. de S. Michael.

Decimum quintum.

Denique Michael est, inquit Pantaleon, qui si delium populorum Ecclesias exhilarat, Romanorum custodis rempublicam, Imperatorem armat aduersus bar-

A baros, Christianos reddit victores, ab ingentibus maris fluctibus eos qui inuocat eum liberat, fertilitates fructuum terre suppeditat, consolatur pusillanimes, egrotos visitat, fideiubet pro peccatoribus, demonum impetu propulsat, vitiorum flamمام restinguat. Rursum: Per hos duos, inquit, Michael & Gabrielem descendit omnis datio bona, & omne donum perfectum, quod desuper mittitur in terram à Deo omnipotente. H. e. enim sunt duas maxima, & paris momenti lucerne diuinitatis, que est una & trina. Hæc sunt præconia, que iuxta Pantaleonis sententiā de Michaelis in Script. memorantur: Scriptura enim ea expresse Michaeli non appropriat; quāquam & ea que alij angeli gesserunt, recte Michaeli attribuuntur. Sic enim gesta militum duci tribuimus. Addit Pantaleon, quod S. Ioannes Apostolus, magnus fuerit S. Michaelis in Asia prædicator, quodq; in eius honorem templum exadificari curarit: vti & Iustinianus Imp. militia celestis summo principi Michaeli pluribus in locis erexit ecclesiæ: probè sciens, se, si talem tantumq; ducem sibi conciliaret, qui rebelles angelos cientes in celo præliu superaseret, certam securamq; de vincendis Vandaliis posse habere fiduciam, inquit Procop. de bello Wandal. l.1.

Refert Nicephorus l.7. cap. 50. Constantinum Magnum in loco qui Softhenium dicitur, duas ecclesiæ construxisse in honorem S. Michaelis, ibique S. Michael illi apparuisse, ac dixisse: Ego sum Michael archidux Domini sabaoth, Christianorum fidei tutor, qui tibi contra impios tyrannos belligeranti, fidelis & germano illius ministro, auxiliaria arma contuli. Itaque è somno excitatus Constantinus regionem eam pulcherrimè excolavit, & ara imperiali, magnificaque manu & liberalitate in parte Orientali constructa, celeberrimum id templum ciuibus simul & aduenis reddidit. Porro mirè sacram eam ædem apparitionibus suis illustrauit Archangelus. Nullus enim graui quopiam casu, aut ineluctabili periculo, aut ægritudine incognita, morbo denique incurabili circumuentus, qui ibi Deum orans implorauerit, non facile ope & auxilium inuenit. Et certò satis creditur, D. Michael Archangelum apparere ibi solitum, salutiferum eum efficere locum: cuius rei gratia ab antiquis etiam Michaelium est vocatus. hucusque Nicephorus.

Narrat Cromerus lib. 10. histor. Lescum Polonorum Principem cum patua manu infecutum multa Lituaniorum millia, qui Poloniā diuexabant; cumque ex labore itineris paululum requiescisset, Michael Archangelus illi adstitit, & suum illic auxilium promisit, ac de victoria certum reddidit: qui viator rediens eidem angelo Lublini tempræ extruxit.

Nota est dedicatio Ecclesiæ S. Michaelis, cuiusque apparitio in monte Gargano sub Gelasio Pontif. quam recolimus die 8. Maij. Paulò post Bonifacius Pontif. ecclesiæ nomine S. Michaelis constructa dedicauit die 29. Septembr. in summitate circi, que ab altitudine, Inter nubes vocatur. ita Ado & Baron. anno Domini 531. Celebre quoque fuit templum S. Michaelis Conis sive Colossis, quod quia violare ausus est Alexius iconoclasta, hinc post largiorem compotionem à sacerdote quodam suo gladio iugulatus est, inquit Nicetas Coniata l.3. Annal. Isaci Imp.

ET VENIET TEMPUS] Hebr. עת צורה et tsara, id est tempus afflictionis. erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi, ut ait Christus

S. Ioannes
celebravit
in Asia Mi-
chaelum, &
Iustinianus,

& Constan-
tinus.

Iustus Matth. 24.21. Quam atrox & varia futura sit A persecutio Antichristi , explicui 2.Thessal.2.v.10. q.5. & Apocal.13.

SALVABITVR POPVLVS TVVS] Tuus ô Daniel, putà Iudæi in fine mundi saluabuntur, præfer- tim cùm viderint Antichristum, in quem credide- rint, à Christo profligari, & detrudi in tartara. Iu- dæos vocat populum Danielis, quia Daniel vir de- sideriorum eorum salutis erat studiosissimus ac si eorum fuisset mater. Sic enim Galatis cap. 3.v.19. ait Apostolus: *Filioli mei quos iteram parturio.*

OMNIS QVI INVENTVS EVERIT SCRIPTVS IN LIBRO] Plerique enim Iudei occiso Antichri- sto conuertentur ad Christum, itaque salvi fiunt; quia breui tempore quod restabit ad diem iudi- cij, in fide & gratia Christi persistent, ideoque scripti sunt in libro præscientiae Dei & prædestina- tionis ad gloriam. Nouit enim Dominus qui sunt ei- us. De hoc libro multa dixi Exodi 32.32. & Phi- lipp.4.3.

Nota. *qd omnis qui inventus fuerit*, significat non omnes Iudæos, qui erunt in fine mundi, scriptos esse in libro vitae, ac proinde non omnes conuer- tendos esse & saluandos; sed aliquos mansuros in sua infidelitate & damnandos: quam plurimi tam- men conuertentur & saluabuntur, hoc est é- nem quod ait Apostolus Roman. i 1.2.6. Et sic om- nis Israel saluus fieret: omnis, id est plerique, & penè omnes. ita Theodoret. & S.Gregor. hom.12.in Ezech.

VER. 20. ET MVLTI DE HIS QVI DORMIVNT, &c. EVIGILABVNT] Hoc est, multi dormientium, vt vertunt Septuag. Hebræi enim ablatiuum cum præpositione ponunt pro regimine genitiui. Iam multi dormientium, hoc est, multi dormientes, C putà omnes dormientes. Dicit tamen multi, vt no- tet hós omnes non fore paucos, sed multos, q.d. Omnes dormientes, qui erunt multi, & penè in- numeri, resurgent, sive tota multitudo dormien- tium, quæ plurima est, resurget. Sensus est, omnes qui mortui sunt resurgent. Sic *qd multi capitur pro omnes Rom.5.19. Vnius delicto multi mortui sunt.* & Matth. 26.28. *Qui pro vobis & pro multis effundetur.* ita S.August.20. Ciuit.21. Theodor. & alij. Licet ergo quidam opinati sint non omnes homines moritu- ros, ac consequenter nec omnes à morte resurre- cturos, nimirum eos qui viuent sub diem iudicij: hos enim sine morte immutandos, & viuos trans- ferendos ad vitam immortalem, cùm obuiam rapientur Christo iudici in aëra, vti videtur dicere Apost. 1. Thessal. 4. 16. ibidem docent S.Chryso- stom. Theophylact. Oecumen. Theodor. S.Epi- phan. hærel. 6.4. S.Hieron.epist.148.qu.3. Tertul. de Resurrect.c.41.& 42. Origen.lib.5.contra Cel- sum: tamen hi, omnesque alij Patres & Doctores consentiunt, omnes qui mortui sunt, à morte resur- recturos in die iudicij. ita S.Hieron.ad Pammach. epist.6.1. S.August. Enchir.84. S.Greg.14. Moral. 31. & alij passim. Ergo mortuos omnes homines esse resurrecturos est de fide. Id enim disertè afferit Christus alludens ad hunc Danielis locum. Ioan.5. Venit, inquit, hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resur- rectionem iudicij, id est damnationis & gehennæ, ad quam iusto Dei iudicio damnabuntur. Et S.Pau- lus 1. Corinth.15. *Sicut, ait, in Adam omnes moriuntur,* ita & in Christo omnes vivificabuntur. Et mox: *Omnes Cornel. in Danielem.*

quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur. Deni- que si aliqui resurgent, ergo omnes. Non est ratio cur hic resurgat, non ille, cùm omnium eadem sit conditio. Cùm ergo angelus h̄c ait, *Multi euigila- bunt, non negat omnes, sed potius omnes compre- hendit.*

Nota. Dicit h̄c *multi* potius quam omnes; tum ad sermonis copiam, ne vocem *omnis* iteret, dixit enim, *Omnis qui inventus fuerit scriptus in libro*: tum propter sequentem distributionem; q.d. Multi ex mortuis resurgent ad gloriam, multi ad oppro- briū æternū. ita Maldonat. Secundò, dicit *multi*, quia opponit hos multos paucis Iudæis, qui tunc viuent & saluabuntur, vti dixi v. præceden- ti. q.d. In fine mundi omnis ferē populus tuus, ô Daniel, id est plerique omnes Iudæi tunc victuri conuertentur ad Christum, saluabuntur, & resur- gent ad gloriam: at hi omnes erunt patisci: mul- ti verò, inò plurimi erunt, qui ab omni sæculo in toto mundo mortui, tunc resurgent, alij ad glo- riam, alij ad gehennam. *Quocirca* huc alludit S.Ioatn. Apocalyp. 7. Vbi cùm dixisset ex Iudeis in fine mundi conuertendos, & saluandos fore 144. millia, putà 12. millia ex qualibet tribu, subdit vers.9. Post hec vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palme in manibus eorum. Quod enim ibi dicit Ioannes ex Iudeis saluandos fore 144. millia; hoc Daniel h̄c dicit, *In tempore illo saluabitur populus tuus, omnis qui inventus fuerit scriptus in libro.* Rur- sum, quod Ioannes ibi dicit, *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat;* hoc Daniel hic di- cit, *Et multi de his qui dormiunt in terra puluere, eru- gilabunt;* alij in vitam æternam, alij in opprobrium. Al- ludit dico, non citat: nam Ioannes de solis saluan- dis in die iudicij loquitur; Daniel verò tam de reprobandis, quam de saluandis. Rursum: Ioan- nes Iudeis paucis in fine mundi saluandis, oppo- nit multas gentes tum pariter victuras & saluan- das: Daniel verò paucis Iudeis tum victuris & saluandis, opponit innumeram multitudinem hominum omnium prius mortuorum, qui tunc resurgent.

Hinc patet, Iudeis à Deo & angelis retielatam fuisse resurrectionem mortuorum. Quod enim Rabbini aliqui putant Iudeos ab Antiocho op- pressos h̄c vocari mortuos, eorumque liberatio- nem vocari resurrectionem, insulsū est; nec enim Iudei tunc resurrexerunt ad vitam æternam; quod tamen de mortuis hisce dicitur. Sic & animæ im- mortalitatem, ac ex ea consequentem resurrec- tionem corporum per vmbrai cognoverunt Gentiles. Demosthenes cùm fugeret Antipatrum, Archita blandè ei pollicenti vitam, si rediret, respondit: *Absit, vt viuere turpiter malim, quam honeste mori, post- quam Xenocratem & Platonem audiui de animi immor- talitate differentes.* ita refert Card.Bessarion in Apo- logia Platonis.

Trismegistus in primo dialogo Pimandri, ex animantibus ait solum hominem esse duplicitis na- turæ, mortalis propter corpus, immortalis propter animam: additique, *animum iusti harmonia motione exutum ad celum ascendere, vbi una cum coru mentium beatatum laudat Deum, quo omnes illi fruuntur.* Eadem fuit sententia Ciceronis in Somnio Scipionis. Hinc fluxit opinio Elysiorum camporum quos canit Virgil.6. *Aeneidos Didymus ille inter Brachmanas*

princeps ita scribit ad Alexandrum Magnum: A Non sumus huius mundi incolae, sed aduenae, nec ita in orbem terrarum venimus, vt in eo libeat confundere, sed transire: properamus enim ad larem patrum. Plures citauit Genes. 37.35.

Mors aeterna vocatur
approbrium, curi

IN OPPROBRIVM] in mortem aeternam: opponitur enim vita aeterna. Mors haec vocatur approbrium, quia ignominiosissima erit aequa ac molestissima. Grauissima paenarum pudor est; impij enim resurgent ad pudorem & approbrium aeternum, ait S. Chrysostom. homil. 6. in epist. ad Ephel. Si enim ingens poena est, cum dux coram rege prodictionis conuincitur; cum latro reus publice in furcam agitur; cum regia coniux publice ut adultera capite plectitur: quis erit pudor, cum reprobi coram toto mundo, quasi laesa maiestatis diuinae rei, infames, incesti, proditores, damnabuntur ad aeternas poenas, ut cum teterimis dæmonibus in gehennæ carcere, pice, fumo & flamma vitam perennem agant; qualis erit illa exprobatio Christi in die iudicij ad reprobos? Ego vos paui, laui, vestini, redemi meo sanguine: vos me esurientem, sitiensem, nudum, afflictum non pauiisti, non potasti, non vestisti, nulla re iuuiisti. ego pro vobis flagellatus, concitus, occisus sum: vos iterum vestris sceleribus me flagellaisti, concidisti, occidisti. ite ergo maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolus & angelis eius.

Exprobatio Christi
aeternis ad
reprobos.

Audi Christum iudicem exprobantem apud S. August. sermon. 67. de Tempore: Ego te o homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus insidi spiritum, ego tibi imaginem meam conferre dignatus sum; tu vitalia mandata contempnens deceptorem sequi, quam Deum maluisti. Cum expulsus de paradiſo mortis vinculo propter peccatum tenereris, carnem assumpsi, in praesepio expositus, & pannis inuolutus iacui, infante contumelias, humanoq[ue] dolores pertuli, irridentium palmas & spuma suscepisti, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus. Enclavorum vestigia, quibus affixus pependi. En perfossum vulneribus latus. Cur quod pro te pertuli, perdidisti? cur ingrate redemptionis tuae munera renuisti? cur habitaculum, quod mihi in te sacraueram, luxuria sordibus polluisti? cur me grauiore criminum tuorum cruce, quam illa in qua quondam pependeram, affixisti? grauior enim apud me peccatorum tuorum crux est, in qua iuitus pendeo, quam illa in quam tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala ad medicamenta penitentiae confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari: despexisti enim in iudice veniam.

Tunc dicent impij præ pudore & timore montibus, Cadite super nos; & collibus, Operite nos. Vide & exprobationem Christi iudicis ad Elpidophorum, quam ei intentat Muritta diaconus apud Victorem Vicens. lib. 3. Persecut. Wandal. recitauit eam Rom. 6. v. 4. Errat ergo R. Saadias, qui solos iustos & sanctos resurrecturos putat; & Iudei, qui solos Iudeos à Messia resuscitandos putant.

UT VIDEANT SEMPER] Hebr. est רְאֵנִי, id est diron olam. quod Septuag. Vatablus & Pagninus vertunt, in contemptum aeternum; Marinus in Lexico, in reprobationem & abominationem aeternam, vt Deus, angeli & Sancti eos execrentur & abominentur perpetuo. Syrus & Arabicus vertunt, in perditionem & ignominiam sociorum suorum in seculum. forte pro רְאֵנִי, legerunt רְאֵנִי, id est sociorum amicorum. Secundò, alij vertunt, in durationem doloris aeternam, quasi diron conflatum sit ex

רְאֵנִי dor, id est duratio; & רְאֵנִי on, id est dolor. Ter tertid. tiò, alij vertunt, in durationem concupiscentiae, vel peccati, aeternam: on enim non tantum dolorem, sed & concupiscentiam, & peccatum (quod omnis doloris est causa) significat. Quartò, Noster hic & Isaiae vlt. v. vlt. cum Chaldaeo diron vertit, satietas visionis, quasi diron conflatum sit ex רְאֵנִי, id est sufficiencia, satietas, & רְאֵנִי raon, id est visio; visionem tam actiuam quam passiuam intellige, hoc est, ut videant & videantur. Actiuam hic accipit Interpres noster, q.d. Resurgent alij in mortem & approbrium, ut videant, id est, ut sentiant & experientur semper supplicia; opprobria & dolores mortis aeternæ, ut semper moriantur, semper agonizent, & numquam sint mortui. Passiuam accipit Isaiae vlt. 24. quia ibi additur, omni carni. Ait enim: Erunt (damnati) usque ad satietatem visionis omni carni. q.d. Videbuntur, eruntque probro & ludibrio omnibus hominibus; aut, ut Forer. R. Dauid, & alij, q.d. Erunt naufragi & detestationi omnibus dentibus, ne videlicet velint eos videre ob multitudinem vermium quibus scatebunt. Putat enim R. Dauid diron deduci à רְאֵנִי dara, quod ipse interpretatur vermem. Unde hic diron olam vertit, vermem sempiternum. Vermis enim eorum non moritur, & ignis non extinguitur, Isaiae 66.24.

Hæc ruminans B. Isaia Abbas tom. 2. Biblioth. SS. Patrum orat. 29. ita lamentatur: Vnde nobis, qui hic sine timore nos peccatis obstringimus: quoniam illic nos ignis aeternus excipiet, & tenebrae exteriores, & vermis qui non dormit, & luctus, & stridor dentium, & coram angelis & creaturis omnibus dedecus sempiternum.

Vnde nobis, quorum animæ confuse, & a penitentia alienæ in resurrectione & horrendo illo gentium omnium iudicio assumptis corporibus suis, cum fletu & stridore dentium in genitū, & luctus, & cruciatus coniungentur acerbissimos ac sempiternos.

Vnde nobis, qui in isto peregrinationis exilio detestandas oblationes consecramur, & paradiſi deliciarum obliti, contemnimus regnum calorum.

Vnde illis, qui alijs laborant, & sibi ipsis non profunt.

Vnde nobis, qui cum assiduos conscientie nos reprehendentis stimulos sentiamus, non erubescimus, nec rationem actionum omnium nostrarum reddituri Dei iudicium formidamus.

3. Qui antem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiant multos, quasi stellæ in perpetuas aeternitates.

Ex hoc loco docent Doctores corpora Beatorum tota fore lucida exterior & interior, vt tota luce penetrantur, sintque transparentia. Sic enim lux penetrat firmamentum & stellas, facitque eas totas & omnino lucidas: hocque erit ingens Beatorum gaudium, quod scipios suisque partes intimas, aequa ac sociorum, perspicere poterunt, ita vt nihil lateat quod non videant. Ita docet D. Thom. Richardus, Paludan. Sotus, Maior, & alij quos citant & sequuntur Franc. Suarez 3. part. Corpora tom. 2. disput. 48. secl. 2. & Ioann. Salas 1. 2. qu. 5. Beatorum art. 5. tractat. 2. disput. 14. secl. 15. Neque lux haec colori corporum officiet. Sic enim vitrum variis coloribus suscipit, & tamen lumine intimè penetratur: quin & alia corpora crassa colorata sunt & lucida; ac ratione coloris videntur in die,

Diron
quidam Pri-
mò.

Secundò.

Corpora
tota erunt
lucida, &
tamen co-
lorata.

Et ratione lucis in nocte, ut patet de noctiluca, nitidula, cicindela, lampyride, qui est vermiculus noctu licens ut margarita. quo exemplo ad rem hanc confirmandam vtitur Cyril. Hierol. categ. 8. dum ait: *Iusti splendebunt ut sol, & tamquam luna, sicut & splendor firmamenti: & praevidens istam hominum incredulitatem Deus, veribus parvulis lucidum dedit corpus, ut eo splenderent, ut ex apparentibus crederetur id quod expectamus: qui enim partem potuit prestatre, poterit & totum: & qui fecit ut vermis lumine splenderet, multo magis hominem iustum splendidum efficiet.*

Quæres, an alij h̄c sint iusti & alij docti: an alijs splendor firmamenti, alijs stellarum?

Primò, Dionys. Carthus. Docti, inquit, sunt omnes iusti. Hi enim sunt scientes Deum, ut dixit cap. præced. v. 32. hiisque docti sunt à Spiritu sancto pie & sanctè vivere; sèpè tamen non sufficiunt ut alios doceant: vnde his in sequenti hemistichio præponit doctores. Huc facit illud S. Leonis serm. 3. de Epiphania: *Quicunque, ait, in Ecclesia pè viuit & castè; qui ea que sursum sunt sapit, non que super terram, & celestis quodammodo instar est luminis. Et dum ipse sancte vita nitorem seruat, multis viam ad Dominum quasi stellā demonstrat.*

Verum obstat vox autem, cum ait: *Qui autem docti fuerint, qua distinguit doctos ab alijs iustis & sanctis, qui omnes, ut præcessit, euigilabunt in vitam æternam. Vnde S. Hieron. ad Paulinum: Vides, inquit, quantum inter se distent iusta rusticitas, & docta iustitia; alijs stellaris, alijs celo comparantur. Hinc & Auerroës dixit, hominem doctum & hominem indoctum ita differre, ut de ijs homo, siue natura hominis, non prædicetur æqualiter.*

Secundò, alijs melius putant h̄c distingui doctos tam à iustis, quam à doctoribus. Hos enim esse tres gradus Sanctorum, vti sapientia & merito, ita & præmio dispares. Sancti ergo simplices & intelligentes sunt quasi cælum cæruleum, purum & pellicidum: docti vero sunt quasi splendor firmamenti, id est sicut candor, vel nubes candida quæ resplendet in cælo cæruleo: doctores autem aliorum sunt lucentque quasi stellæ. Hi enim sunt tres vti lucis, ita & Sanctorum gradus. Audi & Rabbinos in *Midras tehillim*, in exposit. psalm. 11. ad v. *Quoniam iustus Dominus, & iustitias dilexit: equitatem videt vultus eius.* Hi, inquit, iusti sunt, de quibus dictum est Danielis 12. Et intelligentes splendebunt sicut splendor celi. Futurum siquidem est, ut facies iustorum fulgeant tamquam sol, tamquam luna, tamquam cælum, tamquam stelle, tamquam fulgura, tamquam lilia, tamquam lampades. Primò, tamquam sol, sicut dictum est Iudic. 5. Sicut egressus Solis in fortitudine sua. Secundo, tamquam luna, sicut dictum est psalm. 85. Sicut luna preparata in æternum. Tertio, sicut cælum, vti dictum est Daniel. 12. Velut splendor celi. Quartò, tamquam stelle, sicut dictum est Daniel. 12. Splendescunt ut stelle. Quinto, tamquam lilia, sicut dictum est Nahum 2. Ut fulgura discurrent. Sexto, tamquam lilia, sicut dictum est in psalm. 68. Super lilijs. Septimò, tamquam lampades, sicut dictum est Nahum 2. Visio eorum tamquam lampadarum. Deinde totidem classes iustorum hisce assignans, subdit: *Prima diuersitas, vel classis, est eorum qui ante faciem regis habitant, & intuentur regem & faciem eius, sicut dictum est: Habitabunt recti coram facie tua. Secunda est eorum, de quibus dicitur: Beati qui habitant in domo tua. Tertia eorum, de quibus aiunt: Quis ascendet in montem Dei? Quarta, de quibus dicitur: Beatus quem elegisti, & appropinquasti. Quinta, de quibus dicitur: Deus quis ho-*

A spicitur in tabernaculo tuo? Sexta, de quibus dicitur: *Quis habitabit in monte sancto tuo? Septima, de quibus dicitur: Et quis surget in loco sancto eius? Quilibet autem harum diuersitatum habet mansionem per se paratam in paradiſo deliciarum.* Hisce totidem impiorum classes opponens, subdit: *Et è contrà septem quoque habentur mansiones in gehenna pro impijs.* Et sunt ista: *Seol, id est infernus: Abadon, id est perditio: Ghe, id est vallis, vel profundum: Duma, id est taciturnitas: Zalmaueth, id est umbra mortis: Erets tactich, id est terra inferior: & Erets tzia, id est terra sitiens.* Ha sunt septem mansiones impiorum, & septem iustorum. Cuilibet autem iuxta opera eorum, domus mansionum ipsorum. ita Rabbini rabbinicè.

Tertiò, & genuinè, S. Hieron. Maldonatus, Pe. Tertia & terius & alijs, per doctos intelligunt doctores, ut genuina. idem dicatur sequenti hemistichio quod dictum est priori, more Hebræo. Probatur Primò, quia Hebr. *מְשֻׁלָּם maskilim*, non tantum doctos, sed & docentes significat: non enim doctis, sed docentibus præmia dari conuenit, ait Maldonatus. Secundò, quia planè alludit Daniel ad doctos tempore Antiochi & Antichristi, de quibus dixit cap. 11. 33. *Et docti in populo decebunt pluviosos: in tanta enim persecutione doctorum omnium officium erat, docere & confirmare alios in vera fide.* tunc ergo omnes docti erant & aliorum doctores, partim verbo, partim exemplo. Tertiò, quia propriè non est alijs splendor firmamenti, quam stellarum & à stellis: nubes enim candida non est splendor firmamenti, sed lux & candor. Vnde Septuag. vertunt, & intelligentes sibi sicut splendor firmamenti, & à iustis multis quasi stellæ in secula. Id magis patebit in sequent. Quamquam probabiliter censem Scholast. in editione Septuag. per Caraffam, Septuag. τὸ ἀνατολῶν, id est iustis, posuisse pro διάωξοντων, id est iustificantibus, hoc est, ad iustitiam erudientibus, ut habent Hebreæ & Noster.

Nota Primò. Docti siue intelligentes, putâ qui veritatem intelligunt, sacrumque Dei nomen, vt ait S. Clemens 1. 5. Constit. Apost. cap. 6. putâ Deum, Deique legem, vt explicat Turrianus; h̄c intelliguntur non speculatiè tantum, sed & practicè, quæ est scientia Sanctorum, Sapient. 10. 10. & sapientia ac prudentia iustorum, Lucæ 1. 17. cuius passim meminit Sapiens in Proverbij. Hi ergo docti sunt ijs, qui eruditi sunt in lege Dei, ea ratione, ut eam in praxin deducant & obseruent, ita ut quo sunt doctiores, eo sint & sanctiores. Hi fulgebunt præ alijs iustis, vti splendor firmamenti fulget præ ipso firmamento. Rursum idem, qui actu non unico, sed crebro & continuo ad iustitiam erudiunt multos, siue, ut hebr. est *רַבָּתִים matsike*, id est qui iustificant multos, id est qui sua doctrina & exhortatione, æquè ac exemplo peccatores conuertunt, eosque faciunt iustos vel iustiores; ac nominatim qui in tentatione ac persecutione alios in fide & iustitia confirmant; siue publicè in scholis, vti faciunt doctores; siue in templis, vti faciunt concionatores & catechistæ; siue priuatim in confessione, colloquio, mensa, domo, &c. hi fulgebunt quasi stellæ alijs præfulgentes, aliosque illuminantes, in perpetuas æternitates.

Angelus ergo h̄c propriè noti loquitur de ijs qui docent profana aut humana Iura, Phi-

Doctores
hic practici
intelliguntur,
non spe-
culatius.

lophiliam, aut Theologiam modo tantum speculatiuo & scientifico; sed de ijs qui ea ad praxin dirigunt, ijsque quasi escis & setis, in disciplorum animos inducunt & inferunt Dei timorem & pietatem, vti faciunt viti religiosi, qui sacerdtales scientias hoc fine docent. Hi enim sacerdtales misericordia pia monita, documenta & exhortationes, auditores suos erudiunt & efformant ad iustitiam, eosque iustos & sanctos, aequè ac doctos efficiunt. Nam, vt ait S. Dionys. Diuinorum omnium perfectionum diuinissima est, Dei cooperatorem esse in reductione animarum ad creatorem: estque angelicum opus alios purgare, illuminare, perficere. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, & quantum adificat ex vita merito Ecclesiam, tantum nocet si destruentibus non resistat, inquit S. Hieron. ad Paulinum. Hi ergo sunt Cherubini simul & Seraphini. Talis fuit S. Bonavent. doctor Seraphicus: tales decet esse omnes Doctores Theologos, praesertim Religiosos. Porro Syrus vertit, factores honorum, & intelligentes lucecent ut lumen firmamenti; & qui iustificant multos, erunt fulgentes, & stantes sicut stelle in seculum, & in seculum seculorum; Arabicus Antioch. qui habent sensum (rationem) lucebunt ut lux celi; & sicut iustificant multos, erunt nitentes velut sidera, & perdurabunt in seculum seculorum; Arabicus Alexandrinus, sensati & factores boni lucebunt ut lumen celi; & qui iustificati sunt plurimum, habebunt hoc (lumen) velut sidera, & perdurabunt in seculum. Sanctorum ergo Doctorum gloria & claritas erit instar stellarum, in quibus lux est densior, & ad res alias illuminandas efficacior: sic enim & hi, vti in omnium quos erudiunt ad iustitiam, meritis quodammodo merentur; ita in eorum omnium coronis & ipsi corona buntur, ait Dionys. Carthus. Et sicut in terris, ceteris quasi stelle illustres præluxerunt per sapientiam & gratiam, ita in celo iisdem pariter quasi stelle radiantes præluebunt, per illustrem coronam & gloriam.

Doctores
maxime hic
sunt qui
alios exci-
stant ad con-
stantiam &
martyrium.

Nota Secundò loquitur hic angelus de ijs qui tum verbo, tum exemplo, praesertim constantiae, in virtute, iustitia, sanctitate, & lege Dei usque ad mortem & martyrium alios docent & corroborant. Hi enim verbis & factis docent & ostendunt martyrium, quam breues, viles & exiles sint omnes opes, deliciae & pompæ terrenæ: nimurum eas esse meros fumos & bullas puerorum, quæ exterius turgidae & magnæ videntur, cum interius sint inanes & vacuae, nec nisi aërem & ventum contineant: pari enim modo mundanæ opes & honores, pompa sua externa quid magni ostentant, sed intus carent substantia, veritate & soliditate. Hi docent, vera, solida & æterna bona esse in celis, quæ Deus promisit contemptibus terrena. Hi verbis & factis S. Script. docent, quantum bonum sit virtus, Deique timor & amor, ac quantum malum sit peccatum, Deique immensi offensa & ira. Denique hi in persecutionibus reipsa docent, tormenta omnia esse brevia & exilia præ magnitudine æternæ gloriae, quam certò expectant, illudque Apostoli classicum tam fortiter patiendo omnia tristia & dura, quam exhortando, cunctis insonant: Non sunt condigne passiones huius temporis ad futuram gloriam, que reuelabitur in nobis. Momentaneum enim & leue tribulationis nostre æternum glorie pondus operatur in nobis.

Ita fecerunt S. Sebastianus, Vincentius, Lau-

A rentius, primique Pontifex Romani: haec enim est vera doctrina & sapientia Sanctorum. Alludit enim angelus ad Leuitam Machabæos, aliosque doctores & Martyres, qui fuerunt tempore Antiochi, eruntque tempore Antichristi, de quib[us] dixit cap. præcedenti v.33. Et docti in populo docebunt plurimos, & ruent in gladio & in flamma. & v.35. (vtrōque enim est in Hebreo eadem vox quæ hic, putat maskilim.) Et de eruditis ruent, vt consentur, & elegantur, & dealbentur. Hi enim sunt doctores diuini, ideoque fulgebunt ut stellæ in æternum. Imo aliqui, vt Alcazar suprà citatus, vult de ijs solis, putat de Mathathia & Machabæis, hic agi: & Maldonatus per doctos & doctores hos accipit eos, qui alios docent suo exemplo, presertim Martyres. Hoc est quod de ijs sancit aitque Christus Matth.5.19. Qui fecerit & docuerit (legem & mandata Dei,) hic magnus vocabitur in regno celorum. Nam de alijs, qui verbo docent, vita dedocent, ait ibidem: Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno celorum.

Nota Tertiò. Maiorem gloriam habebunt hic docti & doctores, quam plebei, rudes & indotiti, non tantum accidentalem, sed & essentialem. Ratio est, quia haec eorum doctrina, cum sit practica & affectuosa, maiorem inuoluit charitatem, gratiam & spiritum: hoc enim impulsi alios docent, eosque codem, putat Dei & cœlestium cognitione & amore, imbuunt: maiori autem gratiae & charitati maior à Deo promissa est, quasi merces, beatitudo & gloria essentialis. Alioqui si quis plebeius & rufus, v.g. rusticus, maiore prædictus sit gratia & charitate, quam doctor & concionator (quod non raro fit in ijs qui toti speculationi aridae, aut verborum concinnitati & flosculis student) maiorem pariter quam doctor consequetur gloriam essentialiem, et si accidentalem doctoris lauream non sit obtenturns. Hi ergo Danielis docti & doctores fulgebunt Primo, maiori lumine gloriae in anima; Secundo, maiori gloria corporis; Tertiò, propria aureola. Tres enim sunt aureolæ, scilicet Doctorum, Virginum & Martyrum, vti docent Doctores. Porro aureola haec erit peculiaris gloria animæ & corporis, decor & corona instar stellæ: atque probabile est in Martyribus fore, vt ait S. August. serm. I. de omnibus Sanctis, coronam in capite, &c. vt Domin. Soto docet in 4. dist. 49. in fine, in Martyribus claritatem toto corpore fore subrubeam & purpuream instar roscarum; in Virginibus claritatem fore candidam instar liliorum; in Doctoribus claritatem fore stellatam, & viridem instar lauri. Erit etiam, ait D. Soto, in corporibus Sanctorum color lucidus & lux colorata. Dos ergo claritatis Virginum erit albicans, Martyrum rubea, Doctorum viridis. Idem docet Ioseph. Angles qu. de Beatit. a. 6. in fine. Similia de aureolis hisce docent Paludan. in 4. dist. 49. qu. 8. a. 4. S. Antonin. 3. p. tit. 30. cap. 8. Henriquez tract. de fine hominis c. 27. §. 8. Bonavent. in Breuiloquio c. vlt. Maior in 4. dist. 49. qu. 23. in fine. Addit Soto. Et fortè Virgines gestabunt lilia, Martyres palmas, Doctores laureas aut virides ramos. Nam, vt ait S. Aug. serm. I. de omnibus Sanctis: Floribus celi nec rose, nec lilia desunt. Certent singuli ad utrosque honores amplissimas accipere dignatum coronas, vel de virginitate candidas, vel de passione purpureas: in cœlestibus casulis pax & acies habent suos

*S. Virgines
cum lilijs,
Martyres
cum rosis
adparmerunt.*

suos flores, sed nostris præstantiores, nobisque inconnitos, quibus milites Christi coronantur. Et S. Ambros. in c. 12. S. Lucæ: *Vbi, ait, integritas, vbi castitas, vbi religio, vbi fides acrorum silentia, vbi claritas angelorum est; illuc Confessorum vole, lilia Virginum, rose Martyrum sunt: sunt enim spine rosarum, quia tormenta sunt Martyrum.*

Hac de causa virginis beatæ cum lilijs, Martyres cum rosis sèpè apparuerunt. Ita apparuit S. Agatha S. Dignæ, eique porrigendo rosam & lilium, eam ad martyrium & virginitatis brauium inuitauit. Audi Eulogium, & ex eo Baronium anno Domini 853. Cum Saraceni sœuirent in Ecclesiam Cordubensem, inter ceteros Martyres virgo quedam adolescentula, merito & nomine Digna, Deo reuelante & confortante, ad palam processit. Paulò namque ante martyrium suum assistere sibi per somnium videt pueram, habitu & specie percomptam angelica, rosas & lilia manu gestantem. Quam cum de nomine, causaque sui exploraret aduentus, *Ego sum, inquit, Agatha olim propter Christum diris attrita supplicijs, & nunc veni partem tibi purpurei muneris huic conserve: accipe libens donarium, & viriliter age in Domino. Nam reliquias rosarum & liliorum, quas in manu seruo, post te ex hoc loco datura sum migraturi.* Tali virgo sacra visu ac munere illustrata, cum è dextra colloquentis rosam susciperet, magis humiliabat se, dicebatque cum lacrymis: *Nolite me Dignam vocare, sed magis Indignam, quia cuius meriti sum, etiam nomine debo insigniri.* Et cum à die reuelationis suæ amore compuncta martyrij, tanto cogitamine, quibus ad id posset indicis adspirare, sèpius ruminaret; apertis silenter coenobij claustris, cum iam beatos pendere competrisset Martyres, concito gradu iudicem petens, cur fratres suos, præcones iustitiae trucidauerit, assertione intrepida percontatur. *An quia, inquit, Dei cultores existimus, sanctamq; fideliter colimus Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum & verum Deum fatentes; & omne quod ab hac credulitate dissentit, non solum negamus, verum etiam detestamur, maledicimus & confundimus, idcirco confodimur?* Hæc & his similia sancto & immaculato ore differente puer, nihil cunctatus arbiter licitoribus decollandam committit, qui mox delicatis inferunt iugulam collis. Nec mora, consternatis corruens membris, eculeo deorsum versa suspeditur, ceterisque trans flumen adsciscitur. Hoc namque ordine hi tres aduocati, Anastasius scilicet presbyter, Felix monachus, & Digna virgo beata eodem die dispariter ceciderunt. Hucusque Eulogius.

Sub annum Domini 304. passa est Cæsaræ in Cappadocia S. Dorothea virgo & Martyr: cui, cum duceretur ad supplicium Theophilus aduocatus Præsidis irridens dixit: *Eia tu sponsa Christi mitte de paradiſo sponsi tui rosas.* & Dorothea respondit: *Plane ita faciam.* Cum venisset ad iustum percussoris, rogauit carnificem, ut permitteretur breuiter precari: absolutaque oratione ecce puer ante eam apparuit ferens in orario tres rosas elegantissimas (erat autem hiems: passa est enim 6. Februarij.) Cui illa ait: *Obscro te ut feras ea Theophilu, & dicas ei: Ecce quod à me petiisti, ut tibi de sponsi mei paradiſo transmitterem.* Ipsa autem percussa gladio perrexit ad Christum. Interim puer rosas ad Theophilum defecit, dicens: *Ecce sicut pro-*

A misit virgo Dorothea, ita transmittit tibi hæc de paradiſo sponsi sui. Eas excipiens Theophilus exclamauit: Verè Deus Christus est, & non est simulatio in eo. Vnde captus, eculeo tortus, & gladio cæsus. Martyr ad Dorotheam in paradiſum euolauit, ita habet Vita S. Dorotheæ.

Similiter angelus offerens S. Cæciliæ & Valentiano eius sponso duas coronas è rosis & lilijs contextas, eos inuitauit ad virginitatem, & ad martyrium, vti habent acta S. Cæciliæ.

Vis harum stellarum exempla? accipe. Primo, Christus doctor doctorum, iam gloriosus de se ipso ait Apocal. 22. v. 16. *Ego sum stella splendida & matutina.* Secundo, Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, apparuit S. Ioanni Apocal. 12. v. 1. quasi mulier habens in capite coronam stellarum duodecim, putà duodecim Apostolorum,

B quæ Ecclesiæ doctores, ei quasi stellæ præfuerunt, & præfulgebunt in æternum. Audi S. Chrysostom. hom. de Pentecoste, sub finem tomij 3. *Quæ, ait, sunt tales stellæ sicut Apostoli? Stellæ in celo, Apostoli super celos. Quæ sursum sunt, inquit Apostolus, sapite, vbi Christus est in dextera Patris sedens. Stellæ de igne (ex sententia Platonis) iuxta quam Poëta: *Vos æterni ignes*) insensibili; Apostoli de igne intelligibili. Stellæ in nocte lucent, in die obscurantur: Apostoli in die & in nocte suis radijs, hoc est virtutibus, effulgent. Stellæ orto sole obscurantur: Apostoli sole iustitia reflendentia sua claritate lucebunt. Stellæ in resurrectione cadent sicut folia: Apostoli in resurrectione rapientur in æra nubibus. Et in illis quidem sideribus alius Antifer, alius Lucifer appellatur: in Apostoli autem nullus Antifer est, omnes Luciferi. Et ideo stellis maiores Apostoli: & quicunque eos liminaria vocauerit mundi, non peccabit; non solum dum essent in corpore; sed etiam magis nunc quando de vita migrarunt. Tertiò, Moyses legislator & doctor ve-*

C teris testamenti præfusit vt stella, dum facies eius à Deo radios & quasi cornua lucis accepit, Exodi 34. vers. 29. Quartò, de Simone Oniæ filio, insigni doctore & pontifice ait, Ecclesiæticus c. 5. 6. *Quasi stella matutina in medio nebulae, & quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol resurgens, sic ille effulgit in templo Dei.* Quintò, Apocal. 1. vers. 20. Septem stellæ angeli (hoc est doctores & Episcopi) sunt septem Ecclesiarum Asiae. Sextò, S. Dominicus nobili cuidam matronæ in visu apparuit luculentam stellam in fronte gerens, cuius immodico splendore totus orbis irradiebatur, vt habeat eius vita I. 1. cap. 1. & cap. vlt. in fine. Septimò, S. Nicolaus Tolentinas, qui verbo & sancta austeraque sua vita multos erudit ad salutem, in ecclia sua dormiens vidit fidus radiantissimum: vigilans

Tertiatus
Moysis
Quartum
Simonis
Oniæ
Quintum
Episcopis
Asia sept.
Sextum
S. Dominicis
Septimum
S. Nicolai
Tolentinas
vlt.

D vigilans vidit stellam, quæ quotidie metu recto ipsum antecedebat usque ad altare; deinde stella hæc post mortem eius, ipso die obitus quotannis ad tumulum eius visa est. Idem sex mensibus ante mortem, qualibet nocte ante preces nocturnas audiuit angelos suauissime canentes, ipsumque inuitantes ad suum in celis consortium; ita vt ipse ad eos aspirans diceret: Cupio dissolui & esse cum Christo. Nimurum angelis amant doctores, vt pote qui angelorum apud homines officio perfunguntur. Octauò, Abbas Polychron. in Prato spirit. cap. 6. narrat de sancto quodam monacho, super cuius defuncti caput stella, quasi comes itineris apparere non destitit, donec ipsum sepulturæ tradiderent. Et cap. 104. narrat Abbas Thiodofius se

Nomina S. Thomas Aquinatis.

Vidisse stellam lucidissimam super caput Nonni presbyteri. Alius ibidem vidit eundem Nonnum extensis in celum manibus orantem : *Lucebant autem manus eius quasi lampades ignis.* Nonò, in morte quinatis.

Decimum B. Maria Virginis.

S. Thomae Aquinatis, vīla est viro cuidam religioso stella incubens monasterio , quæ eo animam exhalante in celum ascendebat: unde ipse, licet absens, *S. Thomae* obitum aequè ac gloriam cognovit. ita refert Ferdin. Castiglius in histor. Ordin. S. Dominici p.1.lib.3.c.33. Vide dicta Numer. 24. 16. *Orietur stella ex Iacob.* Decimò, B. Virgo Maria, id est domina, doctrix & stella maris, imò orbis, Allegor. est mulier amicta sole , & coronata stellis duodecim Apocal. 12. ac toto corpore, totaque anima innumeris dotibus tam glorię quam gratiæ, quasi stellis lucidissimis coruscat, ut de ea vere cecinerit poëta:

Tot tibi sunt dotes Virgo, quot sidera celo.

Denique stellæ significant, doctores & pastores esse oculos Ecclesiæ, sicut dux est oculus exercitus, & stella oculus cœli. Hinc Demas insignis orator, mortuo Alexandro Magno , Macedonum doctore & ductore , eorum exercitum compaurauit cum Cyclope, cui effossus est oculus. Rursum stella cœlestis significat eos è cœlo à Deo doceri, duci, regi, eiusque instinctu & spiritu agi, vt auditorum corda illustrent , conuertant , iustificant. Ad hoc enim vis humana non sufficit, sed diuina requiritur.

D IN PERPETVAS AETERNITATES] Hebr. est, *in eternum & ultra*, id est, in omnem aeternitatem, & ultra eam si quid esse aut fingi posset. vide dicta Exodi 15.18. Ecce quam modicus labor, quam modica passio , quantum parit gloriæ pondus. Quia doctores sunt fatores aeternitatis beatæ , vt ait S. Hilary. hinc & eiusdem erunt messores. Maxima enim cæcitas & ignorantia quam homines trahunt ex Adamo, est , quod bona præsentia vilia , fluida & brevia præferunt veris, solidis & aeternis: tantum enim intuentur pompam & speciem externā rerum, non res ipsas; instar puerorum , qui ex sapone & aqua bullas inflant , easque sectantur, quæ vento turgide mox tenues vanescunt in auras: ac instar canis Æsopici , qui carnem ore tenens, videntisque eius umbram maiorem, carnem dimisit ut umbram caperet: ita & homines bullas & umbras rerum sectantur , non res ipsas, ac proinde vrasque amittunt. Praedclare S. August. serm. 39. de Temp. Tota, ait, series Scripturarum nos à terrenis ad cœlestia erigi adhortatur , ubi vera & sempiterna est beatitudo, ad quam nisi per fidem Catholicę pacis , cooperante charitate Dei & proximi, neminem peruenire certissimum est.. O quam gloriosum est regnum quo cum Christo doctore doctorum , regnant omnes Sancti , fulgent omnes doctores ut stellæ, ut soles in perpetuas aeternitates ! ô Israel quam magna, quam diurna est domus Dei, quam ingens locus possessionis eius! qui numerat multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat. O aeterna sapientia Iesu amor noster doce nos , da vt & alios doceamus ad iustitiam; ac tandem duc nos in Sancta sanctorum, ut ibi fulgeamus quasi stellæ in secula saeculorum.

4. Tu autem Daniel clade sermone, & signa librum usque ad tempus statutum plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.

A 5. Et vidi ego Daniel, & ecce quasi duo alij stabant: unus hinc super ripam fluminis, & alius inde ex altera ripa fluminis.

6. Et dixi viro, qui erat indutus lineis, qui stabat super aquas fluminis : Usque quo finis horum mirabilium?

7. Et audiui vitum, qui indutus etat lineis , qui stabat super aquas fluminis, cū eleuasset dexteram & sinistram suam in celum, & iurasset per viuentem in æternum, quia in tempus, & tempora, & diuidium temporis. Et cum completa fuerit dispersio manus populi sancti, complebuntur uniuersa haec.

B 8. Et ego audiui, & non intellexi. Et dixi: Domine mi, quid erit post haec?

9. Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt signati que sermones usque ad prefinatum tempus.

10. Et eligentur, & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi : & impie agent impij , neque intelligent omnes impij, porro docti intelligent.

CLAVDE SERMONES, ET SIGNA LIBRVM] VERS. 4.

Hæc clausura & signatio significat, Primò, longinquitatem prophetæ, quod scilicet ea quæ in illa prædicuntur, post multa tempora sint euentura: id enim iussit eam signari angelus c.8.26. Sic apud veteres liber obsignatus erat hieroglyphicum antiquitatis, ait ex Horo Pierius hierogl. 47. c.36. eò quod in eo vel veteres sapientū discipling vel res gestæ, longæ posteritatis memorie commen- dentur, atque ita liber, vt ait Horat. longum scriptori proroget eum. Secundò: eiusdem obscuritatem: quæ enim clausa sunt, obscura & imperua sunt. Hac de causa hæc eadem vidit S. Ioannes in libro signato septem sigillis, Apoc. 5.1. Tertiò, eiusdem certitudinem: certa enim habentur quæ obsignata sunt, vt patet c.8.26.q.d. O Daniel hæc omnia quæ à capite decimo hucusque tibi reuelauit, æquè obscura sunt, ac longinquæ & certa: quare sub figuris ea signa & claude, id est conscribe ænigmaticè, vt legentes non intelligent; q.d. Hæc non bene cogno- scuntur ante tempus statutum, scilicet legis nouæ, ait Theodor. in quo mysteria sacræ Scripturæ Christus aperiet: nec plenè ante tempus statutum, quo ea quæ hæc prophetata sunt, reipla complebuntur, præsertim ea quæ de resurrectione bonorum & malorum, deq; Doctorum gloria hæc prædicuntur futura in fine mundi. Vnde Pagnin. verit, usque ad tempus finis; Septuag. usque ad tempus consummationis. Quocirca prius plurimi pertransibunt & perlegent hasce prophetias , carumque multiplicem scientiam, id est interpretationem, afferent. Ita nimis cum hæc scriberet Daniel, nemo ea intelligebat: post Antiochi tempus intelligi coepit, sunt quæ ad eum eiusque antecessores pertinent: ea autem quæ de Antichristo dicta sunt. neandum intelliguntur; intelligentur autem tempore Antichristi. ita Maldonat. Nam vt ait S. Iren. Omnis propheta priusquam compleatur, enigma est: cum autem completa est , manifestam habet expositionem & intelligentiam.

Ita

Sphinx ani-
gma silentij
serum sa-
statum.

Ita veteres Ægypti in foribus templorum pingebant sphinges, ut significanter diuina dogmata, oracula & mysteria abstrusa & abdita esse; atque in arcanis dumtaxat inter sapientes religionis cultores tractanda: & quia Augustus Cæsar erat silentij rerum sacrarum amantisissimus, hinc sphingem ferebat sculptam in annulo, quo literas signabat. Erat enim sphinx monstrum, capite & manibus simile puellæ, corpore cani, alis aut, vnguis leoni, cauda draconis, voce homini; quod homines prætereuntes difficilibus & inextricabilibus quæstionibus remorari ferebatur. ita Pierius hierogl. 1. & 7. Moraliter, docet h̄c Deus illud dogma Ptolemai initio Almagesti: *Tuum consilium non committas nisi ei, qui ipsum celaverit, putà sapientibus & iustis. In* *storum enim corda secretorum monumenta, vt ibidem* ait Ptolemaeus.

VERS. 5.

ET ECCE QVASI DVO ALII STABANT] Censet S. Hieron. duos hosce viros stantes aduersim in vtraque fluuij ripa fuisse duos angelos, scilicet principem regni Græcorum, & principem regni Persorum; qui Iudæorum liberationi aduersabantur, vti dixit angelus cap. 10. 13. & 20. tertium verò eis in ripa astantem fuisse angelum Hebræorum, qui à cap. 10. hucusque cum Daniele locutus est, quem verisimile est fuisse Gabrielem, vt colligitur ex c. 8. v. 16.

Aliter Alazar in Apocal. 10. v. 1. notat. 2. censet enim ipse hos duos viros in ripa stantes significare reges Austri & Aquilonis, hoc est Ægypti & Syriæ, qui bellorum tumultu Dei populum vtrime captum in maxima pericula, calamitates & ærumnas coniecturi erant, vti audiuius cap. precedenti. Hi duo oblistunt angelo stanti super aquas, ne ad alterutram ripam euadat, hoc est, oblistunt Iudæis (hos enim representat ipse eorum angelus) ne ex hoc bellorum biuio manus alterutrius euadant. Verùm hæc spectant ad tempora Antichristi, vti patet ex prophetiæ decursu.

VERS. 6.

ET DIXI, scilicet ego Daniel: ita & Septuag. sed Hebræa iam habent **¶¶¶¶¶** rationier, & dixit, scilicet alter duorum angelorum stantium in ripa, **VIR QVI ERAT IN DVTVS LINEIS**, hoc est angelo Hebræorum, qui cum Daniele loquebatur, vt patet cap. 10. 9. **QVI STABAT SVPER AQYAS FLVMINIS**] putà Tigris, vt patet c. 10. v. 4. ibi enim degebatur Daniel; idque vt designaret, Primo, omnia imperia celerrimè decurrere, vti velocissimè decurrit Tigris. Secundo, Iudæos gentem suam, flutibus aquarum, id est ærumnis tribulationum & persecutionum, iactari.

VSQVEQVO FINIS HORVM MIRABILIVM?] quando hæ res mirabiles, quas prædixisti, euenient? Secundo, & potius, q.d. Quamdiu durabit, & quando finietur atrox illa persecutio Antichristi, quam tam operosè & horridè descripsisti? Huic enim quæstioni respondet mox angelus dicens: *In tempus, & tempora, & dimidium temporis.* Breuitas enim tribulationis, si præsciatur, valde eam alleuat: vnde propter electos breuiabit Deus diem persecutionis Antichristi, ne illi succumbant, Matth. 24.

VERS. 7.

CVM ELEVASSET DEXTERAM ET SINISTRAM] cùm eleuata manu dextra & sinistra iurasset. Dextra elata solumus iurare; h̄c verò angelus etiam sinistram leuat tum ob rei grauitatem, tum ad iuramenti confirmationem. Iuramentum ergo hoc significat Dei decretum de hisce oracu-

A lis, rebusq: futuris immutabile esse & irreuocabile.

QVIA IN TEMPVS] Refer hæc ad audiui, q.d. Audiui angelum cùm iurasset, dicentem: *Quia in tempus, & tempora, & dimidium temporis,* id est per annum, & duos annos, & dimidium anni, hoc est, per tres annos cum medio durabit persecutio Antichristi, de qua quæris.

Alazar in Apocal. 11. v. 2. not. 2. censet h̄c agi ad literam de persecutione Antiochi: licet enim profanatio templi ab eo facta durauerit tantum tribus annis, vt dicitur 1. Machab. 4. 52. & testatur Ioseph. lib. 12. Antiq. cap. 10. aliás 11. tamen profanatio vrbis Hierosolymæ durauit tres annos cum dimidio. Tamdiu enim ipse vrbe & arcem Sion occupauit, & diuinum cultum inhibuit, vti diserte docet Ioseph. in prologo lib. de Bello, & c. 1. Consequenter quod dicitur hoc cap. vers. 12. *Beatus qui exspectat, & peruenit ad dies mille trecentos triginta quinque;* refert ipse ad arcis Sionis instauracionem, quæ ad maius templi præsidium & propugnationem fuit facta, mox vt templum fuit expiatum, vti liquet 1. Machab. 4. 60. & apud Ioseph. libr. 12. cap. 10. aliás 11. Verùm passim Catholici, tam moderni quām veteres, hæc referunt ad persecutionem Antichristi, idque pluribus demonstrauit cap. 7. 25.

ET CVM COMPLETA FVERIT DISPERSIO MANVS POPVLJ Manus, id est multitudinis: quia enim de bello agebat, militari vsus est vocabulo: quasi dicat, Cum plurimi Christiani dispergentur in solitudines & speluncas, vt cedant furori Antichristi, Apocal. 12. 6. tunc ea quæ h̄c prædicto, complebuntur, tumque Dei electi in tribulatione dealbabuntur & purgabuntur quasi in igne, vt dixit cap. 11. 35. & rursum h̄c dicit vers. 1 o. Theodor. legit, *cum perfecta fuerit dissipatio populi sanctificati, cognoscant sanctum*, scilicet Eliam Prophetam, inquit, qui fideles fugientes Antichristum confabunt.

ET EGO AVDIVI, ET NON INTELLEXI; p[ro]f[ect]o VERS. 8. fertim id quod rogaui vers. 6. & quod iterum h̄c rogo: **QVID ERIT POST HÆC?**] Id est, *quis erit filius horum mirabilium?* ita Hebræa, & Theodotion. Vnde sequitur:

CLAVSI SVNT SIGNATIQVE SERMCNES VERS. 9. VSQVE AD PRÆFINITVM TEMPVS] q.d. Nemo hæc plenè intelliget, donec adueniat tempus à Deo præfinitum, quo ea re ipsa euenient. Vide dicta v. 4.

NEQVE INTELLIGENT OMNES IMPII] Impij & Antichristiani nō intelligent hanc prophetiam, etiam cùm viderint ea quæ h̄c dicuntur, euenire; quia prospera referent in Antichristi potentiam, & in hominum consilia; aduersa in casum & fortunam, aliasque causas naturales.

PORRO DOCTI INTELLIGENT] q.d. Pij & sapientes Christiani intelligent mysteria huius prophetiæ, cùm ea viderint impleri; quia tunc agnoscentes Dei prouidentiam leuabunt capita sua, & cognoscet redemtionem suam appropinquare, Danielisque prophetiam impleri, vti in simili à Christo moniti fuerunt Matth. 24. 15.

I1. Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatione in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.

A TEM-

VERS. II.

A TEMPORE CVM ABLATVM FVERIT IV-
GE SACRIFICIVM, &c.] Syrus vertit, à tempore quo
transbit oblatio (sacrificium) dabitur profanatio (abo-
minatio in corruptionem (desolationis) dies mille du-
centi nonaginta; Arabicus Antioch. & à tempore in
quo mutatur sacrificium, dabitur in immunditiam in de-
solationem dies mille ducenti nonaginta; Arabicus Alex,
considerabunt in tempore quo transbit oblatio, & faciet
malitiosus immunditiam & corruptionem, dies mille ducen-
ti nonaginta.

A TEMPORE] Porphyrius, & aliqui Catholici
hæc intellexerunt de tempore Antiochi, qui sacra
Iudaica sustulit. Alius quidam putat h̄ic designari
tempus, quo Romanorum contra Iudeos bellum
duravit: si enim à 13. Neronis anno quo cœpit bel-
lum hoc, usque ad secundum Vespasiani, quo de-
bellata captaque est urbs, totaque Iudea, tempus B
numeros; tres annos cum medio reperies. Verum
ex v. 2. patet h̄ic agi de fine mundi. Sicut ergo c. 9.
27. prædictus Daniel fore abominationem desola-
tionis in templo, in excidio per Titum; & rursum
c. 11. 13. in excidio per Antiochū Epiphanē; ita h̄ic
ait eamdem tertio fore in excidio per Antichristū
cuius illa duo priora fuerunt typus & præludium:
Triplex ergo, siue ter repetita, est h̄ec abominatio
desolationis apud Danielē, Primo, sub Antiocho;
Secundo, sub Tito; Tertio, sub Antichristo.

Dico ergo, per iugē sacrificium h̄ic intelligi sacri-
ficiū Eucharistiae. Hoc enim est iugē, quia in Mis-
sa quotidie per totum orbem in Ecclesia Christi
offeretur, sicut olim quotidie offerebatur iugē sac-
rificio agni, Exodi 29.28. Vnde Græca habent
εὐδελεξισμός, id est continuitas, siue continuus
Dei cultus. Significat ergo, quod Antichristus, cum
plenus erit monarχa, auferet sacrificium Eucha-
ristiae, ita ut nullus publicè hoc facere audeat: ac
consequenter tollet omnem publicum Dei cultū.
ita S. Hieron. Theodor. Irenæus lib. 5. Primas. in
c. 11. Apocal. & Hippolytus tract. de Consummat.
seculi. Vnde patet, cuius prodromi sint nostri hæ-
retici Sacramentarij, qui non tantum sacrificij
Missaे usum, sed & substantiam ac veritatē abolere
& euertere moliantur. Porro faciet id Antichri-
stus Primo, quia solus colivit sacrificijs, preci-
bus, &c. Secundo, ut aboleat locupletissimum pas-
sionis & redemptionis Christi monumentum: hoc
enim est Eucharistia. Tertio, ut fideles cibo hoc
spirituali, qui fideles in temptatione & persecutio-
ne mirè corroborat priuet; itaque eos deiiciat, sibi-
que subdat: Quare fideles tunc priuatim in speluncis &
locis abditis Eucharistiam celebrabunt, ca-
que se contra Antichristum communient, dicen-
que illud psal. 22. 5. Parati in conspectu meo mensam
aduersus eos qui tribulant me. ut olim fecerunt sub
Decio & Diocletiano.

ET POSITA FVERIT ABOMINATIO IN DE-
SOLATIONEM] Abominatio, id est idolum, putat Antichristus ipse, qui vice Christi colivit ut Deus, idque in, id est ad, desolationē, ut scilicet omnia bona perdat & desolet. Ab hoc ergo tempore, & initio, usque ad finem persecutionis Antichristi, erunt dies mille ducenti nonaginta, id est tres anni cum dimidio (vti dixit cap. 7. v. 25.) hi enim præcisè fa-
ciunt dies 1278. sed ulterius ex crescet persecutio per dies duodecim, scilicet usque ad dies 1290. Vnde & S. Joannes Apocal. 11. 2. docet Antichristus regnaturum per 42. menses, qui faciunt tres annos cum medio. ita Theodor. & Hieron. item

A Primasius, Beda, Anselm. Aretas, Richardus, Ru-
pert. & alij in Apoc. 11. de quo ibidem plura dixi.

Porro S. Ambros. libr. 10. in Lucam, Nazianz. in Scholijs super quædam Script. loca, Damasceti, 1.4.27. & alij asserūt, quod olim Julianus Apostata in odium Christi aggressus est, id Antichristum perfecturum, scilicet, ut templum Salomonis rursum aedificet, & in eo sibi deitatis solium constituat, ibique ab omnibus adoretur quasi rex orbis, quasi Christus saluator hominum, quasi Deus denique omnium. Sed siue in hoc, siue in alio templo id fa-
ciat, clarum est & certum id cum facturum. Nam de eo ait Apost. 2. Thessal. 2. 4. Qui aduersatur & ex-
tollitur supra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur:
ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquam sit
Deus. Vide ibi dicta.

Nota. Breue tempus statuit Deus huic persecuti-
oni, nec sinet suos fideles tanta tentatione nimis
diu premi & opprimi: erit enim immanis, & tanta,
ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi,
Matth. 24. 14.

Aliqui censem, totum tempus legis Euangelicas
vocari dies 1290. siue tres annos cum dimidio, id
est dimidiā hebdomadam, quia, ut ait S. Ioannes, nunc est nouissima hora, cum iam venerit plen-
nitudo temporum, nec sit iam nobis alia lex, alia
Ecclesia, alius Christus expectandus: q.d. Ab abo-
minatione desolationis, id est ab eversione templi
per Titum, usque ad finē mundi, erunt dies 1290.
id est explebitur ultima dimidia hebdomada ex
illis 70. de quibus dixi c. 9. 24. Verum h̄ec exposi-
tio noua, peregrina & hiulca videtur: tum quia an-
gelus h̄ic agit de tempore Antichristi, & fine mun-
di; tu quia h̄ec sententia dimidiā hebdomadam
ab alijs 70. diuelliit, ijsque omnibus longè maiorem
efficit; tum quia iuxta eam angelus non 1290. dies,
sed dimidiā hebdomadam dicere debuisset.

12. Beatus, qui expectat, & peruenit
usque ad dies mille trecentos triginta-
quinque.

13. Tu autem vade ad præfinitum: &
requiesces, & stabis in sorte tua in finem
dierum.

VSQVE AD DIES MILLE TRECENTOS TRIGIN-
TA QVINQVE] Iudei aliqui diem pro anno acci-
piunt, sicque exponunt, q.d. A tempore quo vel ab
Antiocho, vel ab Adriano Imper. idolum positum
fuit in templo, fluent anni 1335. quibus expletis
veniet Messias. Sed hoc figmentum redarguit
D chronologia; nam ab Antiocho usque ad nunc
fluxerunt anni 1770. & amplius; ab Adriano vero
annī 1480. & amplius: & tamen eorum Messias
necdum comparet.

Secundo, aliqui Catholici censem angelum per
tres numeros indicare tria tempora, scilicet per
1300. dies indicare totum tempus à Christo usque
ad Antichristū; per triginta indicare totum tem-
pus, quo regnaturus est Antichristus; per quinque
ultimos indicare vitę beatę possessionem, & quid-
quid post finem temporis futurum est. Verum h̄ec
noua expositio vel mystica, vel cōmentitia videtur.

Tertio, Theodor. opinatur per hosce dies, in-
terempto iam Antichristo, Eliam prædicaturum,
& conuersurum eos qui lapsi fuerunt sub Anti-
christo. Sed fallitur: nam Elias occidetur ab Anti-
christo, ut patet Apocal. 11. 7.

Huc

Antichris-
tus toller-
sacrificium
Missa.Cur.
Resp. Pri-
mo.
Secundo.
Tertio.Desolatio-
Antichristi
durabis
tres annos
cum medio.VERS. 12.
Dies 1335.
qui
Prima
sentent.

Tertia.

Huc accedit Thomas Maluenda lib. II. de Antichristo cap. 19. qui censet tot dies, putà 1335. post mortem Antichristi superfuturos usque ad diem iudicij; sicque exponit, q.d. Beatus erit qui post mortem Antichristi, & post elapsos 1290. dies tyrannidis Antichristi, superuixerit alios 1335. dies: nam videbit Dominum in maiestate venturum ad iudicium; vt angelus hic Danieli reuelet & significet, quòd à morte Antichristi & restitutione iugis sacrificij usque ad diem iudicij, præcisè fluent 1335. dies, hoc est tres anni, & septem mensis cum dimidio. Hic sensus non est improbabilis; sed nouus, nec satis hosce dies cum 1290. immediate præcedentibus colligat & combinat; quod tamen videtur facere angelus.

Dico ergo, angelum respicere ad dies 1290. v. 11. quibus regnabit, & fideles persequetur Antichristus, atque fini persecutionis, putà morti Antichristi, superaddere 45. dies. q.d. Beati & felices erunt qui post mortem Antichristi vixerint: ijs enim dabitur requies aliqua, & aliquod tempus quo possint commodè animæ suæ salutem querere, &, si sub Antichristo lapsi sint poenitente; atq; ad Deum gloriamque cælestem aspirare. Ita Lyran. Carthus. Peterius & alij. Hinc ergo non constat, an à morte Antichristi usque ad diem iudicij, finemque mundi præcisè futuri sint 45. dies tantum: nam, vt ait S. Hieron. Daniel dicit post mortem Antichristi 45. diebus fore silentium, & pacem; sed non negat plures fore dies, præsertim cù Ezechiel c. 39. 9. post cædem Gog & Magog, qui cum Antichristo cæduntur, ponat septem annos. Vnde Sibylla l. 3. oracul. prædictis post Antichristum feminam viduam regnaturam, quæ aurum, argentum, æs & ferrum in mare proiecunt, tumque secuturum finem mundi, & diem iudicij. Vide dicta Ezech. 39. Quocirca aliqui per 45. dies accipiunt 45. annos, quos dandos censent post Antichristum usque ad diem iudicij, vt lapsi sub eo resipiscant. Si enim post occisum Christum à Iudæis, dati sunt ijs quadraginta anni ad resipendum, putà usque ad Titum & Vespasianum; cur non totidem & plures dentur toti orbi in fine mundi? ita illi. Verum cum v. 11. dies 1290. propriè capiantur pro diebus, non pro annis: ergo & hīc, dum idem extenduntur ad dies 1335. Porro 45. dies non sufficient ad conuertendum lapsos, ad erudiendum infideles, ad restaurandas vel fundandas Ecclesiæ toto orbe. Beatus ergo erit qui peruerterit ad dies 1290. non quòd præcisè die 1290. sit futurum extrellum iudicium, quo Christus Santos & electos suos beabit, vt videtur dicere S. Hieron. Sic enim certò & determinatè præsciri posset dies iudicij, idque statim ab exordio regni & persecutionis Antichristi, nimirum exinde computando iudicium præcisè fore die 1290. Hoc autem repugnat illi sententiæ Christi: *De die autem illa & hora nemo scit, neque angeli celorum, nisi solus pater,* Matth. 24. Sed beatus erit, eò quòd tunc sacerdotes & concionatores è latebris suis prodeunt coligent fideles, & publicè concionabuntur, lapsi que sub Antichristo, per poenitentiam Ecclesiæ restituent; infideles vero incitabunt ad fidem Christi capessendam, vt pote qui tum videbunt se ab Antichristo fuisse delusos. Circa diem ergo 1290. reflorescit Ecclesia, publicusque Dei cultus: quare beatus erit qui tunc vixerit, quia absque timore poterit.

A rit Deum colere, cique reconciliari. Nam paulò ante, putà statim à morte Antichristi, ante diem 1290. magnus erit vbique timor & paucor retardans homines à fide & religione Christi profienda; idque vel ob tot hominum plagas, strages & clades recetes, quæ superstites ita percellent, vt attonti & emotæ mentis videantur: vel quia metuent ne supersint Antichristi principes & asseclæ, qui eius persecutionem promoueant & instaurent: vel quia omnium animi erunt suspensi: non enim scient quænam futura sit religionis; Ecclesiæ & reipubl. conditio vel mutatio: qui, qualesque futuri sint rep. gubernatores & principes: quoniam rerum status inclinabit. Vnde non audebūt se, suamque fidem vel animum pandere aut profiteri: sed cùm videbunt impios planè capita demittere, Episcopos & Doctores ceruices erigere, ac publicè & intrepide veram fidem concionari, ab eisque publicum Christianæ fidei exercitum restitui (quod fiet sub diem 45. à morte Antichristi) tunc ponentes pauorem & timorem, incipient de Deo deque salute sua cogitare, eamque facile per concionatores & sacerdotes zelosos, quos Deus tunc submittet, consequentur. Vide dicta Ezech. 39. 9.

B Si quis malit sequi expositionem S. Hieronymi, ac dicere à nece Antichristi usque ad diem iudicij & resurrectionis præcisè fore 45. dies, sanè aptè exponet *ad beatus*, quia die 45. peracto, postero die, qui erit Paschatis, Christus electos suos qui in persecutione, constantes steterint, vel lapsi poenitentiam egerint, beabit & glorificabit. Atque ex ea deduces aliquid arcani & miri, nimirum Antichristum occidendum esse peractis Bacchanalibus primo die Quadragesimæ, ac deinde reliquos dies Quadragesimæ: (ij enim præcisè sunt 45.) dandos lapsi ut poeniteant, ac se præparent ad ultimum pascha quo resurgent, iudicabuntur & beabuntur. Nam die eodem quo Christus surrexit, putà Paschatis, nos pariter resurrectos, docet Laurentius lib. 7. c. 19. Anselmus in Elucidario, & alij quos citabo Apocal. c. 19. in fine.

C D TV AVTEM Daniel VADE AD PRÆFINITVM, vade ad mortem omnibus constitutam, q. d. Mortuus, ô Daniel, antequam hæc eueniant, sed suo tempore resurges; ET STABIS IN SORTE] electorum & prædestinatorum. Secundò, in sorte, id est in ordine & gradu tuo, putà in gradu gloriæ, qui tibi dabitur pro mensura meritorum tuorum: quod Paulus ait, *Vnusquisque in suo ordine.* Sicut enim alia claritas est Solis, alia lunæ, alia stellarum; sic erit & Beatorum 1. Cor. 15. 23. & 41. idque in finem, id est sub finem; vel, vt Vatabl. vertit, *in fine dierum*, putà in fine mundi, in generali resurrectione, & die iudicij. ita Theodor. Vatabl. & alij. Aliqui sic expoununt, q.d. Wade ô Daniel, & usque ad præfinitum tempus æquo patientiæ animo feras tuam ignorantem huius prophetæ: cùm enim tempus finitum erit, tu unus eris ex ijs qui ad dies 1335. peruenient, id est qui erunt beati. Sed hic sensus, æquè vt alij superiùs v. 11. & 12. allati, alienior videtur. Porro Syrus & Arabicus vertunt, & tu ô Daniel vade ad finem, & quiesce, & surges in tempore tuo ad finem dierum.

D Nota. Angelus cælestem patriam vocat sortem, quia alludit ad eius typum, putà ad terram Chanaan Iudæis promissam, quæ eis sorte distributa est.

CAPUT DECIMVM TERTIVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Susanna casta falso adulterij à duobus senibus accusata à Daniele puerō liberatur & vindicatur.

Vers. 1.

ET erat vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioakim:

2. Et accepit vxorem nomine Susannā, filiam Helciæ pulchram nimis, & timenterem Deum;

3. parentes enim illius, cùm esset iusti, erudierunt filiam suam secundūm legem Moysi.

4. Erat autem Ioakim diues valde, & erat ei pomarium vicinum domui suæ, & ad ipsum confluebant Iudæi, cò quod esset honorabilior omnium.

5. Et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno: de quibus locutus est Dominus: *Quia egesta est iniqüitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.*

6. Isti frequentabant domum Ioakim, & veniebant ad eos, omnes qui habebat iudicia.

7. Cùm autem populus reuertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui.

8. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam eius:

9. & euerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos ut non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.

10. Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicauerunt sibi vicissim dolorem suum:

11. erubescabant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concubere cum ea:

12. & obseruabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum:

13. Eamus domum, quia hora prandij est. Et egressi recesserunt à se.

14. Cumque reuertissent, venerunt in unum: & sciscitantes ab inuicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: & tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent inuenire solam.

15. Factum est autem cùm obseruarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri & nudius tertius, cum duabus solis puellis, voluitque lauari in pomario: æstus quippe erat:

16. & non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.

17. Dixit ergo puellis: Afferte mibi

A oleum, & smigmata, & ostia pomarij claudite, vt lauer.

18. Et fecerunt sicut præceperat: clauseruntque ostia pomarij, & egressæ sunt per posticum, vt afferrent quæ iussérat: nesciebantq; senes intus esse absconditos.

19. Cùm autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt:

20. Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in cōcupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, & commiscere nobiscum.

21. Quod si nolueris, dicemus contra te testimonium, quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc causā emiseris puellas à te.

ET ERAT VIR] Nota, hoc caput, & sequens non haberi iam Hebræo, sed illa ex Theodotione se transtulisse affirmat S. Hieron. Olim ea extitisse in Hebræo patet ex Theodotione & Septuag. qui historiam Susannæ & Belis in sua translatione posuerunt trecentis annis ante Christum. Idem facit interpres Syrus, & Arabicus uterque, Antioch. & Alexandr. Perperam ergo hanc historiam impugnauit Africanus (eum sequuntur nostri Nouantes) cuius octo argumenta vel potius coniecturas bene refellit Origenes epistola ad eum scripta: utriusque epistolam è Græco conuersam latine edidit, & suis in Isaiam commentarijs præfixit Leo Castrius. Quare hæc historia non tantum est vera, sed & canonica Scriptura, vt ostendi in procœmio.

DNota Secundò. Hæc historia ceteris Danielis historijs & capitibus est præponenda, ponendaque statim post caput primum; imò in Græcis codicibus, & apud S. Athanas. in Synopsi, & in versione Arabica ipsa est cap. 1. Danielis, atque in multis inscribitur Daniel, in quibusdam Susanna, in aliquo Αργειοις Δαυιδ, iudicium Danielis: quia id quod narrat accedit in Babylone, Daniele existente pœro v. 45. Vnde hæc videtur fuisse prima prophetia Danielis, nam ex ea Daniel à populo magni fieri cœpit v. 64.

DNota Tertiò. Hæc historia non videtur ab ipso Daniele, saltem in hoc eius opere, fuisse cōscripta; sed à quopiam Hebræo, qui in captiuitate Babylonica, vel potius paulò post eam, scripsit chronica sive diaria regum Medorum & Persarum, & maximè Cyri, qui Iudæos Babylone liberauit, simulque conscripsit res memorabiles, quæ eo tempore sive genti, putà Hebræis, contigerunt. Id patet ex v. 66. vbi indicatur, quod historia vel Susannæ, vel Belis contigerit ante Cyrum, sub Astyage rege Medorum, qui fuit avus Cyri. Ex illis ergo diarijs translata est in hunc librum Danielis, eique addita quasi appendix: quia à Daniele getta & peracta est: atque hæc est causa, cur ad calcē Danielis sit reiecta: quin imò historiam Belis Septuag. afficerunt Habacuc Prophetæ, vti dicam c. 14. 32.

ET CONSTITVTI SVNT DVO SENES] Ex hoc VERS. 5. loco

VERS. 1.
Historia
Susannæ
Scripta ca-
nonica.

Hæc fuit
prima pro-
phetia Da-
nielis.

transcripta
est ex chro-
nicis illius
aui.

loco Africanus hanc historiam impugnabat. Quomodo enim, inquit, in Babylone Iudei habuissent suos iudices, cum captivi essent, & omnino Babylonis subditi? Respondeo, id factum fuisse indulgentia Chaldaeorum: permiserunt enim ipsi Iudeis ut eas causas, quae ad ipsorum legem pertinerent, ipsi iudicarent. Idem permiserunt eis Romani, vt patet Ioannis 18.31. Sic videmus Antuerpiæ Lusitanos & Italos mercatores suos siveque gentis habere magistratus & iudices.

Tradunt Hebrei, & ex eis Origenes & S. Hieron. hos duos senes fuisse Sedeciam & Achab adulteros, ideoque occisos, de quibus agit Ieremias c.29.22. Perierius tamen, Maldon. & alij id ipsum negant. qua de re dixi Ieremias 29.

Vide hic quam luxuria sit glutinosa & usque ad senium & mortem homini adhaerescat. *Luxuria*, inquit D. Thom. 1.2. q.75. a.5. est maxime adhaerentie, & difficilè ab ea potest homo eripi: insatiabilis est enim delectabilis appetitus. Qui ergo lapsi sunt statim resurgent, ne, si iterum iterumque relabantur, ab hoc glutine se expedire non possint. Sanè hic verum est illud S. Ambros. Facilius reperi qui seruauerint innocentiam, quam qui veram egerint penitentiam, Rursum verè dixit poëta:

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

Quocirca tales senes leuiculi & petulantes, meritò comparantur pappo carduorum, de quo extat hoc Eubuli enigma:

*Nou ego qui granis est iuuenis, cum verò senex est,
Euolat implumis leuiter, terramque lacebit.*

Appositè horum duorum senum crimen adaptat Petrus Damiani epist. ad Cadiloum Antipapam, Placentino & Vercellino Episcopis, qui Cadiloum Antipapam crearunt, eique Ecclesiam Romanam, quasi Susannam, Inuadendam & violandam tradiderunt. Sed Daniel, id est iudicium & vindicta Dei eos persecuta damnauit.

LOCUTVS EST DOMINVS, QVIA, &c.] Vbi, & quomodo, an scripto, an viua voce Prophetæ alicuius hæc locutus sit Dominus, non liquet.

QUI VIDEBANTVR] qui erant in existimatione, in auctoritate regendi populum. Hoc enim inter alia significat δοκεῖν: vnde δολεῖτε vocantur viri honorati & illustres. Galat. 2.v.2. & 6.

QUI HABEBANT IUDICIA] οἱ χριστιανοὶ, qui iudicabantur, puta litigantes.

ET VIDEBANT EAM] Asperitus fuit causa cōcupiscentiae: oculi enim sunt in amore duces. Et vbi oculus, ibi amor; vbi manus, ibi dolor. Hinc sapienter Iob c.31.v.1. P. p. ait, fædus cum oculis meis ut ne cogitat quidem de virginie. Audiui matronam grauem & castam monentem confessarios, ut cauerent ab aspectu & colloquijs longis feminarū: Ego enim, ait, certa sum non esse vitum tam sanctum, tam constantem, quem non flectam quod velim, si cum eo ad quadrantē horæ colloquar, isque oculos meos intueatur. Serpentini ergo sunt oculi, facies, corpora & colloquia feminarum. Præclarè S. Hier. ad Nepotianū epist. 2. *Hospitiolum tuum*, inquit, aut raro aut numquam mulierum pedes terant. Omnes puellas & virginis Christi aut equaliter ignora, aut equaliter dilige: ne sub eodem techo mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec Samsonem fortior, nec Dauidem sanctior, nec Salomonem potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colum de possessione sua mulier deicerit.

Apud euudem tomo 9. in Regula Monacharum, quæ inscribitur Eustochio dicto Hieronymi Corvæ in Danielem.

A nomine, c.18. Nihil periculosus viro quam mulier, nec mulieri quam vir: vterque palea, vterque ignis.

S.Bernard.serm.65.in Cant. Cum femina, ait, semper esse & non cognoscere feminam, nome plus est quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes; & quod maius est, vis credam tibi? Vide dicta Genes. 34. 2. & Numer. 25. in fine.

Audi ergo sanum consilium poëtæ Christiani, qui prudenter æquè ac eleganter ita ludit.

Quid facies, facies Veneris cum veneris ante?

Ne sedeas, sed eas; ne pereas per eas.

Nam, vt canit Ouid. 13. Metamorph.

Prœ, quanta potentia regni

Est Venus alma tui!

Perque oculos perit ipse tuos, & suos.

EVERTERVNT SENSVM] Amor enim cæcus est VERS. 9. & rationem excæcat. Dixit Gentilis: *Amare & sapere* vix Deo conceditur.

VT NON VIDERENT CÆLVVM] Syrus, vt non intuerentur in cælum; Aræbicus, ne suspicent cælum; ac consequenter vt non reuererentur Deum cæli præsidem. Imò Maldon. per cælum accipit Deum ipsum. Sic enim videtur accipi Matthæi 21.25. Baptismus Iohannis unde erat? è cælo? id est à Deo? Vnde Angelus Caninius in Nom. Hebr. docet Deum vocari sciam, id est cælum: est enim ipse vti mundus, ita & cælum increatum. Hinc Atlantides Africæ populi, primum apud se regnasse Deum & ex vobis, id est cælum, gloriantur. Sic Lucæ 15.21. ait Prodigus: *Pater peccavi in cælum.* Sic Poëta: *Cælo gratissimus annis: cælo, id est diis, qui cælo continentur.* 1. Machab. 3.18. Non est differencia in conpectu Dei celi (græcè ἐν αὐτοῖς & ἐγενόντο, id est coram cælo, id est Deo cæli rege) liberare in multis, & in paucis. Et c.4. 10. Et nunc clamemus in cælum, & miserebitur nostri. Vox enim Dominus, quæ subditur in Latinis, non est in Græcis. Sic Rabbini sæpè dicunt, *omnia esse in manu cæli, id est Dei: item, sit timor cæli super vos: &c,* Nomen cæli frequens in ore vestro. Sic, *timor hominum excludit timorem cæli.* Sic Ierem. 17.12. dicitur: *Solium glorie altitudinis à principio, q.d. Est Deus residens in solio cælesti, qui puniet Sedeciam, aliosque impios.* Quinimò Plinius ita opus suum inchoat: *Mundum, & hoc quod nomine alio cælum appellare libuit, cuius circumflexu teguntur cuncta, Numen esse credi par est.* Est Ouid. 8. Metamorph.

Immensa est, finimque potentia cæli Non habet. Est metonymia. Similis est, cum domus ponitur pro sobole domum incolente: vt,

Cum domus Assaraci vičis dominabitur Argis.

Sic domus Dauidis, Salomonis, Ezechiae, Iosiae, &c. vocatur ipsa eorum stiks & familia regia. Sic rursum de Susanna dicitur v.35. *Quæ flens suscepit in cælum*, scilicet ad Deum. Vnde & sequitur hic:

NEQVE RECORDARENTVR IUDICIORVM IVSTORVM] quibus Deus è cælo occulta adulteria & sceleris vñscit. Hoc est quod ait Sapiens Eccli. 23.27. Non intelligit (cæcus adulteri) quod omnia videt oculus illius (Dei,) quoniam expellit a se timorem Dei. Et v.26. adulter ait: *Quis me videt? tenebrae circumcidunt me, & parietes cooperiunt me, & nemo circumspicit me, quem vereor? delictorum meorum non memorabitur Altissimus.* Quærerit insipiens, *Quis me videt? quem vereor?* Respondeat ei S. Bern. ser. ad Clericos c.16. Esto nemo te videat, non tamen nullus. Videt te angelus malus, videt te angelus bonus; videt te & bonus & malis angelis maior Deus; videt accusator; videt testimoniū multitudine; videt & ipse index, cuius te oportet assistere tribunali; sub

e ius sanè oculis velle delinquare tam insanum est, quām horrendum incidere in manus Dei viuentis.

Impij ergo dicunt illud psalm. 93.7. Non videbit Dominus, neque intelliget Deus Iacob. Et illud Iob 22. 13. Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginem iudicat, nubes latibulum eius, nec nostra considerat, & circa cardines celi perambulat. Et illud psalm. 72.11. Quomodo scit Deus? & si est scientia in Excelso? Et illud Iaiæ 29. 15. Quorum sunt in tenebris opera, & dicunt: *Quis videt nos? & quis nouit nos?* Nā, vt ait Psaltes psalm. 9. 26. Nō est Deus in conspectu eius: hinc, quia caret Dei timore & pudore, inquinat & sunt via illius in omni tempore.

Piū verò dicunt illud Eccli. 23. 28. Oculi Domini multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssum, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Ita Moyses inuisibile (Deum) tamquā videns sustinuit, Hebr. 11.27. Ita David psal. 1.18. 168. Seruauit, inquit, mādata tua, & testimonia tua; quia omnes viae meae in conspectu tuo. Ita Elias, Venerabatur, ait, Dominus, in cuius conspectu sto, 3. Reg. 17.1. Beatus vir, ait Ecclesiasticus c. 14.22. qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu (et iudicione, id est, in intellectu) cogitabit circumspectionē Dei. Vide o homo quid agas, Deus te circumspicit a capite ad talos, Deus introspicit mentem tuā, & fundū cordis tui, Deus iudicabit & dānabit te si pecces.

VERS. 10. *VULNERATI AMORE*] Septuag. κατανευυγμένοι τῇ αὐτῆς, compuncti pro ea; Scholiastes, κακεντημένοι τῇ θηριωμά σφοδρώς, puncti concupiscentia vehementer.

VERS. 13. *ET EGRESSI*] Cūm finxissent se domum ire, vt occultum vulnus concupiscentiae inuicem celarent, effentq; digressi, alia iterum via in eundem locum redierunt, vt Susannaē tenderent insidias: tumquē videntes se idem cogitare, eodemq; connoti; inuicem suam concupiscentiam confessi sunt. Ita sāpē adulter adulterum, fur furem deprehendit, &c, vt vulgo dicitur, laqueus laqueum capit.

VERS. 15. *VOLVITQUE LAVARI IN POMARIO*] Discant hic castitatis amantes, quanta sint balneorum pericula, quamquā parē & cautē adeunda. in ijs enim insidiatur ip̄sīs caro, mūdus & d̄emon. Ecce tibi Susanna, dum balneum adit, simul castitatis, famae & vite periculum adit. Legimus in veterum historijs, s̄p̄t̄is virginēs, dum balnea adeunt, à dæmonē fuisse correptas & possessas. Ut alia taceam, memorabilis fuit illa, quā ad balneum vadens correpta à dæmonē, Romæ ad Aquas Saluias inuocatione S. Anastasij Martyris ibidem sepulti, liberata & curata est, vt habent Acta publica, quā recenset Cardin. Baron. to. 8. anno Domini 713. Quocirca S. Hieron. ad Lætam epist. 7. Mibi, ait, omnino in adulta virgine lauacra dispergit, que seip̄sam debet erubescere, & nudam videre non posse. Et ad Rusticum ep. 4. Balnearum fomenta non querat, qui calorem corporis ieiuniorum frigore cupid extingue. Hinc ip̄sē laudat S. Paulam in epitaph. quod cum alijs monialibus degens, balneis numquam sit v̄ta, nisi periclitans, ac necessitate coacta. Sicut enim theatra (vt ait Tertul. lib. de Spectaculis) loca esse solebāt, in quibus prauus d̄emon regnabat, ita & balnea. In Synodo Pictaviensi anno Domini 593. Chrodielis monacha ē regio sanguine, fugax suā ē monasterio causam prætexuit, balnea in monasterio permitta. Cui Abbatissā respondi: se nec probare quod diceret, & se nescire an factum sit: quod si ipsa vidisset, cur Abbatissā non prodidisset? S. Theodorus Siceota sub ann. Domini 608. reprehendit eorum morem,

A qui post S. Synaxin ad lauaca se conferebant, dicens: Scitote Deum mihi indicasse, eos valde peccare, qui post sanctam communionem ad balnea se conferunt, vt corpus lauent & curent. Quis enim vnguento delibutus & aromatibus, eorum abstergit suavitatem? Quis simul ac cum Imperatore pransus est, ad balneum currit? Ita refert Eleusius in eius Vita. Scribit Palladius in Lausiaca c. 8. in Vita Ammonis discipuli S. Antonij, eum ita fuisse pudicū, vt Lycum flumium transiturus, se exuere noluerit, ne se nudum videret, ideoque subito ab angelo in aduersam ripam fuisse translatum.

22. Ingemuit Susanna, & ait, Angustiz sunt mihi vndeque: si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.

23. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quām peccare in conspectu Domini.

24. Et exclamauit voce magna Susanna: exclamauerunt autem & senes aduersus eam.

25. Et cucurrit unus ad ostia pomarij, & aperuit.

26. Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum vt viderent quidnam esset.

27. Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer: quia numquam dictus fuerat sermo huiuscmodi de Susanna. Et facta est dies crastina.

28. Cumque venisset populus ad Iohannim virum eius, venerunt & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam vt interficerent eam.

29. Et dixerunt coram populo: Mitite ad Susannam filiam Helciz vxorem Iohannim. Et statim miserunt.

30. Et venit cum parentibus, & filiis, & vniuersis cognatis suis.

31. Porro Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie.

32. At iniqui illi invaserunt vt discooperirentur (erat enim cooperta) vt vel sic satiantur decore eius.

33. Flebant igitur sui, & omnes qui nouerant eam.

34. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius.

35. Quā flens suspexit ad cælum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.

36. Et dixerunt presbyteri: Cūm deambularemus in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis: & clausit ostia pomarij, & dimisit a se puellas.

37. Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus: & concubuit cum ea.

38. Porro nos cūm essemus in angulo pomarij, videntes iniquitatem, cucurrimus

mus ad eos , & vidimus eos pariter com-
miseri.

39. Et illum quidem non quiuimus
comprehendere, quia fortior nobis erat,
& apertis ostijs exiliuit:

40. hanc autem cum apprehendissemus, interrogauimus, quisnam esset adoleſcens , & noluit indicare nobis : huius rei testes sumus.

41. Credidit eis multitudo quasi senibus & iudicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem.

42. Exclamauit autem voce magna Susanna, & dixit : Deus æterne , qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant,

43. tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me : & ecce morior , cum nihil horum fecerim , quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me.

44. Exaudiuit autem Dominus vocem eius.

VERS. 22. SI ENIM HOC EGERO , MORS MIHI EST] rea ero mortis corporalis: adulteræ enim ex lege lapidabantur. ita S.Hieron.& alij. Secundò; & melius. mortem animæ h̄c accipias, q.d. Angustior vndique ; quia necesse est me in mortem vel corporis, vel animæ incidere: vos enim mihi minamini mortem corporis, si non fecero ; Deus verò mortem animæ, si fecero, si videlicet vestræ cupiditati consentiam, vobisque sponte & volens commisear, vti postulatis. Nam alioqui in hac vi, & metu infamiae mortisque poterat Susanna dicere, Non consentio actui, sed patiar & tacebo, ne me infametis & adigatis ad mortem, vti dicam v.23. Quamquā forte Susanna id vel non sciebat, vel non cogitabat. Sic enim honestæ castæque virgines putant se esse reas, sc̄que consensisse lenonibus, si non clamore, manibus totisque viribus eis reluctentur & resistant. Omne enim suum decus ponunt in virginitate, quam gemmam incomparabilem aestimant.

VERS. 23. SED MELIUS EST MIHI ABSQVE OPERE INCIDERE IN MANVS VESTRAS , QVAM PECCARE INCONSPPECTV DOMINI] q.d. Melius est mihi mori corpore quam animo : satius est Dei , quam hominum prætentiam & offensam reuereri. Nam, vt ait Christus, & ex eo S.Bernard.serm.3. de Annuntiat. Homines cum occiderint corpus, animæ non habent ultra quid faciant: ille autem timendus est, qui potestatem habet & corpus & animam mittere in gehennā. Audiant hoc virgines , audiant Christiani atque imitantur, dum à locis ad obsecna, ad illicita sollicitantur. Recte S.Chrysost.homil. de Susanna: susanna, inquit, aspernabatur quod audiebat, quia timebat eum quem nihil latebat: falsi enim testes possunt ledere famam, non occidere conscientiam. Deus autem utrumque potest. Aduerte h̄c, quam Dei omnia, etiam occultissima, cernetis, lucidissimos oculos reuereri debeamus. Qua de re dixi Gen.5.24.& Gen.17.1.

Hinc apte vocata est Susanna hebr. id est lilium (lilium enim hebr. dicitur **לִילִי** sc̄ps, **לִילִי** sc̄ps, id est sex, quod sit hexaphylon : sex enim habet folia) ob castitatem ; vti & Daniel , id est iudex Dei : quia hosce duos senes diaboli iudices Cornel.in Danielem.

A conuicit, & morte mulctauit.

In h̄c Susannæ verba ita scribit Dion.Carthus. Peccatum est infinitæ fugibilitatis : quia Deus est infinitæ honorabilitatis , q.d. Homo peccatum fugere debet infinito conatu & infinita fuga, quia Deus, quem peccatum offendit, infinitè est honorandus: omnis poena, vt culpa vitetur, est subeunda: infinita fuga, ne nos peccatum comprehendat, est capessenda.

Huic Susannæ, in castitate & virtute similis fuit S.Susanna virgo neptis Caij Pontificis , æquè ac Diocletiani Imperat. quæ maluit mori quam violari. Dum enim matrimonium cum Maximiano Imperat. cui eam despondere volebat Diocletianus , recusaret, eique virginitatem Deo voto promissam anteferret, ab eo occisa, nobile in fidei & virginitatis agone martyrium obiit anno Domini 295. cuius memoriam annua celebritate recolit Ecclesia die 11. Augus. I. Hinc & Allegor. Susanna typum gerit Ecclesia, ait S.Hieron.in cap.2. Sophon. cuius castitatem corrumperem conantur heretici, sed Daniel, id est Pontifex, eos conuinct & condemnat.

Nota. Longè purior, fortior & excellentior fuit castitas Susannæ, quam Lucretia Romanæ. Haec enim in tribus defecit , parvumque ostendit animum. Primo, quod libidinem Tarquinij admisit, ne macularetur infamia, quam ei Tarquinius minabatur: consensit enim in adulterium, quod postea morte voluntaria luit: necem enim sibi consciuit, vt ea ratione facinus quasi expiaret : disce Lucretia: Ante scelus c.ist. e mors subeunda fuit. Secundo, quod pluris fecit famam, quam pudicitiam, & conscientia testimonium. Tertio, quod se occidit: hac enim ratione scelus non expiavit, sed scelus sceleri reddidit. Ita S.Augustin.libr.1.Ciuit.cap.18.& 19. Quod Lucretia , inquit, seipsam , quoniam adulterium pertulit, etiam non adultera occidit; non est pudicitie charitas, sed pudoris infirmitas. Vnde ad oculos hominum quibus conscientiam demonstrare non poterat, illam pœnam quasi mentis sua testem adhibendam putauit: sociam quippe facti se credi erubuit: si quod alius in ea fecerat turpiter, ferret ipsa patienter. Nō hoc feminæ Christianæ fecerūt, que passæ similia viuunt : nec in se. vlt. sunt crimen alienum, ne aliorum sceleribus adderent sua: si quoniam hostes in eis concupiscendo stupra commiserant, illæ in seipsis homicidia erubescenda committerent. Habent quippe inius gloriam castitatis, testimonium conscientie: habent autem cor. oculis Dei sui: nec requirunt amplius: ne deuient ab auctoritate legis diuine, cum male deuident offenditionem suspicionis humanae. Subdit deinde, docetque sanctitatem animi non amitti, si corpus per vim violetur; sicut amittitur corporis totiusque hominis sanctitas, violatâ animi sanctitate, etiam corpore intacto. Sanctitatis enim propria sedes est anima, non corpus. Vnde idem epist.112.docet hanc violentiam non pro corruptionis turpitudine, sed passionis vulnere deputari.

Lucretia castiores & sapientiores fuerunt virgines, tam Ethnicæ, quam Christianæ, quæ non possunt vitium, vti Lucretia, sed ne vitiarentur, seipsas necarunt, cum aliud non viderunt effugium, aut nisi obtulerunt. Ita Lacæna dum venderetur, præconi quid nosset querenti, Libera, inquit, esse noui. Cumque emptor quædam ei iniungeret non decentia liberam, dixit: Flebis qui tales possessionem tibi inuidet, atque mortem sibi ipsa consciuit. Ita virgines Romanæ traditæ Porfenæ regi, duce Clelia fluuium vastum , atque vorticibus profundis periculoso, magno cum labore tranarunt, inui-

Maior fuit
castitas Su-
sanna quam
Lucretia, ob
tres causas.
Prima.

Secunda.

Tertia.

Exempla
virginum
malentium
mori, quam
violari.

cem sese tenentes, ac tandem ad suos in alteram ripam euaserunt, manifestum mortis periculum ob castitatem vltro subeuntes. Ita Micca Philodemi filia à Leucio duce ad stuprū appetita, dixit malle se iugulari quām violati, ac tādem renitens à Leucio verberata, & in sinu patris iugulata est. testis est Plutarch. de Virtut. mulier.

Inter Christianas Pithomena Alexandrina Romani ciuius serua, cùm frustra ab eo sollicitaretur ad nefas, accusata ab eo quōd Christiana esset feruēti pici immersa, vitam amittere quām pudicitiam violare maluit.

S. Dymphna à patre, Hiberniae rege (quōd illi nubere nollet, vt esset ei vxor, æque ac filia) obtruncata est in Geela, oppido Brabantiae, vbi eius reliquias olim veneratus sum. Natalis eius dies Martyr. Romano asticipus quotannis recolitur die 15. Maij. Sic apud Græcos S. Thomais, à socero pariter eius nuptias ambiente disiecta, quōd Martyr esse mallet, quām adultera & incesta. de qua noster Raderus in Viridar. Sanct. die 14. Aprilis.

Maxelendis virgo Cameracensis cùm propter votum virginitatis, Harduini sponsi sui recularet nuptias, interficitur: at illi excæcato post triennium visum restituit anno Domini 670. ita Sigebertus, Platina in Dono, & alij.

Memorabilis verò fuit S. Euphrasia Antiochena, quæ à milite amasio deprehensa, cùm non posset cuadere, dixit se docturam cum artem qua in bellis lèdi non posset, si sibi parceret, vtque eius experimentum in se sumeret. Collum ergo suum inunxit, quod feriens illi statim amputauit. ita dolopio castitatem redemit sua morte. ita Cedrenus, & Nicephor. l. 7. c. 13.

Insignis quoque fuit Sophronia matrona Romana, quæ à Maxentio Imperat. appetita per nuntios, cubiculum ingressa, mucrone sibi ipsi mortem consciuit, per nuntios significans tyranno: Tales, inquit, magis placeant Christianæ femine tyranno. Ita Euseb. l. 8. hist. c. 17.

Æque illuistris fuit Digna, quæ capta Aquileia ab Attila, à barbaro ad stuprum rapta, quasi secreti cupida, in tabulatum fluvio Natisoni imminens confundit. Inde ad Hunnum sequentem conuera, Sequere me, inquit, si vis me potiri, ac mox in flumen se præcipitauit. ita Olaus in Vita Attilæ, & alij. S. Ambros. l. de Virgin. scribit S. Pelagiam cum matre & sororibus præcipitem se dedisse in flumen, ne à persequente milite violaretur; eamque vt Martyrem ab Ecclesia coli.

Huic planè conforme est quod Nicephorus Callist. l. 13. histor. Eccles. cap. 35. scribit: In prima direptione urbis Romæ ab Alarico Gothorum rege facta anno Christi 412. mulier quādam maximum exhibuit pudicitia specimen. Quōd namque & ætatis flore & formæ venustate præstaret, ex Alarici militibus iuuenis quidam pulchritudine eius cùm eam vidisset, captus, ad concubitum eam sollicitauit. Cùm autem illa piaculum id auersaretur, miles ense stricto mortem ei minatus, veluti cum amore concertans, per misericordiam summum tantum collum vulnerauit: illa verò cruore diffusus, iugulum ferro subdidit, melius sibi esse rata, vt cum pudica mente mortem oppeteret, quām cum alio viro concumberet. Et postquam ferocius barbarus illam aggressus est, plurimumq; eam oppugnando nihil egit, ad castitatem eius consernatus in Apostolicum D. Petri templū eam duxit, eccl-

A siæq; custodibus eam commedauit, sex illis aureis numinis datis, vt puellam viro suo conseruarent.

Bernard. Scardeonius l. 3. hist. Patauinq; scribit, quōd blāca Rubea Patauina vxor Baptiste à Porta, in præsidium Bassiani municipij Patauini cum viro profecta, anno Christi 1233. cùm Acciolinus tyrannus Patauio amīlo, omnem belli vim in Bassianum conuertisset, & proditione etiam cepisset, atque in ipsis portis Baptistam obturcasset; Blanca quoque armis induita fortiter pugnans à militibus circumuenta, captiuia ad tyrannum ducitur. Is forma eius (quam augebant arma) motus, primò blanditijs mox etiam vi adortus eam corrumpere tentauit: illa cùm alia ratione effugere non posset, per fenestram se dedit præcipitem. Semianinis ex casu vix tandem curatur. Curatam tyrranus denuo aggreditur, & quia consentire nolebat, seruorum opera ligatam constupravit. Illa dolorem dissimilans, impetravit ab amicis, vt ad leuandum moerorem & desiderium, aperto sepulchro mariti foecidum cadauer. semel tantum afpicere posset. Mortui illi gerunt. Aperto itaque sepulchro, vbi iacebat, illa magno emisco eiulatu, in sepulchrum sese præcipitauit, simulque tanta violentia lapidem impulit, vt vna rueret, & Blanca ceruicem frangeret. Sic pudicitiam suam vita ex voto suo commune cum marito sepulchrum obtinuit.

Narrat Sophron. in Prato spir. cap. 189. mirum quid de muliere, quæ tentata ab adultero fidem fetuauit marito, ideoque ab adultero ditata est.

C QVAM PECCARE] Peccasset enim Susanna consentiendo & cooperando, putà commiscendo se senibus, quod ipsi petebant v. 20. potuisse tamē in tanto periculo infamia & mortis negatiuè se habere, ac permittere in se eorum libidinem, modò interno actu in eam non consensisset, sed eam detestata & execrata fuisset, quia maius bonum est fama & vita, quām pudicitia: vnde hanc pro illa expondere licet. Itaque nō tenebatur ipsa exclamare, vt idocet Dom. Soto l. 5. de Iust. q. 1. ar. 5. & Nauar. Manual. c. 16. nu. 1. Quōd ergo exclamarit, nullumque modo libidinem eorum in se permiserit, actus fuit insignis & heroicæ castitatis: talis enim est malle mori, quām pollui. Propriè dicit peccare: nam peccare primitus dictum est quasipellicare, id est pellicem agere, aut cum pellice congregari.

D EXCLAMAVIT, opem implorans contra lascivos senes: EXCLAMAVERUNT ET ipsi, vt pote Susanna clamore iam prōditi, vt eam accusarent, ne rei, sed vindices, sceleris esse viderentur. A Susanna discant virgines, cùm à lasciuis tentantur, generosè ijs se opponere, clamare, manibus & pedibus obliuetari: quæ enim hoc faciunt, raro vim patientur: difficile enim est planè obliuetantem violare. Docet hoc Ambros. ad Virginem lapsam c. 4. Sed dices, inquit: Nolui hoc malum, violentiam passa sum. Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cuius tu nomen fallaciter baüulas: Ego etenim inter duos presbyteros posita, inter duos virique iudices populi, sola inter filias paradisi constituta vinci non potui, quia nec volui. Tu ab uno in epiphysmo adolescentulo, & in media ciuitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia vltro voluisti violari? quis devique voces tuas audierit? quis obliuetiones sensit?

E T CVCVRRI VNVS AD OSTIA POMARII] vt illac ingressi fuisse viderentur; aut ea iuuenem, quem ibi fuisse mentituri erant, euasisse dicherent, vti dicunt ipsi v. 39. ita Maldon.

SENES LOCVTI SVNT] εἰπὼν τοὺς λύγες ἀντῶν, id est

VERS. 28. est rationes suas exposuerunt, putà accusationem Susannæ cum suis indicijs & probationibus.

ET FACTA EST DIES CRASTINA. CVM QVE VENISSET, &c.] q.d. Cùm postero die populus ad vitum illius Ioakim conuenisset. ita ex Graeco Vtabl. & alij.

VERS. 34. *Testes reo manus ins-*
manus ins-
ponebant,
et cetera.

POSVERVNT MANVS SVAS SVPER CAPVT EIVS] Hebræorum ritus erat, vt accusator & testes capiti rei manus imponerent, vt significarent se hoc caput accusare, & ad necem deposcere. vide dicta Leuit. 24. 14. Ecce senes, qui antea pudicitiae, nunc vitæ sunt latrones: è contrario Susanna bis viætrix, & libidinem eausit & mortem: quin & inimicorum vidit vindictam, inquit Cyprian.lib. de Bono pudicitiae.

VERS. 35. *Duis in ar-*
du inuoca-
tus adest.

QVÆ TLENS SUSPEXIT AD CAELVM] Praeclarè S. Ambros.lib.de Ioseph c. 5. Susanna, inquit, dum tacet in iudicio, melius locuta est oraculo: & ideo Prophete meruit defensionem, que propriæ vocis non quæsivit auxilium. In silêto enim & spe erat fortitudo eius. Suspexit ergo ad cælum, vultu & oculis loquens, dicensque: Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis, Iob 16. 20. Et, Ad te Domine leuavi anima meam: Deus meus in te confido, non erubescam. Oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse euellit de laqueo pedes meos, psalm. 24. Non legimus Susannam vñquam tam ardentes ad Deum preces emisisse, nec tam vehementer ad cælum suspexisse, quæcum cùm se vidit in extremis hisce angustijs. Ita tribulatio docet orare efficaciter: oratio efficax imperat Dei opem, etiam per miraculum. Rursum Nota hinc. quod Deus sicut suos in arcta redigi, vt discant in eum sperare, eumque inuocare: in arctis enim suis maximè adest Deus, eisque vicinissimus est, vt succurrat.

CONDEMNaverunt eam] tum populus, tum iudices, scilicet vt lapidaretur. Lapidationis enim poena adulteris apud Iudeos statuta fuit, vt ostendit Leuit. 20. 10.

Notahic priscam legem de poena mortis statuta adulteris. Aurelianus Imperat. militem, qui adulterium cum hospitis vxore commiserat, ita puniuit, vt duarum arborum ramos infleceret, quas ad pedes militis ligaret, easdemque subito dimitteret, vt scilicet ille utrumque penderet. ita Naucleus & alij anno 276.

Constantinus Imper. ad Catullinum prescribens hanc contra adulteros legem statuit: Oportuerat te, publici instituti respectu, confessione detectos legum severitate punire, nec frustra vitam differentium moratoria prouocationes admittere: sed delatum adulterij crimen, & questionibus adhibitis approbatum, pari sceleris immani- tate damnare. Quod deinceps in huicmodi criminibus conuenit obseruari, vt manifestis probationibus adulterio probato, frustratoria prouocatio minime admittatur: cū pari similiq; ratione sacrilegos nuptiarū tamquam manifestos parricidas insuere culeo viuos, vel exurere iudicantे operantur. Ita habetur l. 4. Quorum appell. C. Theodos.

In Alemannia Otto Comes impudentissimus adulter, & pro adulterio à Constantiensi Episcopo excommunicatus, Dei iudicio turpissimè decollatur à militibus Ludouici Comitis, cuius vxorem publicis nuptijs, eo viuente, sibi nefandissimè copulauit. Qui apud monasterium in praedium ipsius constructum à suis sepultus, iussu Constantiensis Episcopi ejicitur, & (vt scriptum est) ad sepulturam atini deputatur anno Domini 1089. ait Baron.

Sub annum Domini 995. Imperatrix Maria nomine, regis Aragonum filia, Ottonis III. vxor, ob

A adulterium publicè igne crematur, inquit Crantius lib. 4. Histor. Saxon. c. 26. Plura recensui Ge- nes. 38. 24. & Numer. 5. in fine cap.

ANTEquam flant] Quanto magis hoc post- **VERS. 42.**
quam factum est.

EXAUDIVIT AVTEM DOMINVS VOCEM VERS. 44.
EIVS] Disce hinc, quæcum efficaces sint preces reorū damnatorū ad mortem, præsertim iniustum, quamq; Deus orphanorum & afflictorum pater ijs compatiatur & succurrat. Hac de causa rei morientes iniuste, non raro suos iudices citarunt ad tribunal Dei, illique intra tempus à morientibus condicium è vita sublati, illi se sistere debuerunt. Exempla plura protuli Ierem. 17. v. 12.

45. Cumq; duceretur ad mortem, suscitauit Dominus spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel:

46. & exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius.

47. Et conuersus omnis populus ad eum, dixit: Quis est iste sermo quem tu locutus es?

48. Qui cùm staret in medio eorum, ait: Sic fatui filii Israel, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel?

49. Reuertimini ad iudicium, quia falsū testimoniu locuti sunt aduersus eam.

50. Reuersus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni, & C sede in medio nostrum, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorē senectutis.

51. Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab inuicem procul, & diuidicabo eos.

52. Cùm ergo diuisi essent alter ab altero, vocauit unum de eis, & dixit ad eum: Inueterate dierum malorum, nūc veniunt peccata tua, quæ operabaris prius,

53. iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino, Innocentem & iustum non interficies.

VERS. 45.
SUSCITAVIT DOMINVS SPIRITVM SANCTVM] Puta Primò, spiritum prophetæ, quo illustratus Daniel cognovit senes falso accusare Susannam. Secundò, spiritum audacię & industriæ, ad reuincendos hosce senes, & ad Susannam liberandā. Spiritus enim hinc suggestus Danieli modū falsæ accusationis detegendæ, scilicet separandi senes, eosque seorsim examinandi, vt sibi inuicem contraria dicerent, itaq; ipsi seipso refutarent. Syrus vertit, misit Deus subito spiritum suum sanctum super puerum parvum, cuius nomen Daniel; Arabicus, commonuit Deus spiritu sanctum in iuene nominato Daniel. Ex verbo suscitavit colligit Origenes apud S. Hieron. iam autem Spiritum sanctum Danielis animum occupasse, hinc vero tantum excitasse eum ad heroicum hoc opus aggrediendum: hoc enim innuit vox suscitavit. Ex hac Susanne liberatione & similibus, Nyssen.lib. 8. de Prouiden. c. 1. docet esse Numen, Dei que prouidentiam, quæ gubernat mundum, pios tuetur, impios detegit & puniit.

PVERI IVNIORIS] παιδαρίς γεωτέρες, id est pueri ruli
B b b b b 4

ruli junioris. Sed certum est Danielem hoc tempore non fuisse puerulū: $\tau\alpha\sigma\delta\alpha\rho\iota\omega$ ergo diminutiuū sumitur pro simplici $\tau\alpha\sigma\iota\varsigma$. id est puer, hoc est iuuenis. Hebræi enim carent diminutiis. Vnde Daniel cap. 1.3. vocatur $\tau\alpha\sigma\delta\alpha\rho\iota\omega$, id est, vt Septuag. vertunt, $\tau\epsilon\alpha\gamma\iota\sigma\alpha\theta\omega$, id est iuuenis. Erat enim iam eruditus in omni sapientia; facile ergo erat 24. annorum: hec enim non 1. sed 4. vel 5. anno ex quo Daniel venit in Babylonem, contigisse videntur, putā sub annum regni Ioakim 7. qui fuit Nabuchodonosoris annus 4. Confirmatur: nam post annos 10. Daniel fuit sapientia & sanctitate celeberrimus, ita vt à Deo comparetur cum Noë & Iob, vt patet Ezech. 14.14. Ergo erat tunc facile 34. annorum, non autem 24. vti volunt alij. Quis enim iuuenis 24. annorum sanctitate cum Noë & Iob comparetur?

Daniel erat
25. annorum
cum Susan-
nam libera-
uit.

S Ignatius
putat Da-
nielem fuisse
duodenem.

Mirū ergo est, S. Ignatium epist. ad Magnesiam, & ex eo Theod. in c. 1. Ezech. ac Torniellum dicere Danielem hoc tempore fuisse duodenem: nec enim decebat puerum duodenem esse iudicem, nec populus puero duodenni reclamanti, senisque ad iudicium suum reuocanti auscultasset. Tale est & illud quod ibidem ait S. Ignatius, Salomonem fuisse duodenem cum iudicium duarum meretricum puerperatum peregit. Constat enim Salomonem tum fuisse regem, ac proinde facile 20. annorum fuisse: iam enim generat Roboam, vt patet ex eo, quod moriente Salomone anno regni 40. successerat ei Roboam filius annum agēs 41. vt patet 3. Reg. 11.42. & c. 14. v. 21.

Infantes in-
dices inno-
centie.

Vis mira per pueros, imò infantes veritatis indicia, & innocentiae iudicia ac testimonia exhibita? Accipe. Gregor. Turon. lib. 2. hist. Franc. 1. narrat S. Brixium Episcopum Turonens. cùm falso insimularetur fornicationis, quasi pater esset infantis, quem pepererat lotrix vestium eius, dixisse: *Afferte infantem ad me. Cumque allatus fuisset (erat autem infans triginta dierum) ait ad eum Episcopus: Adiuro te per Iesum Christum filium Dei omnipotentis, vt si ego te generavi, coram cunctis edicas.* Et ille: *Non es, inquit, tu pater meus.* Populo autem rogante, vt quis esset pater, interrogaret, ait sacerdos: *Non est hoc meum: quod ad me pertinuit, sollicitus fu. vobis si aliquid susperit, per vos querite.*

Sophron. in Prato spirit. c. 114. narrat Danielem Abbatem, qui rogante marito orans super vxore eius, ei prolem impetraverat, cùm impij ei detraherent, quasi ipse proles esset pater, puerulum interrogasse: *Quis est pater tuus, infans? cui infans: Hic ostendens digito suo verum patrem. Erat autem infans 25. dierum.*

Simile est in Vita S. Brigidæ virginis Scoticæ, quæ obiit anno 7. Iustini Imperat. senioris, hoc est anno à Christo nato 521. Femina quedam non minus impie, quam impudenter, se filium ex Episcopo Broone, qui S. Patricij discipulus fuit, suscepisse mentiebatur. Hanc S. Brigidam cùm accersiri iussisset, & ori eius salutare sanctæ crucis signū impresisset, ilicet caput cum lingua procacis mulieris magno tumore inflatum est. Deinde simili modo infantis consignans linguam; *Dic nobis, ait, infantule, quis tuus pater est?* Stupenda res, aperit os infantis, qui quondam Balaam asinæ loquendi præstit facultatem; aitque parvulus: *Nequaquam Episcopus Broon, sed deformis & vilis ille homuncio, qui in populo extremo sedet loco, parens meus est.* Itaque omnes Deum laudarunt, & mulier egit pœnitentiam.

A Tropolog. & Symbol. S. August. serm. 118. de Tempore: In sancta, inquit, femina (Susanna) tacente lingua pro ea castitas loquitur. Castitas enim Susanna affectus in iudicio, que Eue desuit in paradiſo. Ibi enim pudori eius consuluit, hic saluti. Ibi ne macularetur pudicitia, hic ne innocentia damnaretur. Castitas enim Susanna & presbyteros impudicos conuicit in paradiſo, & in iudicio falsos accusatores obtinuit: bisq[ue] victrix reos facit testimonij, quos reos facit adulterij. Atque tandem iudicem mereatur castitas Danielem puerum iuuenorem, necedū pubescens atatis. multum igitur de Deo pudicitia consequitur, cùm iudicem virginem promeretur. Secura enim est devictoria castitas, cui est iudicatura virginitas.

MVNDS EGO SVM] ego non consentio in iniustam necem Susannæ. VERS. 46.

NEQVE QVOD VERVM EST COGNOSCEN-
TES] $\tau\delta\epsilon\tau\alpha\phi\epsilon\delta\pi\delta\alpha\omega\tau\epsilon\tau\epsilon$, id est, non satis co-
gnita, discussa & explorata causa. VERS. 47.

VENI ET SEDE] Dicunt hæc senes Danieli vel per sarcasmum, vel per adulationem, vt eum sibi concilient, ne scelus eorum prodat. VERS. 50.

HONOREM SENECTVTIS] senile munus & dignitatem iudicandi: senum enim est iudicare. In eis enim est prudentia, experientia, & apathia, quæ tria ad sincerū iudicium requiruntur. Hinc Eccl. 32.4. Loquere, ait, maior natu (lénex.) lebet enim te. Tria iudicii necessaria.

DIUDICABO EOS] $\tau\alpha\pi\alpha\pi\omega\tau\epsilon\tau\epsilon$ examinabo. VERS. 51.
INVETERATE DIERVM MALORVM] plene die-
rum malorum, qui dies tuos à pueritia vñque ad se-
nium, in luxuria & sceleribus transegisti, q.d. Inve-
teratae ætatis, & quæ ac malitiæ senex. VERS. 52.

NVNC VENERVNT PECCATA TVA ad cuim-
lum & maturitatem, vt in hocce facinore prodan-
tur & puniantur.

54. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub
qua arbore videris eos colloquentes sibi.
Qui ait: Sub schino.

55. Dixit autem Daniel: Rectè menti-
tus es in caput tuum: Ecce enim angelus
Dei accepta sententia ab eo, scindet te
medium.

56. Et amoto eo, iussit venire alium, &
dixit ei: Semen Chanaan, & non Iuda,
species decepit te, & concupiscentia sub-
uerit cor tuum:

57. sic faciebatis filiabus Israel, & illæ
timentes loquebantur vobis: sed filia Iu-
da non sustinuit iniuriam vestram.

58. Nunc ergo die mihi, sub qua arbore
comprehenderis eos loquentes sibi. Qui
ait: Sub prino.

59. Dixit autem ei Daniel: Rectè mé-
titus es & tu in caput tuum: manet enim
angelus Domini, gladium habens, vt se-
ceret te medium, & interficiat vos.

60. Exclamauit itaque omnis cœtus
voce magna, & benedixerunt Deum, qui
saluat sperantes inse.

61. Et consurrexerunt aduersus duos
presbyteros (conuicerat enim eos Daniel
ex ore suo falsum dixisse testimonium)
feceruntque eis sicut malè egerant ad-
uersus proximum,

62. vt facerent secundum legem Moy-
si: & interfecerunt eos, & saluatus est san-
guis innoxius in die illa.

63. Helcias autem & vxor eius lauda-
uerunt Deum pro filia sua Susanna cum
Ioakim marito eius, & cognatis omni-
bus, quia non esset inuicta in ea res turpis.

64. Daniel autem factus est magnus
in conspectu populi, à die illa, & deinceps.

VERS. 54. SVB SCHINO] Schinus, siue lentiscus, est arbor magnitudine roboris, odore terebinthi, acinis dum maturerint nigris: sudat resina, quam in Chio insula mastichen vocant. Inde dicta est lentisco, quod liquore hoc siue resina lentescat. Est trifera: ter enim quotannis profert fructus. Vnde Cicero de Diuin. ex vetusto poeta:

Iam verò semper viridis, semperque granata.

Lentisco, triplici solita grandescere fœtu:

Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi.

Porro Hippocrates lentisci fructum vocat schinida, & arborem schinon, ita Ruellius lib. I. c. 20.

Aliqui codices legunt sub cyno, itaque legendum contendit Iacobus Constantius, qui ait cynum esse speciem lauri. Verum legendum esse sub schino, non sub cyno, docent S. Hieron. Africanus, Origenes, Romana Biblia, & alia passim. Cynus enim fictitia est arbor, & Theophrasto, Plinio, Columellæ, aliisque priscis incognita. Loca enim Plinij & Ouidij, quæ pro cyno citat Constantinus, corrupta esse docet Anton. Nebriss. in Quinquagena c. 11.

VERS. 55. SCINDET TE MEDIUM] Grecum γίγειν pulchre alludit ad γίγνεσθαι. q.d. Imminet tibi angelus, & minatur te scindere, actuq; scindet, ni Deus impedit, aut populus te lapidando præueniat, vt de facto præuenit: angelum enim intentasse eis mortem patet v. 59.

VERS. 56. SEMEN CHANAAN] ô homo Chananæ potius quam Hebræi, si mores & virtus spectes. Sic ait Ezech. c. 16. 45. Mater vestra Cethæa, & pater vester Amorrhæus.

VERS. 57. SIC FACIEBATIS FILIABVS ISRAEL] Opponit Daniel filias Israel filiabus Iuda, qualis erat Susanna, quasi timidiiores & faciliores ad consensem, fortioribus & constantioribus: Israelite enim reliquo Deo ad idololatriam declinantes, prouiores in venerem, aliaque scelera effecti sunt. Nota. Non sola tribus Iuda, sed & multi ex alijs tribubus cum ea abducti sunt in Babylonem, ibique seruatunt tribuum discrimen, vt hinc liquet.

VERS. 58. SVB PRINO] Prinus non est prunus, vt censuit S. August. serm. 242. de Temp. sed genus ilicis: ilicis enim varie sunt species, & una ex qua nascitur coccus, de quibus Plinius lib. 16. c. 6. & 8.

VERS. 59. RECTE MENTITVS ES ET TV IN CAPVT TVVM] Vide huc ut mendacium mendacem, dolus dolosum iusto Dei iudicio perimat. Hoc est quod ait Christus: Ex ore tuo iudico te serue nequam. Quocirca iustum equè ac sapiens fuit iudicium Alexandri Medicei primi Duces Florentiæ. Cum enim quidam perdidisset bursam in qua erant sexaginta aurei, idque per præconem proclaimari iussisset, promittens inuentori eam referenti decem aureos: inuentor verò pauper quidam eam referens posceret decem aureos; ille habita re sua coepit tergiversari, dixique in bursa fuisse septuaginta aureos, in-

A uentore in decem censu, sibi que soluisse. Dux sententiam tulit: bursa hæc sexaginta aureorum non est eius, qui se dicit bursam perdidisse septuaginta aureorum: ergo inuentor eam retineat, donec verus eius dominus reperiatur. Ita iustè sua bursa priuatus est qui malitiosè per mendacium inuentorem calumniabatur, & furti arguebat.

Vide huc rursum quæ appositè sententia criminis, & poena culpe respondat. Senex calumniam & necem struebat Susanna in prino, quæ græcè sectionem significat; hinc cōgruè à Daniele audit: Manet angelus Domini gladium habens, vt fecerit te medium. Sic Deus per ranas loquaces puniuit murmut & blasphemias Pharaonis, per ciniphæ eiusdem fastum, per sanguinem Nili languinem infantium Hebræorum ab eo effusum, vt dixi Exodi 7. & sequent. Nimirum, per quod quis peccat, per hoc & punitur, ait Sapiens.

Denique in duobus hisce peruersis senibus vere sunt duæ istæ gnomæ Ptolemæi initio Almagesti. Prima, Qui male operando vult celari, satis discovertus est. Secunda. Qui confidit in mendacio, citò deficiet: illud enim deficiet eum. Ac verus Hebræorum dictum: Mendacium debiles, veritas solidos habet pedes. Et Arambum: Mendacium est infirmitas, veritas est stabilitas.

VT SECET TE MEDIUM] In Græco rursum elegans est paronomasia: nam à πρίονι, dicitur πρίον, id est secare. perinde enim est ac si dicas alteri, Vidi te sub malo; & ille respondeat, Eas ergo in malam crucem: vel, Vidi te sub cedro; & ille respondeat, Cædat ergo te carnifex. Atque hec causa fuit Africano & alijs suspicandi hæc esse conficta; quia Hebræi vel Chaldae in sua lingua non potuerunt vii his allusionibus. Verum Africano respon-

Cdet Origenes & alij, in Hebræo alias à schino & prino fuisse arbore, in quibus Daniel hebraicè per annominationem alludere potuerit ad vocem scindendi & secandi. Sed hoc simplici veritati &

narrationi historiæ, atque integritati & fidelitati interpretis derogare videtur, ideoque liberius dicitur quæ par sit: alioqui enim & noster Interpres melius in ijsdem arboribus lufisset, hoc modo: Vidi te sub lentisco; non lentè ergo, sed subitè peribis. Vidi te sub ilice, ilico ergo occideris. Hac tamen libertate in vertendo vñi videntur Syrus & Arabicus. nam pro sub schino Arabicus verit, sub arbore terebinthi; Syrus, sub pistacio. Pistacium est nucis genus instar auellanæ, de quo Plinius lib. 13. cap. 5. In nucum genere pistacia nota: vulgus pharmacopoliarum vocat phistiorum. Rursum, pro sub prino, Syrus verit, sub malogranato; Arabicus Antioch. sub ajvore mali; Arabicus Alexandr. sub arbore amygdali.

Dico ergo, in Hebræo tunc temporis potuisse Secunda & esse similem paronomasiæ in ijsdem arboribus vera. qualis iam est in Græco. Tunc enim plures erant voces Hebrææ, quæ iam sint: iam enim non habemus alias præter illas quæ in Biblijs extant. Secundò, esto non suet in Hebræo hæc allusiones, vt nec sunt in interprete Latino; potuit tamen Græcus interpres fideliter & ad verbum vertens, talem paronomasiæ in Græco inuenire, qualis nō erat in Hebr. Idē scepè fieri videntur in alijs translationibus, dum historia vel res ex una lingua ad aliam transfertur. Quod enim subdit Daniel: Recte mentitus es in caput tuum, & recte, idem est quod verè, non autem idem est quod appositè vel allusione.

FECERVNT EIS SICVT MALE EGFRANT] VERS. 61.
talionis

talionis poena scnes multarunt, iuxta legem Deuter. 19. 16.

VERS. 62. INTERFECERVNT EOS] lapidibus. Adulteria enim lege veteri lapidabatur, vt patet Ezech. 16. 40. Vide dicta Leuit. 20. v. 10. & 27.

Moraliter
Deus castitatis est index & vindicta.
Exempla.

Disce hīc, quām Deus, vt rhinoceros, castitatis & innocentiae sit index & vindicta. Ita Iosephi castitatē ab hera tentatam, & falsō infamiam declarauit, euexit, atque per Mosen toto orbe omnibusque sacerdibus celebravit, Genes. 49. & sequent. Ita mulier falsō adulterij accusata, & damnata, à sacrificio occidi non potuit, Deo iustum retundente, ideoquē ab eo frustra sacerdotius, adeoquē septies, fuit iusta. testis est S. Hieron. epist. ad Innocentium. Ita S. Agnes, Lucia, Theophila, & aliæ quām plurimæ virgines iniquè ad leones, vel ad leones damnatae, ab ijs illæsæ angelo tutante permanserunt. Ita S. Cunegundis Henrici Imperat. vxor falsō adulterij insimulata, nudis plantis per candens ferrum illæsa ambulauit. Ita Narcissum Hierosolymorum Episcopum turpis & infamis criminis falsō insimularunt tres periuri testes: ac cū primus sibi incendium, secundus morbum regium, tertius cæcitatem imprecatus esset ni verum diceret, hæc singula singulis vti optarant, Deo puniente obuenerunt, vti refert Eusebius l. 6. histor. cap. 7. Ita S. Marina, cū mutato habitu quasi vir inter monachos degret, falsō accusata à filia hospitis, quasi ei stuprū intulisset, monasterio electa, & ad pœnitentiam perpetuam usque ad mortem damnata, cū post mortem sepelienda appareret non esse vir, sed femina, ac proinde stuprum non potuisse inferre, puella quæ eam accusarat, à dæmone correpta accurrit, crimenque falsi confessa, non nisi septimo, die ad eius tumulum liberata est, omnibus S. Marinæ castitatem æquè ac patientiam celebrantibus, vti habet eius Vita in Vitis Patrum. Ita Fausta Constantini Magni vxor, Crispi priuigni amore capta, cū ad libidinem eum sacerdotius prouocasset, renuentem detulit ad maritum, illum sibi vim inferre voluisse. Credidit Constantinus, Crispumque necari iussit. Verum post aliquot annos comperta veritate, Faustam capite mulctauit, filioque nomen & famam, licet scribò, restituit. testis est Eutropius, Nicceph. & alij.

Verum his omnibus illustrius magisque appositum est, quod legimus in Vita S. Elisabethæ regine Lusitanæ, quæ cū falsō esset accusata apud regem Dionysium, quod pedissequum quendam adamaret; rex credulus pedissequum neci, putà incendio, destinauit, vt in fornacem calce ardente proiecetur. Secretò ergo iussit præfectis fornaci, vt pedissequū quæ postridie manè eò missurus erat, rogaturum an perfecissent id quod rex iusserrat, illico in fornacem conijicerent. Itaque manè eò pedissequum mittit: ille in via audit pulsari ad Sacrum in ecclesia vicina: eò diuertit, audit Sacrum unum, alterum & tertium. Interim rex putans eum iam in fornacem coniectum, mittit alterum pedissequum prioris æmulum, qui cum æquè ac reginam falsō accusarat. Venit ille, rogat num peracta sint quæ rex iusserrat. Præfecti ex indicio à rege dato putantes hūc esse, quem rex fornaci destinarat, subito eum arripiunt & in fornacem intrudūt. Superuenit deinde finitis Missæ sacrificijs pedissequus prior, quem rex neci designarat, rogat fornaci custodes, an regis iussa compleuerint; Affirmat illi: redit pedissequus ad regem, idquæ renuntiat.

A Obstupescit rex, remque inuestigans reperit alium quem submisserat concrematum. Rogat ergo nuntium, vbi tam longas moras traxerit. Respondet ille, se audito pulsu rei sacræ interfuisse, eò quod pater moriens hoc ei monitum dedisset, vt sacrificijs omnibus quæ inchoari vidisset assisteret, donec illa finirentur. Intellexit inde rex innocentiam reginæ & pedissequi, ac calumniam æmuli, iustumque Dei iudicium, qui necem quam ille insonti struxerat, in ipsiusmet fontis caput retrorserit. Adhuc fornax illa calcaria in rei memoriam conseruat, vt à nostris Lusitanis oculatis testibus audiui. Idem refertur in Chron. S. Francisc. p. 2. lib. 8. c. 28.

65. Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.

ET REX ASTYAGES] Pererius putat hæc verba transponenda esse, & referenda ad finem cap. 9. **VERS. 65.** Theodor. verò ad finem cap. 12. hoc enim caput in Græco hīc immediate præcedit. Verum hæc transpositio violenta est, & confusionem parit, atque Latino textui repugnat.

Secundò, alij putant historiam Susannæ contingisse tempore captiuitatis Babylonicae, putà tempore Astyagis & Cyri. Verum obstat, quod Daniel erat puer cùm Susannam liberauit; ergo paulo post annum 3. Ioakim (illo enim Daniel puer abductus est in Babylonem) hæc historia contigit; ergo ante captiuitatem Babyloniam, quæ 70. annos durauit, & soluta est per Cyrus sub finem vite & regni eius, putà anno regni eius 27. quo cepit Babylonem, & ex rege Persidis fecit se monarcham. (Minus ergo probabiliter Pererius censet, Cyrus expugnasse Babylonem anno 1. regni sui. Inde enim inter alia sequeretur, Danielē vixisse 138. annos, vti ostendi in procēdio.) Nam Astyages regnauit ante Cyrus annis 38. His adde 27. annos Cyri, tantum habebis 65. ita vt adhuc 5. anni desint ad explendos annos 70. captiuitatis. Unde sequitur, quod anno 5. & 6. captiuitatis Babylonicae, siue transmigrationis Iechoniæ, coepit regnare Astyages, cū iam Daniel esset 34. annorum, ac proinde vir esset, non puer, vt hīc dicitur; præsertim cū hæc non initio, sed in fine regni Astyagis contingere dicendum sit, si hanc expoliacionem sequamur. Sequitur enim: *Et suscepit Cyrus Perses regnum eius.*

Dico ergo cū Lyrano, Hugone, Dionys. Carth. Torniello, & alijs, hæc verba referenda esse ad initium sequentis historiæ de Belo & dracone. Id ita esse clarissimè docent Græca etiam correctissima Caraffæ, quæ ab hisce verbis ordiuntur c. 14. Idem facit versio Arabica vtraque, scilicet Antiochenæ, & Ægyptia siue Alexandrina. Est ergo hīc quasi titulus chronologicus historiæ sequentis, vt Ieiamus quo tempore ea contigerit, scilicet post mortem Astyagis sub Cyro. Similis titulus capiti 4. præfigitur cap. 3. v. 98. vt ibi dixi. Porro videtur hic titulus ex diarijs regum Persarum esse desumptus, & huc translatus, æquè ac tota sequens historia. Tò enim *Et rex Astyages*, quasi ex abrupto hīc inseritur, nec ullam cum præcedentibus habet connexionem. Videtur enim Iudeus aliquis, Cyro & Persis euera Babylonie iam planè dominantibus, in gratiam Cyri Iudeis ita benevoli, & Persarū, eorum chronicæ siue diaria conscripsisse, atque sub eorum æra gesta

gesta tam in Perside, quam in Babylone & alibi consignasse. Titulus ergo hic non est cōnēctendus cum primis verbis cap. lequentis, vt patebit ibidem, sed eis quasi titulus pr̄figendus est. Translatus enim est hic ex diarijs iam dictis, in quibus claudebat pr̄cedentes, ibi historias, & simul lequentis, quæ h̄c ponitur, erat initium.

Astyages hic fuit annus Cyri.

Nota. Astyages hic non est Darius Medus, filius Astyagis, & auunculus Cyri; vt volunt aliqui: huic enim Cyrus nō successit nisi euersa Babylone: hęc autē gesta sunt stante regno & rege Babylonis, vt patebit c. sequ. v. i. Astyages ergo hic fuit aius Cyri, cui in regno Medorum successit Darius filius, in regno vero Persarū successit Cyrus, nepos eius ex filia. Licet enim Darius, vtpote filius, in vtrumque regnum, scilicet tam Periarum quam Medorum, iure gentium succedere debuisset; tamen cessit ille Cyro Persarum regnū, vel quia ipse adoptiuus tantum erat Astyagis filius, vt vult Torniellus; vel quia ex pellice eius erat natus, vt volunt alij; vel quia quietis amans Cyro nepoti suo animoso & bellico Persidem concessit, concessurus & Me-

A diam post morten.

Porro Astyagis mors, & Cyri in Perside regnū, ac Darij in Media, multis annis contigit ante excidium Babylonis. Illud enim peractum est per Cyrum in Perside, & Dariu in Media iam regnantes. ita Hebræi in Seder olā, Lyran. in c. 9. Daniel. Vatāb. in c. 1. Daniel. Torniellus & alij. Imō idipsum diserrē afferit lib. 3. Esdræ c. 5. vlt. & Ioseph. 11. Antiqu. 2. vbi ait Cyrum post captam Babylonem, & laxatam Iudaorū captiuitatem, mox Massageto bello perijisse. Idipsum pluribus probauit Esdræ 1. 1.

Nota Secundò. rō appositus est ad patres suos, &c. Naturalis significat Astyagē à Cyro non fuisse victū & cæ. morta de- sum, vt narrant Herodotus & Iustinus, sed naturali funeris morte fuisse defunctum, ita vt Cyrus quasi nepos ei iure hereditario, non bellico, successerit. Rursum hinc patet, hanc phrasim, Appositus est ad patres suos, non de solis saluatis & beatis dici: nec enim verisimile est Astyagē fuisse fidem, esseque saluatū. Sic Genes. 25. v. 17. Ismael dicitur appositus ad popu- lum suum: Ismaelis tamen dubia est salus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Daniel detegit dolum sacerdotum Belis, Belemq. euerit. Secundò, v. 22. draconem occidit, ideoq. in lacum leonum mittitur, sed à Deo liberatur.

Vers. 1. Erat autem Daniel coniua regis, & honoratus super omnes amicos eius.

2. Erat quoque idolum apud Babylonios nomine Bel: & impendebant in eo per dies singulos similæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, viniq; amphoræ sex.

3. Rex quoque colebat eum, & ibat per singulos dies adorare eum: pōrro Daniel adorabat Deum suum. Dixitque ei rex: Quare non adoras Bel?

4. Qui respondens ait ei: Quia non colo idola manu facta, sed viuentem Deum, qui creavit cælum & terram, & habet potestatem omnis carnis.

5. Et dixit rex ad eum: Non videtur tibi esse Bel viuens Deus? An non vides quanta comedat, & bibat quotidie?

6. Et ait Daniel artidens: Ne erres rex. iste enim intrinsecus luteus est, & fortinsecus ærcus, neque comedit aliquando.

7. Et iratus rex vocavit sacerdotes eius, & ait eis: Nisi dixeritis mihi, quis est qui comedat impensis has, moriemini.

8. Si autem ostenderitis, quoniam Bel comedat haec, morietur Daniel, quia blasphemauit in Bel. Et dixit Daniel regi. Fiat iuxta verbum tuum.

9. Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis vxoribus, & paruulis, & filijs. Et venit rex cum Daniele in templum Bel.

10. Et dixerunt sacerdotes Bel: Ecce nos egredimur foras: & tu rex pone es- cas, & vinum misce, & claude ostium, & signa annulo tuo:

11. & cūm ingressus fueris manē, nisi inuenieris omnia comesta à Bel, morte moriemur; vel Daniel qui mentitus est aduersum nos.

12. Contemnebant autem, quia fece- rant sub mensa absconditum introitum, & per illum ingrediebantur semper, & deuorabant.

13. Factum est igitur postquam egressi sunt illi; rex posuit cibos ante Bel: præcepit Daniel pueris suis, & attulerunt ci- netem, & cribrauit per totum templum coram rege: & egressi clauerūt ostium: C & signantes annulo regis abiētunt.

14. Sacerdotes autem ingressi sunt no- cte iuxta consuetudinem suam, & vxores, & filii eorum: & comedierunt omnia, & biberunt.

15. Surrexit autem rex primo dilucu- lo, & Daniel eum co.

16. Et ait rex: Saluane sunt signacula, Daniel? Qui respondit: Salua, rex.

17. Statimque cūm aperuisset ostium, intuitus rex mensam, exclamauit voce magna: Magnus es Bel, & non est apud te dolus quisquam.

18. Et risit Daniel: & tenuit regem ne ingredieretur intro, & dixit: Ecce pati- mentum,

mentum, animaduerte cuius vestigia sunt A
hæc.

19. Et dixit rex: Video vestigia viro-
rum, & mulierum, & infantium. Et iratus
est rex.

20. Tunc apprehendit sacerdotes, &
vxores, & filios eorum: & ostenderunt ei
abscondita ostiola, per quæ ingredieban-
tur, & consumebant quæ erant super
mensam.

21. Occidit ergo illos rex, & tradidit
Bel in potestatem Danielis: qui subuertit
eum, & templum eius.

VERS. 1.
Historia
Bel contigit
sue Balsa-
far.
Probatur
Primò
Secundò.

Tertiò.

Daniel erat
stunc 72.
anno um.
Probatur.
Primò.

Secundò.

VERS. 2.
Bel fuit
Nemrod.

ERAT AVTEM DÁNIEL CONVIVA REGIS]

Hic rex non fuit Cyrus, vt vult Theodor. &
Irenæus lib. 4.c. 11. nec Astyages, vt videtur velle
S. Athanasius serm. 4: contra Arrianos; sed Eulmrod-
ach, siue Balsafar. Probatur Primò, quia hic fuit
rex Babylonis adhuc stantis & florentis. Secundò,
quia hic, vtpote Babylonius, coluit Bel; Cyrus vero
& Persæ non coluerunt Bel, sed solem: imò Xerxes
sepulchrum Beli destruxit, teste Strabone lib.
16. Tertiò, quia Babylonij voluerunt regem hunc
occidere, v. 28. nisi eis traderet Daniel: hoc au-
tem non ausi fuissent minari Cyro, vtpote iam ab
eo subacti; nec etiam Nabuchodonosori, vtpote
potenti & terribili. ita Torniellus, Pererius, & alij.

Hinc patet, quod Daniel cum Belum euertit, &
cum misus est in lacum leonum, non fuerit du-
dennis, vt vult S. Chrysostomus homil. 1. in psal. 30. fuit
enim tunc vt minimum 72. annorum. Id patet Pri-
mò, ex eo, quod historia hæc contigerit sub Balsa-
far, qui coepit regnare anno regni Nabuchodonosor
45. illo enim anno Balsafar morienti patri suc-
cessit; Daniel autem 20. erat annorum, antequam
regnare inciperet Nabuchodonosor. Secundò,
quia historia hæc contigit post regnum Astyagis,
regnante iam Cyro, vt patet ex titulo, siue ex viti-
mis verbis cap. præcedentis; Astyages autem, vt ibi
dixi, coepit regnare anno captiuitatis Babylonicae
sextæ, quo Daniel erat 34. annorum; regnauit vero
38. annis: iam adde 34. & 38: habebis annos 72. vitæ
Danielis. Erat ergo Daniel 72. annorum cum mor-
tuus est Astyages, & regnare coepit Cyrus, sub quo
hæc historia contigit.

BEL] Bel, siue Beel, Baal, Bal, & Belus fuit Nem-
rod, fundator & primus rex Babylonis, pater Ni-
ni, vt dixi Genes. 10.v. 10. De templo & idolo hoc
Beli mira scribunt Herodot. lib. 1. qui Daniele vix
100. annis fuit posterior. Diodor. lib. 3.c. 4. Strabo
lib. 16. vbi inter alia docent, statuam Iouis Beli au-
ream fuisse longam pedes 40. ponderantem mille
talenta Babylonica: cui dicatus erat crater ex auro
talentorum 1200. Videtur hæc statua ex ære fu-
isse, sed tecta auro: aut certè ex aurichalco, id est æ-
re aureo: Daniel enim cam vocat æream.

Tropolog. Belum & idola imitantur, Primò, qui
vestibus sericis & aureis exterius se ornant, interius
terream habent vel mentem, vel conscientiam, pu-
tæ in luto & sordibus gulæ, libidinis, &c. versantur
Secundò, hypocritæ, qui foris aurei videntur, intus
sunt lutei. Audi Billium in Antholog.

Bel erat externè pulcherrimus; vndeque & ere
tectus: at intus erat nil nisi vile latum.

Qui Curiū simulat, cùm sit nequissimus, illum

Cur ego non Belum iure vocare queam?
Bel erit, exterius tumuli qui candidus in star,
Interius tantum vile cadaver habet.

ARTABÆ.] Artaba continet 72. sextarios, inquit
Epiphanius lib. de Ponderibus & mensuris, & Isidor.
lib. 16. Etymolog. magna ergo copia simile huic
Beli idolo quotidie impendebatur. Triplex fuit
artaba, scilicet Persica, capiens medium, & tres
choenices: Medica, capiens medium: Ægyptia,
capiens quinque modios. ita Pererius.

AMPHORÆ.] Amphora continebat 48. sexta-
rios, siue scyphos maiores, quorum quisque con-
tinebat viginti uncias aquæ aut vini, vt dixi in ap-
pendice Pentateuchi.

CONFIDEBAINT] Corrige contemnebant: græcè VERS. 11.
enim est κατεφρόνειν, id est despiciebant, scilicet pe-
riculum sue fraudis & mortis.

ET CRIBRAVIT] Id est, cribrando sparitus per VERS. 13.
totum templum, ne, si lapilli cineri immixti spar-
gerentur, in eos pedibus impingentes venturi no-
stu sacerdotes fraudem perficserent, cinerem-
que euerterent. Cribrando ergo fecit, vt solus pu-
rus tenuisque cinis per cribrum dilaberetur in pa-
uimentum, quem sentire pedibus non poterant.
Hinc Séptuag. vertunt, κατεσπασαν, id est strauerunt
cinerem pavimentum. ita Complut. Obscurè ergo
legit editio Caraffæ, decusserunt templum. q.d. Ex
cribro cribrando decusserunt puluerem per totū
templum, ita vt cribrum solum puluerem trans-
mitteret; carbones vero, lapillos, & alia crassiora
retineret, quod Plinius lib. 18. cap. 11. & Columella
lib. 5.c. 6. vocant cribro incernere, vel succernere, hoc
est cribrare. Itaq; in hoc cinere nescientes vestigia
pedum noctu impresserunt sacerdotes, ex illo
deprehensi sunt, quod scilicet ipsi comedenter es-
cas idolo oblatas, non Bel: ideoque rex eos occi-
dit, & idolum Beli per Danielum euertit.

22. Eterat draco magnus in loco illo,
& colebant eum Babylonij.

23. Et dixit rex Danieli: Ecce nunc
non potes dicere quia iste non sit Deus
vivens: adora ergo eum.

24. Dixitque Daniel: Dominum Deum
meum adoro: quia ipse est Deus vivens:
iste autem non est Deus vivens.

25. Tu autem rex da mihi potestatem,
& interficiam draconem absque gladio,
& fuste. Et ait rex: Do tibi.

26. Tulit ergo Daniel picem, & adi-
pem, & pilos, & coxit pariter: fecitque
massas, & dedit in os draconis, & diru-
ptus est draco. Et dixit: Ecce quem colebatis.

27. Quod cum audissent Babylonij, in-
dignati sunt vehementer: & congregati
aduersum regem, dixerunt: Iudæus fa-
etus est rex: Bel destruxit, draconem in-
terfecit, & sacerdotes occidit.

28. Et dixerunt cum venissent ad re-
gem: Trade nobis Danielum, alioquin
interficiemus te, & domum tuam.

29. Vedit ergo rex quod irruerent in
eum vehementer: & necessitate com-
pulsus

Artaba
Triplex.

pulsus tradidit eis Daniel.

30. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex.

31. Porro in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oves: & tunc non data sunt eis, ut deuorarent Daniel.

32. Erat autem Habacuc Propheta in Iudea, & ipse coxerat pulmentum, & intruerat panes in alueolo: & ibat in campum ut ferret messoribus.

33. Dixitque angelus Domini ad Habacuc: Fer prandium, quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum.

34. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. B

35. Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitinis sui, posuitque eum in Babylone supra lacum in impetu spiritus sui.

36. Et clamauit Habacuc, dicens: Daniel serue Dei, tolle prandium, quod misit tibi Deus.

37. Et ait Daniel: Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te.

38. Surgensque Daniel comedit. Porro angelus Domini testituit Habacuc confessim in loco suo.

39. Venit ergo rex die septimo ut lugeret Daniel: & venit ad lacum, & introspectus, & ecce Daniel sedens in medio leonum. C

40. Et exclamauit voce magna rex, dicens: Magnus es Domine Deus Daniels. Et extraxit eum de lacu leonum.

41. Porro illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coram eo.

42. Tunc rex ait; Pauent omnes habitantes in vniuersa terra Deum Daniels: quia ipse est saluator, faciens signa & mirabilia in terra: qui liberauit Daniel de lacu leonum.

VERS. 22. ERAT DRACO] Ita Romani in peste Romam aduixerunt & coluerunt serpentem Epidaurium, quasi urbis Aesculapii, de quo vide Valer. Max. lib. 1. c. 8. Notat S. August. lib. 11. de Gen. ad lit. 28.

diabolum ut solere forma serpentum ad decipiens homines permittente Deo, ad primi facti memoria commendantam, quod sit ei quædam cum hoc genere familiaritas, quia scilicet in serpente decepit Adamum & Euam, ibique videt hanc fraudem sibi bene succedere. Hinc Pherecydes Syrus dixit demones è cælo à Ioue fuisse deturbatos, quorum princeps dictus sit Ophioneus, id est serpentinus. Adde, quod draco natura est cum monstrosa & horribili, tum forti & robusta, tum perugili & acerrima oculorum acie (vnde draco dicitur δέρπειν, à videndo) quare quid diuinum præ se fert. Ea de causa à priscis draconis assignata est custodia ædium, adytorum, oraculorum, thesaurorum, he-

Cornel. in Ieremiam.

A roum infantiae, vti de Hercule, imò & de Nerone fabulati sunt Poëtæ. Hinc etiam draco priscis fuit symbolū prudentiae, sapientiae, imò & vaticinij, vti docet Carolus Paschalius lib. 9. de Coronis c. 15. sub finem. Quocirca ab Ouidio li. 9. Metamorph. draco vocatur *in somnis*, & lib. 7. *in sopitus*: & à Vалерio lib. 2. Argonaut. *vigil*: talis enim erat ille Colchicus custodiens vellus aureum, quod tamen raperunt Argonautæ. Hinc & Cicero Philip. 13. An, inquit, *is non reddet, qui domini patrocinium circumplexus, quasi thesaurum draco?* Denique dracones aliqui *Tertia*. immanes sunt, adeò ut boues glutire soleant, vnde & boas vocant; qualis fuit ille qui armenta & pastores, tractos ad se vi spiritus absordebat, quem pyram conscendere iubens, exussit S. Hilarion, teste S. Hieron. in eius Vita.

Maximus Tyrius, & ex eo Pierius hierogl. 16. tradunt tempore Alexandri draconem fuisse quinque iugerum magnitudine. Hinc & draco in somnis visus matri portendit Alexandro Magno, vti & Scipioni, Augusto, Aureliano Seuero, alijsque, imperium amplius & illustre: vti refert Pierius hierogl. 15. Rursum Plinius afferit, apud Indos & Æthiopes esse dracones viginti cubitorum. Audi eum libr. 8. c. 11. *Elephantes fert Africa, &c. sed maximos India, bellantesq; cum ijs perpetua discordia dracones, tant & magnitudinis, ut & ipsos circumflexu faciliter ambiant, nexuq; nodi perstringant. Commoritur ea dimicatio; victusq; corruiens, complexum elidit pondere. Causat pugnae subdit* c. 12. *Elephantis frigidissimum esse sanguinem, ob id aestu torrente precipue à draconibus expeti. Quamobrem in amnum meritos insidiari bibentibus, arctatisque illigata manu in aurum mossum defigere. Non mirum ergo, si Gentiles & Babylonij, præ ceteris animalibus draconis inesse Numen putarint. Magis mira sunt quaæ de draconibus scribit Plinius lib. 29. c. 4. scilicet: Draco non habet venena. Caput eius limini ianuarum subditum, propitiatis adoratione diis, fortunatum domum facere promittunt. Oculis eius inueteratis, & cum melle tritis inunctos, non pauescere ad nocturnas imagines etiam pauidos. Cordis pingue in pelle dorcadum nervis ceruinis ad allegarum in lacerto, conferre iudiciorum victorie. Primum spondylum a litus potestatum mulcere. Dentes eius illigatos pellibus caprearum ceruinis nervis, mites praestare dominos, potestusque exorabiles. Verum bæc fabulosa videntur, aut magica potius quam physica. Vnde mox subdit Plinius: Sed super omnia est compositione, qua inuictos faciunt magorum mendacia, &c. Hisce de causis diabolus in specie draconis vel serpentis apparere, pingi & coli voluit.*

Scribit Dio in Hadriano, cumdem Imperatorem in templo Iouis Olympij, quod Athenis sumptuosissime exercerat, posuisse pro numine draconem ex India deportatum.

Alexandrum impostorem, discipulum Apollonij Tyanæi, serpentem palam adorandum ex posuisse, cumque oracula dare finxisse; ideoque ad nouum hoc oraculum vocale confluxisse Iones, Galatas, Cilices, quin & Romanos, vti Rutilianum qui præerat Romano exercitu, narrat Lucianus in Pseudomante.

Draco pingitur ad pedes S. Siluestri, quia ipse conuerso Constantino, dæmoni, quasi draconis, cultu in idolis ademit, eumq; Christi cruce debellavit & calcauit. Quin & in actis S. Silvestri mira narrantur, de dracone immani ab eo cōstricto & concluso, cuius memoria extat Romæ ad radices Capitoli, in templo quod vocatur, S. Maria libera nos de

pans inferni.de quo multa Baron.to.3.anno Christi
324.pag.238.

Nec tantum ab Ethniciis, sed & ab hereticis voluit dæmon coli draconis vel serpentis specie. Ophitæ inde nomen acceperunt, quod serpente alerent & colerent quasi Christum, qui eorum Eucharistiam lambebat, itaque sanctificabat, vti refert Epiphan.hær.37. Theodor.lib.1. hæret. fabul. S.August. de Hæresib. vbi & addit, Ophitas dixisse Christum illum fuisse serpentem, qui decepit Euam.

Porrò S.Scriptura diabolum vocat & pingit quasi draconem, ob malitiam eius & scutiam, Apocal.12.v.3.9.13. Isaia 27.1.Iob 40.20. Psal.90.13.Psal.103.26. Ita refert S.Gregor. hom.19.in Euang. in suo monasterio dæmonem in forma draconis apparauisse iuueni cuidam sculari morienti qui licentius vixerat, sed precibus Monachorum fugatum abiisse. Et lib.4.Dialog. c.37. idem recensens, ait iuueniem vocatum fuisse Theodorum, qui hac visione totus fuerit ad Deum conuersus; eumque post longæ ægritudinis purgationem & pœnitentiam, hac vita esse defunctum.

Denique ob causas iam dictas prisci censemant serpentes esse naturæ immortalis & diuinæ, ait Philo Biblius. Hinc Tautus Ægyptiorum Deus, ait, hoc spiritu[m] omnium animal, & maximè igneum, longatum præterea, & senectam cum pelle depone[n]s, reuirescit, & vix naturali nece conficitur. Hinc & Lamprid.de Heliogabalo ita scribit: Ægyptios dracones Romæ habuit, quos illi Agatholemonas appellant. Phœnices quoque serpentem felicem appellabant, ait Euseb.lib.1. Præp.Euangel.7. Quin & serpentibus tantum cultus tribuit gentilitas, vt draconia tempora non inuaret, teste Strabone lib.14. quod prima circa serpentes extiterint idolatriæ scmina, & quod diabolus hanc speciem haberet in delicijs. Vnde Horus Apollo hierogl.1. Ægyptij, inquit, basiliscum ex auro conflatum d[omi]n[u]m circumponunt.

VERS.23. ECCE NVNC NON POTES DICERE] Græca habent, numquid & hunc dices esse æneum? viuit ecce & bibit.

VERS.26. DIRVPTVS EST DRACO] Non quod pix aut Massa picea disruptus est draco, unde. pili veneati sint, viuque naturalem dirumpendi habeant; sed quod boli ex ea massâ datâ hæc scint firmiter angustissimæ guttulis & ventris viæ, caue penitus obturata, nulloque exitu dato, neque deuoratis, neque flatui, disruptus sit draco. Pix enim & adeps cum sint glutinosa, & emplastrica, obturant viam cibi, implicata vero pilis multò tenacius hærent; sic ergo impedito anhelitu & aspiratione, cibo hoc oppletus draco, crepuit. ita Valeius de Sacra Philos.c.81. Scribit enim Solinus cap.43. veris draconibus ora esse parua, & ad mortuis non dehiscentia, sed arctas fistulas per quas trahunt spiritum, & linguam exserunt: facile ergo hac massa picea illæ à Daniele oppleri potuerunt, itaque suffocari & crepare draco. Simili modo eversum & combustum est Marnæum, id est celebre illud Martine delubrum & idoli, anno Domini 401. sub Arcadio Imp. à S.Porphyrio Gazæ Episcopo iussu Dei, qui per os pueri Syri septennis Græca lingua, quam nunquam didicerat, loquentis edixit: Vrite templum quod est intus usque ad solum: multa enim grauia in eo facta sunt & maximè hominum sacrificia. Hoc autem modo id adurite: Afferte picem humidam, & sulphur, & seuum suillum, & miscete haec tria, & vngite portas æneas, & ignem eis immittite, & sic templum comburetur: alias

A enim non potest fieri: & postquam fuerit combustum, expurgato loco statuite illic sanctam ecclesiam. Testificor a[n]im coram Deo, non posse aliter fieri: non enim sum ego qui loquor, sed qui est in me Christus. Cui Christi editio obsequens S.Porphyrus, delubrum famosissimum combussit. Ita ex actis S. Porphyrij, quæ conscripsit Marcus Diaconus Gazensis, narrat Baron. anno Christi 401.

Allegoricè, S.Chrysostom. hom.38.in 1.ad Corinth. Allegor. Sicuti, inquit, cibo hoc Danielis gustato crepuit draco, ita corpore Christi sorpto tartarus est diffusus, corpore hoc ventrem eius rumpente, indeque remeante gloriōsè cum tot Sanctorum millibus.

ECCE QVEM COLEBATIS] iδε στέασμα τοῦ μόδο, ecce numina vestra, putà Bel & draco quæ colebatis, quam infirma, quam fallacia sunt?

B MISERVNT EVM IN LACVM LEONVM] Hinc VERS. 30. patet Danielem bis missum fuisse in lacum leonum, Daniel bis scilicet, Primò, sub Eulmerodach per sex dies, h[ab]it missus fuit Secundò, sub Dario Medo per unam noctem, e[st] in lacum leonum.

quod contra eius præceptum Deum suum inuocasset, vti dictum est c.6.16. Licet nonnulli olim teste S.Hieron. præfatione in Danielem, putarint a-

lium esse Danielem qui Susannam liberauit, & Bel erint Dan. destruxit; ab eo de quo primis duodecim capitibus n[on]e actum est: hic enim fuit de tribu Iuda, vt patet c.1. 3. ille vero belis destrutor videtur fuisse de tribu Leui. Hoc enim indicant Septuag.in quatuor versione olim initio capituli 14. ita legebatur: Vir quidam erat sacerdos nomine Daniel filius Abdæ, communia regis,

v[er]i testis est S.Hieron. præfatione in Danielem, Verum ad hoc respondet Primò, Dionys. Carthul. Resp. unum ex Isidoro, Danielem fuisse ortum ex Leui quoad fuisse genus paternum, ex Iuda quoad maternum. Secundò, & melius responderet Peterius, corruptam fuisse illam editionem Græcam: nam iam id in ea non inuenitur. Vnde Ecclesia unum tantum agnoscit Danielem, cumque ex semine regum Iuda prognatum. Vrè Cyprianus serm. de lapis: Quia gloriosus Daniele: quid illo ad facienda martyria in sua firmitate robustius in Dei dignatione felicem: qui toties & cum confligeret vicit, & cum vinceret superuixit. Et Ambros.lib.

1.Officior.c.35. Quam, ait, insuperabilis Daniel, qui circa latera sua rugientes non expauit leones? Fremebat bestie, & ille epulabatur. Et S.Basil. hom. de laudibus ieiunij, Daniel, ait, vir desideriorum, cum tres hebdomadas non edisset, nec vinum bibisset, demissus in lacum, etiam leones ieiunare docuit. Neque enim leones dentes in illum impingere valuerunt, perinde quasi è lapide aut ferro concretus fuisse. Aded sicut tintura ferrum indurescit, ita ieiunium p[ro]p[ter]a viri corpus durauerat, ac leonibus insuperabile reddiderat. Rursum in Daniele verum fuit illud S. August. sententia 249. Nulla infelicitas frangit, quem nulla felicitas corrumpit.

DVO CORPORA ET DVÆ OVES] duo integra VERS. 31. corpora dua uniuiri. Est hendyadis; vel & ponitur pro id est. Secundò, simplicius & planius: duo corpora, putà vel animalium occisorum vel hominum ad mortem damnatorum, aut alijs interemptorum; & duæ oues, viuæ. Prædam enim viuam pro esca ambit leo, vt eam vnguibus suis discerpatur. Nam duæ oues quotidie ad elcam, non sufficiunt septem leonibus, ita feris & voracibus. Præter binas oues ergo data sunt eis alia duo corpora, vel cadauera. Vnde Syrus. verit, duo corpora in die (quotidie) & duo arietes; & Arabicus Antioch. & erat cibus eorum singulis diebus tauri duo ē bobus, & de ouibus duo arietes. Sic & Arabicus Alexandrinus.

ERAT

VERS. 32. ERAT AVTEM HABACUC PROPHETA IN IV-
DÆA] Nota , licet tempore excidij Hierosolymæ
per Chaldaeos , multi Iudæi abducti fuerint in Ba-
bylonem.alij fugerint in Ægyptum, vel in alias re-
giones ; tamen nonnullos remansisse, vel redijsse in
Iudæam, inter quos fuit hic Habacuc.

Quæres , Fuitne hic idem cum Habacuc uno è
duodecim Minoribus Prophetis ? Affirmare vide-
tur S.Hieron. præfatione in Habacuc, Epiphan. &
Doroth. in Synopsi, Perer. & Pintus h̄ic. Verū
Torniellus & alij id negant, idque verius videtur.
Nam noster hic Habacuc illo fuit posterior. Ille e-
nīm fuit ante captiuitatem Babyloniam, nam eam
prædixit : hic verò post eam vixit sub Euilmero-
dach, nisi dicas eum ad multam ætatem vixisse. Si
enīm eum ponas hoc tempore fuisse 75. vel 80. an-
norum , potuit esse unus idemque ; unde tam hic
quām ille vocatur Propheta. Hunc Habacuc histo-
riam hanc scripsisse nonnulli autumant , eò quod
olim Belis historia iuxta Septuag. hoc titulo præ-
notaretur : *Prophetia Habacuc filij Iesu de tribu Levi, vti*
testatur S.Hieron. prolog. in Danielem.

PVLMENTVM] pultes.

IN ALVEOLO] in cacabo, similiū cauo vasculo.
Arabicus vocat pilam , id est vas concavum ex
ligno.

VERS. 33. DIXITQVE ANGELVS DOMINI AD HABA-
CVC : FER PRANDIVM QVOD HABES , IN BA-
BYLONEM DANIELI] Historiam Habacuc ita
narrant Epiphan. & Doroth. in Vita Danielis: Cum
Nabuchodonosor postremo venit Ierusalem cum exercitu
oppugnaturus , Habacuc fugit in terram Imaelitarum ;
postea verò reuersus est in terram suam. Et cum aliquan-
do messoribus suis pulmentum preparasset , apud suos pro-
phetauit, dicens : Profiscitor in terram longinquam, ac ci-
tò reuertar ; si autem tardauerero , serte messoribus escam.
Cum autem Babylone fuisse , & prandium dedisset Da-
nieli , astitit messoribus vescientibus , nec quidquam dixit

A eorum que ipsi contigerant. Sciebat autem breui reuersu-
rum populum Babylonem ; & biennio priusquam populus re-
uerteretur, mortuus est , ac sepultus in agro suo. Horum
fides sit penes Auctores.

ET APPREHENDIT EVM ANGELVS , &c. PO-
SVITQVE EVM IN BABYLONE] Angelus subito ,
& quasi in isto oculi potuit transferre Habacuc ex
Iudæa in Babylonem, & eadēm celeritate reducere : quia angelus qui mouet solem, facit ut sol qua-
libet hora tantum spatij conficiat , quantum quis
conficeret si una hora quinquages totum terræ
globum circumcurrent. Angelus verò mouens fir-
mamentum, facit ut quævis stella in Æquinoctiali
una hora conficiat 42. millions milliarium , &
amplius : hoc est , tantumdem ac si globum terræ
circumuolaret bis millies , & amplius. Vide dicta
Genes. 1.14.

TOLLE PRANDIVM QVOD MISIT TIBI DEVS]
Verè S. Cyprian. tract. de Oratione Dominica,
Cum Dei, inquit, sint omnia, habenti Deum nihil deerit,
si Deo ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu iussu re-
gis inclusu prandium diuinitus procuratur , & inter feras
esurientes & parcentes homo Dei pascit. Quid ergo, in-
quit idem tract. de Opere & eleemos. metuis ne ope-
ranti tibi , & Dominum promerenti desit alimentum ?

RECORDATVS ES MEI DEVS] Ita Græca &
Roman. male ergo Plantin. legunt , recordatus est
enim mei Deus.

DILIGENTES TE] ēn̄t̄v̄t̄v̄t̄s os quærentes tc.

MAGNVS ES DOMINE DEVS DANIE-
LIS] quem Daniel colit , quiqüe Danielem à
Iconibus liberasti. Græca addunt, Et non est aliud
preter te.

PORRO ILLOS] Talionem eis irrogat ; vti fecit
& Darius c.6. 24. lex enim talionis iustitia & æ-
quitati naturali maximè est consentanea. Vnde
eam non solum Iudæi, sed & Babylonij, Perse, alij-
que Gentiles usurparunt.

CONCLVSIONE ET VOTVM

AVCTORIS AD SS. PROPHETAS.

PROPHETAS docentes & tonantes audiimus ; eos vestigando & explicando pari passu secuti sumus. Ad metam
Deo duce peruenimus : Isaiam consolantem & exultantem , Ieremiam querentem & gementem , Ezechielem terren-
tem & minitantem, Danielem sua symbola, & monarchiarum ac regnorum enigmata proponentem spectauimus , excus-
simus (quantum Dominus dedit) intelleximus , exposuimus. Patientiam Prophetarum cognovimus. finem Domini vidimus.
Prophetias ipsi suas proprio sanguine obsignarunt , & Martyres euaserunt. Propheta enim & in vita & in morte Martyr, id
est testis, mō p̄co veritatis v̄que ad martyrium sit oportet. Hoc est quod assertit princeps Prophetarum Christus Dominus:
Non capit Prophetam perire extra Ierusalem : & Væ vobis Scribæ , &c. qui ædificatis sepulcra Prophe-
tarum, &c. & dicitis: Si fuissimus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sanguine Pro-
phetarum , &c. & vos implete mensuram patrum vestrorum , me scilicet Christum occidite. Ideo ecce ego^{29.}
mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex ijs occidetis & crucifigetis, &c. Ierusalem, Ierusalem,
quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt. Idem est ergo Propheta quod Martyr.

Vos itaque, ô Isaia, ô Ieremia, ô Ezechiel, ô Daniel , Domini Prophetæ fuistis , fuistis pariter & Martyres ; tuq, ô Daniel
in lacu leonum bis Martyr extitisti. O quām fortiter bonam confessionem confessi etis , fidem seruasti , cursum consum-
masti ! ô quām feliciter coronam vobis repositam, tam doctoralem quām agonalem , accepistis ! Prophetæ vestræ congruè
à Deo ab eterno decreta fuit hec laurea, vt martyrium per doctoratum mereremini, illoq, hunc confirmaretis & ornare-
tis. Purpurea enim lauræ viridantem interpungens & vermiculans condecorat & illustrat. Merces vestræ doctrine & con-
cionis fuit purpura, non regum, sed Martyrum. Merces sane magna nimis, premium ingens & inuidendum.


fecistis me prophetæ vestræ doctoralis laureæ participem , facite quæso & martyrij, vt & ego veritatem quām à vobis
haui, aliosque docui & conscripsi, sanguine meo obsignem. Nec enim antè perfectus & consummatus erit doctoratus hic
meus, nisi hoc sigillo pariter claudatur & sanctiatur. A tringita penè annis vobiscum , & pro vobis lubens volens ue conti-
nuum subeo martyrium. Religiose vite , martyrium ægritudinem , martyrium studiorum & scriptiorum ; impetrare obse-
cro mihi pro coronide & quartum martyrium sanguinis. Exhausi pro vobis spiritus vitales & animales , exauriam &
sanguinem. Omnis laboris mei per tot annos exantlati , quo vos Dei gratia explicui, illustravi, & novo sermone loquentes
Cornel. in Danielem.

& prophetantes eseci, ac vobis sum quasi prophetau, vestrum mibi quasi Prophetæ stipendum, martyrium dico, à Patre sicutum, aquæ ac misericordiarum obtinet.

Tuquè o sanctissima Dei Genitrix, à benedicto filio tuo idem posce, idem mibi imperra. Habi illud penè in manibus Luanij, sepius urbe yndique circumessa ab hereticis, eam, ut pote præsilio omni humano nudatam, tantum non iniudentibus & occupantibus; ac præsertim apud tuum edem Aspercollensem, tot miraculis illustrem, cum in ea degens, ut peregrinos turritam deuotionis causa aduentantes per confessiones, conciones, aliisque sacra officia pro modulo meo adiuuarem, anno 1604. ipso festo Nativitatis tue, ab Hollandico equitatu ex improviso in eam incurrente, cunctaque ferro & flamma vestite, circumspitus, tam im non captus sum & trucidatus. Verum sacrosanctæ Eucharistie, quam ex tua sede (ne ab hereticis violaretur) mecum efferebam, atque tua ope, quam voto tibi nuncupato implorabam, mira prouidentia seruatus sum; cum periculum omne quasi per miraculum a me discussisti. Credo ad maiores labores quibus hæc laurea præmerenda erat, me liberasti & disulisti. Si ita est, labores auge, duplica, protende, etiam usque ad cursus Biblici consummationem, ut eo per acto coronam hanc adipiscar: verumtamen eadem, quam mihi ad tempus abstulisti, ne me ora defraudes, sed eam integrum, maioribus ne meritu cumulatam suo tempore redde & restitu. Tibi enim, ut pote matris æternæ sapientie, matrue meæ desulat omnis hic labor meus.

O Pater æterne, qui ante secula nos predestinasti conformes fieri imaginis filij tui; qui in tempore à te preordinato me in sanctam eius Societatem vocasti & adoptasti, tribue, obsecro, ut ipsi & quæ in cruce passionis, ac in luce doctrine & sanctæ actionis jugiter conformer & configurer. Ipse enim est testis fidelis, Doctorum, Prophetarum & Martyrum princeps. Exprime in me eus exemplar, quod mihi in monte Caluarie manifestasti.

O Domine Iesu, amor noster, per merita SS. matris tue & Prophetarum, mihi largire id ipsum, quod tam enixe postulo; fac ut tuas eorum ue coronas partipem, quorum labores & munus participo. Dixisti & promisisti: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet. Recepit Prophetas non Prophetam, immo cum eis cucurri & prophetau: recepi te principem Prophetarum in magistrum & sponsum animæ meæ: concede ergo & martyri lauream, prophetie à te decretam, quam tot annis, tot votis assidue efflagitavi & efflagito. Mille modis, quos in tua prouidentie thesauris reconditos habes, facilissime eam mihi, etiam medios inter Christianos exhibere potes, ut pluribus exhibuisti. Theodosiana erant tempora, quando S. Ioannes Chrysostomus ab Eudoxia, & emulis Episcopis in exilium necemque attus, aurei sui oris, libera & que increpationis premium tulit martyrium; atque assidue irineribus noctu diuque fame, siti, Solis ardore, febri, aliisque eruminis lenta, sed acri morte occumbere coactus, non semel, sed decies Martyr gloriose de hostibus suis, ipsaque morte triumphavit. Heracliana erant secula, quando S. Martinus Pontifex Paulum Constant. Patriarcham Monothelitam excommunicans, iussu Constantii Imp. a Calliope Exarcho in Lateranensi ecclesia perfidè capitus, & ad Constantem missus, ei in faciem forissem restitit: quocirca ab eo in Chersonam relegatus, fame & eruminis confectus, nobile pro Christo & orthodoxa fide martyrium letabundus & glorians obiit anno Christi 654. vere suorum infelicium temporum constans & gloria felicitas. Instianæa erant tempora, non Neroniana, non Diocletianæa, cian Siluerius Papa in urbe Christiana, inter Christianos, à Christianis tulit palmam martyrij. Similia fuere, cum Ioannes & Felix Pontifices eamdem obtinuerunt, te utique dante, & procurante. Romam ecce me vocasti, ut Romæ inter medios Prophetas & Martyres degarem. Calco assidue terram rubricatam, & penè adhuc stillantem sanguine S. Pauli, & trecentorum millium Martyrum, hos quoti, id est oculis, auribus, animo specto; hi mihi martyrij sui scimus accipiunt, hi ardoris suæ flammæ iniiciunt; ut turpe estimem, inter tot domesticos doctores Martyres, externum doctorem, non Martyrem versari. Imple ergo hoc meum votum, qui impletus in bonis desuerium seruorum tuorum. Da Domine non inertem vitam, da nec inertem in lecto mortem: da potius, cum Christo ut moriar ligno aut ferro, pulchramque petam per vulnera mortem. Scriptoris huius & doctrina meæ unum hoc tantum sigillum restat; concede queso illud, si non meis meritis, certè veritati tuae quam conscripsi. Indidisti mihi hoc desiderium iam olim ab ipso ingressu in hanc S. Religionem; reipsa ergo præsta & perfice in egressu vita meæ, quod me tam cupide desiderare fecisti, ad tuam perennem laudem, & Ecclesiæ tuae decus; ut verbo & exemplo sanctiam tua oracula, doceamque etiam post mortem, & cum sanguine Abel posteris per omnia facula futura inclamem: VIVITE DEO, VIVITE CALO, VIVITE ÆTERNITATI. Hoc est enim omnis homo.



DOXOLOGIA SAPIENTIAE AETERNAE EX EPITOME GESTORVM ET VISIONVM DANIELIS.

CAP. I.
Danielis
abstinentia
& sapientia.



Vltifariam multisq; modis locutus es Domine Prophetis: sed nouissime per somnia & enigmata locutus es Danieli sapientissimo in filiis hominum.

Daniel cum tribus pueris in Babylone carne & vino abstinuit: ideo dedisti eis sapientiam, & Danieli prophetiam.

Confiteor tibi Pater, Domine celi & terre, quia abscondisti hec a sapientibus, & ventri deditis: ac reuelasti ea parvulis, & abstinentibus.

Ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te: sic decuit ut mater sapientiae sit humilitas & abstinentia, ut qui ieiunant ventre, paucantur in mente.

CAP. 2.
Visio statu-
tus qua-
driformis.
id est qua-
tuor mo-
narchiarum.

Vidit rex statuam ex auro, argento, aere & ferro: sed lapis de monte abscessus ea communuit.

Daniel quatuor regna hic portendi videt, ijsq; euersis quintam regnum regiorum: quod in eternum non disperabitur.

Hinc rex Danielem adoravit, & in sublime extulit: eumq; constituit principem super omnes provincias Babylonias.

CAP. 3.
Aurea sta-
tua regis,
quam re-
spuentes
tres pueri in
igne ma-
nent illæsi.

Rex auream statuam erexit, eamq; colli insit ut numen: tres pueri idolum abominati sunt.

Pereant simulacra Gentium: que sunt argentum & aurum, opera manuum hominum.

Ecce enim Deus noster in celo, qui fecit celum & terram: ipse nos potest eripere de camino ignis ardantis.

Rex furens coniicit eos in fornacem succensam: orant martyres stantes in flammis.

Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in milibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie: o Domine victima fiamus viua, placentque tibi.

Mox adiuit eis angelus, flamman ignis excusit: fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem.

Non tetigit eos omnino ignis: neque contrastauit, nec quidquam molestia intulit.

Benedicte ergo omnia opera Domini Domino: benedicte angeli Domini Domino.

Benedicte celi Domino: benedicte omnis spiritus Dei Domino.

Benedicte ignis & aestus Domino: benedicte gelu & frigus Domino.

Benedicte serui Domini Domino: benedicte sancti & humiles corde Domino.

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.

CAP. 4.
Nabuch-
in bouem
commuta-
tur.

Rex superbus vidit arborem proceram, audit, succidite eam: cor eius ab humano commutetur. cor ferre deture ei.

In sententia vigilum decretum est: donec cognoscant viventes, quoniam dominatur Excelsus in regno hominum.

Daniel ait, Hec est interpretatio, Ei scilicet te o rex ab omnibus, & cum bestiis ferisq; erit habitatio tua.

Cornel. in Danielem.

Fænum ut bos comedes, & rore celi insunderis: septem tempora mutabuntur super te, donec cognoscas regnum Excelsi.

Mox sermo completus est, rex electus per septem annos faciun ut bos comedit: inde ad se reuersus predicauit magnalia Dei.

Quia potestas eius potestas sempiterna: & omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt.

Non est qui resistat manu eius: qui gradientes in superbia potest humiliare.

Balsazar temulentus laudauit deos aureos & argenteos: mox videt manum scribentem in pariete, Mane, Tekel, Phares.

Cui Daniel: Deum qui habet flatum tuum in manu sua, & omnes vias tuas, non glorificasti: aduersus dominatorem celi elevatus es:

Ideo Mane, numerauit Deus regnum tuum & complevit illud.

Tekel, appensus es in statera, & inuentus es minus habens.

Phares, diuisum est regnum tuum; & datum est Medis & Persis.

Daniel adorat Deum: ideo ab emulis, frustra renidente Dario, coniicitur in lacum leonum.

Deus misit angelum suum, & conclusit ora leonum: quia coram Deo iustitia inuenta est in eo.

Daniel videt quatuor monarchias, quasi bestias: leonem, visum, pardum, & monstrum habens decem cornua.

Antiquus dierum sedet: thronus eius flammæ ignis, rotæ eius ignis accensis.

Vestimentum eius candidum quasi nix, fluuius igneus rapidusq; egrediebatur a facie eius.

Millia millium ministabant ei: & decies millies centena millia assistebant ei.

Hæ sunt myriades Seraphim & Cherubim: iudicium sedet, & libri aperti sunt.

Ecce cum nubibus celi venit quasi filius hominis: & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: omnes populi, tribuit & lingua seruerint ei.

Suscipient regnum sancti Dei altissimi: & obtinebunt regnum usque in seculum, & seculum seculorum.

Regnum, & potestas, & magnitudo regni, que est subter omne celum, dabatur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum regnum sempiternum est, omnes reges & creature obedient ei.

Daniel sub specie hircisternentis arietem, vidit Alexandrum sternentem Darium.

Ab Alexandro descendit Antiochus Epiphanes: qui deiecit locum sanctificationis, abstulit iuge sacrificium.

Vsquequo Domine iuge sacrificium, & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?

Vsque ad vesperam & manè, dies duo millia trecenti, & mundabitur sanctuarium.

CAP. 5.
Balsazar vi-
det, Mane,
Tekel, Pha-
ros.

CAP. 6.
Daniel il-
læsus ma-
net in lacu
leonum.

CAP. 7.
Regnum
Dei, Chri-
sti & San-
ctorum.

CAP. 8.
Regnum
Alexandri:
Antiochi
desolati.

1414 Doxologia Sapientiae eternae e gestis & visionibus Danielis.

CAP. 9. Ecquando dominator Domine, complebuntur desolationes Ierusalem septuaginta annis? Stupet Daniel & orat, Vsquequo Domine finis horum mirabilium?

Peccauimus; inique egimus: tibi Domine iustitia, nobis autem confusio facie.

Gabriel ad Daniel aduolat; Audi, ait, vir desideriorum: septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt.

Vt vngatur sanctus sanctorum, vt occidatur Christus: vt finem accipiat peccatum, vt adducatur iustitia sempiterna.

CAP. 10. Ecce vir vestitus lineis, accinctus zona aurea, facies eius ut fulgor, oculi ut lampas ardens, brachia & crura ut as candens: intellige, ait, vir desideriorum.

Ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt affligeres te in conspectu Dei: exaudita sunt verba tua.

Hoc anno Darij & Cyri primo, Iudei Babylone libera buntur.

Princeps autem Persarum restitit mihi & ecce Michael venit in adiutorium meum.

CAP. 11. Audi bella inter reges Aquilonis & Austris, inter Seleucidias & Ptolemaeos.

Ex Seleucidia prodibit Antiochus: qui dabit abominationem in desolationem.

Populus autem sciens Deum suum obtinebit, & faciet: ac docti in populo docebunt plurimos.

Ex eis multi ruent in gladio, & in flamma, & in captiuitate, & in rapina dierum: vt confundentur, & elegantur, & dealbentur.

Antiochus, & eius antitypus Antichristus, in altum eleuabitur: aduersus Deum deorum loqueretur magnifica.

Erit in concupiscentijs semimarum: Deum Maozim in loco suo venerabitur.

Dominabitur thesaurorum auri & argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti: per Libyam quoque & Æthiopiam transfibit.

Figet tabernaculum suum Apadno inter maria, super montem inclytum & sanctum: ibi cedetur, & nemo auxiliabit ei.

CAP. 12. In tempore illo consurget Michael; qui stat pro filiis populi Dei.

Tunc saluabitur omnis fidelis & patiens: qui inuentus fuerit scriptus in libro vite.

Omnes enim qui dormiunt in terra puluere euigilabunt: alij in vitam eternam, alij in opprobrium eternum.

Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti; & qui ad iustitiam erudiant multos, quasi stelle in perpetuas eternitates.

Audite hec doctores, audite Martyres: hanc gloriam, has coronas ambi, docendo orbem verbo & exemplo.

Stupet Daniel & orat, Vsquequo Domine finis horum mirabilium?

Eleauit angelus manus in celum, & iurauit per viuentem in aeternum: quia in tempus, & tempora, & diuidium temporis.

Beatus qui expectat, & peruenit ad dies mille trecentos triginta aquinque.

Tu autem vade ad præfinitum: & requiesces, & stabis in sorte tua in finem dierum.

Susanna à scelibus adulteris in arcto deprehensa ingenuit: angostis mihi sunt vndeque.

Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras.

Sed melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini.

Flens suscepit ad celum: Deus eterne, qui absconditorum es cognitor, tu scis quod falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim.

Exaudiuit Deus vocem innocentis: suscitauit spiritum Danielis pueri, qui iudicauit eos.

Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua: angelus Dei scindet te medium.

Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te: angelus Domini stat, vt secet & interficiat te.

Vnus sub schino, alter sub primo, se eam vidisse peccatum mentitur est.

Lapidauit ergo eos populus, & Susannam innocentem liberavit.

Daniel euertit Bel; & draconem occidit: idcirco Chaldaei coniuncti eum in lacum leonum.

Cum leonibus lusit quasi cum agnis: dederunt confessionem sancto.

Angelus transfert Habacuc cum cophino ex Iudea in Babylonem: Daniel, ait, serue Dei tolle prandium, quod tibi misit Deus.

Confiteantur Domino misericordie eius: & mirabilia eius filii hominum.

Qui habet potestatem omnis carnis, qui occidit & vivificat; qui deducit ad portas mortis, & reducit.

Sperate in eum omnes qui timetis eum: protector est omnium sperantium in se.

Custodit eos quasi pupillam oculi sui: illos per ignem & aquam deducet eos.

Dominus pars hereditatis meæ, porcio mea in terra viuentium.

Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

CAP. 13. Susannam Daniel liberat, & scnes con demnat,

CAP. 14. Daniel c uertens Bel & draco nem; in la cu leonum ab Haba cuc pasci tutus.

F I N I S.

INDEX

INDEX LOCORVM

- 42.1. Iudica me Deus & discerne causam meam
 de non sancta. 62.1.b
 43.2. Non recessit retro cor nostrum, quoniam
 humiliasti nos. 26.2.a
 44.13. Filii Tyri in muneribus vultum tuum de-
 precabuntur. 228.2.b
 47.8. In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.
 69.2.a
 50.6. Tibi soli peccavi, ut iustificeris in sermonibus
 tuis. 26.2.a
 61.10. Mendaces filii hominum in stateris, ut deci-
 piant ipsi de vanitate in id ipsum. 1313.1.a
 62.3. In terra deserta, in uia & in aquosa, sic in san-
 cto apparui tibi. 1318.2.c
 66.7. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat
 nos Deus. 97.1.b
 67.27. In Ecclesiis benedicite Deo Domino de
 fontibus Israel. 391.2.c
 70.5. Tu es Domine patientia mea. 29.2.b
 71.10. Reges Tharsis & insulae munera offrarent.
 495.1.c.2.d
 72.9. Posuerunt in cælum os suum, & lingua co-
 rum transiuit in terra. 1151.2.b
 74.14. Castigatio mea in matutinis. 286.1.d
 77.20. Quoniam percussit petram, & fluxerunt a-
 qua, numquid & panem poterit dare? 26.2.a
 78.41. Conuersi sunt, & tentauerunt Deum. 110.1.c
 86.1. Fundamenta eius in montibus sanctis. 31.1.d
 87.7. Tu conuersus uiuiscabis nos. 110.1.c
 88.13. Aquilonem & mare tu creasti. 29.2.d
 79.38. Testis in cælo fidelis. 454.1.b
 94.11. Sicut iuraui in ira mea, si introibunt in re-
 quiem meam. 31.1.b
 100.8. In matutino interficiebam omnes peccato-
 res terræ. 286.1.d
 102.11. Secundum altitudinem cæli à terra, corro-
 borauit misericordiam suam super timentes se.
 455.2.b
 106.3. A Solis ortu & occasu, ab Aquilone & Mari.
 29.2.d
 108.24. Caro mea immutata est propter oleum.
 158.1.d
 109.3. Tecum principium in die virtutis tuæ. 498.
 1.d.1384.2.a
 79.6. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas. 1078.
 1.c
 111.9. Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius ma-
 net in sæculum sæculi. 27.2.d
 113.1. In exitu Israel de Ægypto, &c. facta est Iudea
 sanctificatio eius, Israel potestas eius. 915.2.b
 79.2. Facta est Iudea sanctificatio eius. 31.1.d
 118.3. Factus sum sicut vter in pruina. 858.2.c
 79.95. Testimonia tua intellexi. 429.2.c
 79.106. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiae tuæ.
 229.2.d
 131.9. Sacerdotes tui induantur iustitiam. 511.2.b
 132.1. Ecce quā bonum, & quā iucundum.
 1072.1.d
 136.11. Beatus qui retribuet tibi retributionem
 quam retribuisti nobis. 28.2.d
 137.1. In cōspictu angelorum psallam tibi. 100.2.d
 138.2. Tu cognouisti sessionem & resurrectionem
 meam. 308.2.d

EX PROVERBIIS SALOMONIS.

- Cap.1.v.8. Ut addatur gratia capiti tuo, & torques
 collo tuo. 1041.2.b
 5.15. Bibe aquam de cisterna tua, & fluente putei
 tui, &c. 586.2.b

SACRÆ SCRIPTVRÆ.

- 8.27. Quando præparabat calos, aderam. 62.2.b
 7.30. Ludens coram eo omni tempore, Iudens in
 orbe terrarum. 905.1.c
 10.4. Qui nititur in edacijis, hic pascit vētos. 698.2.a
 20.21. Oculum videntem, & aurem ludientem
 Dominus fecit ytrumque. 1022.2.a
 22.15. Virga disciplinæ fugabit eam. 437.1.a
 23.13. Noli subtrahere à pueru disciplinam. ibid.
 26.16. Sapientior sibi piger videtur septem viris lo-
 quentibus sententias. 659.1.d
 7.25. Septem nequitæ sunt in corde illius. ibid.
 30.19. Quartum penitus ignoro, viam viri in ado-
 lescentula. 116.2.c.d
 31.3. Ne dederis diuitias tuas ad delendos reges.
 1303.1.a
 7.24. Cingulum tradidit Chananæo. 1045.1.c
 1054.1.c
- EX ECCLESIASTE.
- Cap.2.v.8. Feci mihi cantores & cantatrices. 31.1.c.
 71.2.a
- 8.17. Quanto plus laborauerit ad querendū. 24.1.d
 11.2. Da partem septem, nec non & octo. 659.1.d
 12.5. Florebit amygdalus, & impinguabitur locusta.
 334.1.c
- EX CANTICIS.
- Cap.1.v.1. Osculetur me osculo oris sui. 31.1.c.78.
 2.d
- Ibid. Meliora sunt vbera tua vino. 35.1.d
 7.10. Collum tuum sicut morilia. 482.2.a
 3.10. Media charitate constrauit. 105.1.d
 4.1. Oculi tui columbatum, absque eo quod intrin-
 secus latet. 388.1.b
 8.6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut si-
 gnaculum super brachium tuum. 366.1.c.667.
 2.d
- EX LIBRO SAPIENTIÆ.
- Cap.3.v.13. Habebit fructum in respectione anima-
 rum sanctorum. 461.2.b
 11.13. Tamquam momentum stateræ, sic est ante
 te orbis terrarum. 332.1.c
 14.7. Benedictum est enim lignum per quod fit iu-
 stitia. 28.2.d
 17.2. Vinculis tenebrarum & longæ noctis compe-
 ditu. 307.1.c
- EX ECCLESIASTICO.
- Cap.11.v.3. Initium dulcoris habet. 498.1.d
 20.9. Est inuentio in detrimentum. 905.1.d
 21.29. In ore fatuorum cor illorum, & in corde sa-
 piencie os illorum. 1155.2.c
 25.12. Beatus qui inuenit amicum verum. 784.1.a
 29.4. Multi quasi inuentio[n]em aestimauerunt fœ-
 nus. 905.1.d
 7.7. Computabit illud quasi inuentio[n]em. ibid.
 39.1. Narrationem virorum nominatorum confer-
 uabit, & in versutias parabolaram simul introi-
 bit. 10.1.d
 48.14. Et mortuum prophetauit corpus eius. 6.2.c
 49.9. Qui à ventre matris consecratus est Prophe-
 ta. 571.2.a
- Loca quæ ex IV. Prophetis Maioribus
 extra ordinem exponuntur.
- EX ISAIA.
- Cap.2.v.19. A facie formidinis Domini cum surre-
 xerit percutere terram. 29.2.b
 3.1. Auferet à Ierusalem validum & fortē. 31.1.c
 7.9. Agnitio vultus eorum respondit eis. 654.2.c
 7.12.

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRÆ.

- v.12. Et mulieres dominatæ sunt eis. 25.1.a
 11.6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit. 25.2.a
 14.24. Iurauit Dominus, si non vt putauit ita erit. 31.1.c
 24.22. Et post multos dies visitabuntur. 24.2.a
 26.19. Vident mortui mei, interficti mei resurgent: expurgescimini & laudate qui habitatis in puluere, quia ros lucis ros tuus. 1150.2.d
 29.1. Væ ariel, ariel, erit mihi quasi ariel. 31.1.d
 30.2. Os Domini non interrogabit. 30.2.d
 38.1. Morieris, & non viues. 858.2.a
 60.17. Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. 29.2.c
 66.8. Quia parturiuit & peperit Sion filios suos. 26.2.a

EXIEREMIA.

- Cap.1.v.10. Vt euellas & destruas, & disperdas, & diffipes, & ædifices, & plantes. 27.1.a
 v.14. Ab Aquilone pandetur omne malum. 29.2.d
 4.12. Loquar iudicia cum eis. 27.1.a
 7.37. Auseretur vox sponsi & vox sponsæ. 31.1.c.
 71.2.a
 17.12. Solum gloriæ altitudinis à principio, locus sanctificationis nostræ. 1213.2.b. 1399.2.c
 27.7. Ei seruent omnes gentes, & filio eius, & filio filii eius. 1307.2.a
 48.10. Maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. 28.2.d

EX THRENIS.

- Cap.1.v.14. Vigilauit iugum iniuitatum mearum. 1344.1.c
 v.15. Torcular calcauit Dominus virginis filiæ Sion. 520.1.a
 2.17. Destruxit, & non pepercit. 858.2.a
 3.1. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. 31.1.d
 4.3. Sed & lamiæ nudauerunt mammam. 298.1.d
 v.20. Spiritus oris nostri Christus Dominus. 70.1.c

EX BARUCH.

- Cap.1.v.10. Facite manna ad aram Domini pro peccato. 1281.2.b

EX EZECHIELE.

- Cap.7.v.17. Omnia genua fluent aquis. 31.2.d
 16.26. Cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium. 32.1.a
 18.2. Patres nostri comedenterunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupecunt. 32.1.b
 20.46. Stilla ad Africum. 30.2.b
 23.20. Quorū carnes sunt, vt carnes asinorū. 32.1.a
 26.14. Non ædificaberis vltrà. 227.2.a
 34.23. Suscitabo vobis pastorem vnum seruum meum Dauid. 25.2.d

EX DANIELE.

- Cap.2.v.23. Fortitudinem dediti mihi. 27.1.a
 5.6. Compages renum eius soluebantur. 164.2.b

EX OSSEE.

- Cap.1.v.2. Principium loquendi Domino in Ossec. 14.1.c
 v.14. Ero eis quasi exaltans iugum super maxillas eorum. 272.2.a
 2.24. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius. 323.1.c
 3.6. Reuertentur filij Israel, vt querant Dominum Deum suum, & Dauid regem suum. 25.2.d
 4.2. Sanguis sanguinem tetigit. 55.2.d
 11.4. In funiculis Adam traham eos. 732.2.c
 13.1. Secundum dilectionem Dei filios Israel. 25.1.a

EX AMOS.

- Cap.5.v.6. Non erit qui extinguat Bethel. 25.1.c
 EX MICHAEL.
- Cap.1.v.10. In domo pulueris, puluere vos conspergite. 27.1.d
 9.19. Projiciet in profundum maris omnia peccata nostra. 819.2.d

EX HABACUC.

